




M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA.

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA

RECOGNOVIT

ET SINGULIS LIBRIS

AD OPTIMAM QUAMQUE RECENSIONEM

CASTIGATIS

CUM VARIETATE LAMBINIANA MDLXVI, GRAEVIO-GARATONIANA, ERNESTIANA, BECKIANA, SCHUETZIANA, AC PRAESTANTISSIMARUM CUIUSQUE LIBRI EDITIONUM INTEGRA, RELIQUAE VERO ACCURATO DELECTU BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

VOLUMINIS V. PARS I.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXXIII.

M. TULLII CICERONIS

SCHOLIASTAE

C. MARIUS VICTORINUS
RUFINUS
C. IULIUS VICTOR
BOËTHIUS
FAVONIUS EULOGIUS
ASCONIUS PEDIANUS
SCHOLIA BOBIENSIA
SCHOLIASTA GRONOVIANUS.


EDIDERUNT

IO. CASP. ORELLIUS ET IO. GEORGIUS BAITERUS

TURICENSES.

PARS PRIMA.

TURICI
TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.
MDCCCXXXIII.



L. DISSENIO,

C. A. LOBECKIO, F. PASSOWIO,

F. C. SAVIGNYO, F. THIERSCHIO,

E. WUNDERO

VIRIS DE TOTA ANTIQUITATE

OPTIME MERITIS

HOC OPUS

QUA PAR EST OBSERVANTIA

OFFERUNT

EDITORES.

PRAEFATIO.

Quod iamdudum in optatis erat philologis et iure consultis universis, tandem ut unum in corpus redigerentur M. Tullii scholiastae et rhetores aliquot ad eius scriptorum emendationem haud inutiles, id ipsum communi nunc consilio cum Baitero meo exsequi studui. Atque eo magis eiusmodi quasi supplementum operae Ciceroni ante navatae necessarium esse ducimus, quod quum C. Iulius Victor et Scholia Bobiensia in codice Vaticano ab Angelo Maio V. C. nuper reperta nostris in terris nondum sunt repetita, tum in ceteris omnibus nonnihil afferre posse nobis videmur, quo correctiora quam in libris adhuc vulgatis prodeant. Quid autem in singulis praestitum sit, singulatim exposuimus in praefationibus uni cuique scriptori praemissis; quae quidem praecipi hoc loco nihil attinet. Nemo vero, ut opinor, nos reprehendet, quod omisimus Macrobii in Somnium Scipionis commentarium, quippe qui et diversi generis sit a nostris grammaticis ac rhetoribus, et facillime a quovis consuli queat; ut illud taceamus, sedulo prospiciendnm fuisse, ne nimis excresceret libri moles. Indices autem copiosissimos nominum

propriorum inseremus Onomastico Tulliano, quod una cum amico quum maxime praeparamus, quodque ad finem perduci non poterat nisi primum collectis et emendatis scriptoribus iis, quos haec συλλογὴ complectitur. Bis vero eandem operam suscipere nequaquam libebat.

Turici Kal. Novembribus M. DCCC. XXXII.

C. MARII VICTORINI

RHETORIS URBIS ROMAE

EXPOSITIO

IN RHETORICA CICERONIS.

(Vitiosissimam Capperronerii editionem eiusque repetitionem Neapolitanam in συναγωγῇ Garatoniana, in qua paucissima menda sunt correcta, emendavi in primis e Codice Basileensi F. VIII. 12. chartaceo Sec. XV. perbono et a solitis librariorum erroribus adeo libero, ut a viro aliquo Latinitatis probe gnaro exaratus videatur; praeterea e praestanti Rob. Stephani cura (St.), *cuius hic est index:*

M. Fabii Victorini Rhetoris doctissimi commentarii in Rhetoricos M. Tullii Ciceronis, antea deminuti, nunc primum, veterum exemplarium ope, simul et studiosorum hominum opera in integrum restituti.

Parisiis ex officina Roberti Stephani M. D. XXXVII. (*in fine:* VI. Cal. Maii.) *pagg.* 189. *et* 10. *Indicis; sine ulla praefatione.* 4°.*:*

et ex editione Aldi Nepotis (Ald.) *in Ciceronis operibus. Capperronerii et Rangii annotationem integram servavi. Basileensem autem codicem Gerlachio, Stephanianam editionem Usterio debeo.)*

Caii, non *Marci*, praenomen Victorino tribuo Hieronymum secutus. Cfr. Angeli Maii *Scriptt. vett. novam collect.* Tom. III. p. X. seqq. Cod. Basileensis subscriptio haec est: Marii Victorini *oratoris clarissimi in Marci Tullii Ciceronis veteris editionis Rhetoricen commentariorum libri duo expliciunt feliciter.* Contra M. Fabius Victorinus appellatur etiam in Ed. Basileensi. M. D. XLI.

C. MARII VICTORINI

EXPOSITIO

IN LIBRUM I. DE INVENTIONE.

Omnis, quicunque incipit cuiuscunque generis orationem, haec tria in principiis adhibere debet: ut auditores faciat attentos, benevolos, dociles. Ergo hic Cicero facit dociles auditores, quum, quid sit eloquentia, ostendit; attentos, quum dicit se de eloquentia dicturum, re scilicet magna; benevolos, siquidem [quia] ostendit futurum ei commodum, qui his artibus fuerit edoctus. Eloquentia igitur qualis sit, per se ipsa non ostendit, sed est capax qualitatis, quam non in se habet, sed accipit ab agente. Nam ut cuiuscunque ingenium fuerit eius, qui ea utitur, perinde qualis sit vel quid faciat, demonstrat. Ergo quoniam quivis mediocriter sapiens potest videre, eloquentiam, si in homine stulto sit, malam esse; si in sapiente, bonam esse: propterea Cicero non, utrum bonum, an malum sit eloquentia, quaerit; sed utrum plus boni, an plus mali habeat, ostendit. Tractat autem in principiis quattuor theseis. Unam talem: Studendum esse sapientiae cum eloquentia. Aliam: Parum prodesse solam sapientiam, tamen prodesse. Tertiam: Multum nocere eloquentiam, si sine sapientia ea sit. Et quia potest dici, Ergo eloquentiae studendum non est? nam ubique sapientiam laudas: respondetur studendum esse eloquentiae, quia per eloquentiam vim suam sapientia exserit necessario. Quarta thesis: Studendum esse eloquentiae, sed tamen quae sit mixta sapientiae. Animadvertere tamen debemus in principiis deliberationis propositionem, partes propositionis, exsecutionem partium, postremo vero sententiam; quod diligenter attendenti facile cognitu est. Sed antequam ad id, unde coepit Cicero, veniamus, dicendum primum videtur, quid sit ars: deinde quid intersit inter artem et virtutem. Ars est, quae significantiam sui plenam non habet, sed intelligitur ad aliquid pertinere: non enim, velut codice nominato scimus statim quid sit codex, ita mox scire possumus, quid sit ars, nisi additum fuerit cuius ars: ut ars poëticae, grammaticae, eloquentiae. Virtus est animi habitus, in naturae modum rationi consentaneus; et ideo, in naturae modum: duobus enim constamus, anima et corpore. Anima immortalis est. Si immortalis est, a divinis descendit: si a divinis descendit, perfecta est. Sed acies quamvis perfectae animae quodam corporis crasso tegmine irretitur et circumfunditur: et ita fit, ut quandam oblivionem sui capiat. Quum vero

---

5. Vulgo *benevolos siquidem, quia.* Del. videtur *quia.* Or.

21. Sic Cd. Bas. St. Ald. Gar. — *in principiis deliberationis, propositionum partes, exsec.* Capp. Or.

28. *cuius ars*] Sic scripsi. — *cuius sit ars* Ald. — *cuius artis* Cd. Bas. Capp. Or.

studio ac disciplina veluti detegi coeperit atque nudari, tunc in naturae suae modum animi habitus revertitur atque revocatur. Hanc virtutem Plato dicit nunc arte fieri, nunc cum hominibus nasci, nunc exercitatione confici, nunc a deo dari. Haec virtus in *Rhetoricis* a Cicerone eadem ponitur, quae sapientia. Alibi vero, id est in libris de Re publica, ab eodem Cicerone illa virtus dicitur quae prudentia. Virtus igitur habet partes quattuor, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerum bonarum et malarum per omne tempus scientia. Iustitia est animi habitus ita informatus, ut omnibus meritis tribuat dignitatem. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Temperantia est animi circa res inutiles atque inhonestas victrix ac pudica dominatio. Harum partium partes in consequentibus cognoscemus. Nunc ad id, quod ostendere proposuimus, revertamur: scilicet ut, quid inter artem et virtutem intersit, videamus. Harum quattuor partium, quas diximus inesse virtuti, nulla omnino in artem cadit. Ars enim tantum praecepta tradit, non aliquid secundum ipsa praecepta faciendum. Ideo ars sapientiae tradi non potest: per se autem tota constat ac permanet; quae perfecta est, si haec quattuor teneat, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Datur autem ars eloquentiae, et recte datur. Etenim si constat quattuor rebus, natura, usu, exercitatione, arte, necessario et artis praecepta in eloquentiam dantur. Quae si deest, profecto tria illa multum interdum nocere, nunquam prodesse possunt. Dicendum etiam videtur, quae distantia sit inter rhetorem, sophistam et oratorem. Rhetor est, qui docet literas atque artes, traditor eloquentiae. Sophista est, apud quem dicendi exercitium discitur. Orator est, qui in causis privatis ac publicis plena et perfecta utitur eloquentia. Et ut sciamus alium esse rhetorem, alium oratorem; hos libros artium *Rhetoricorum* vocavit, ubi docet artem dicendi; illos alios tres *de oratore* nominavit, ubi illa, quae orator habere debeat, ostendit. Nunc ergo considerans quid et quantum sit illud, de quo dicturus est, id est, eloquentia, recte se inducit diu cogitasse, non utrum bona an mala sit eloquentia, sed utrum plus boni, an plus mali habeat.

Saepe et multum hoc mecum cogitavi] Horum si unum sit, non ostendit satis diutinam cogitationem. Possumus enim frequenter aliquid cogitare, sed statim a cogitatione desistere. Possumus itidem diu aliquid cogitare, sed id una tantum die facere. Recte ergo utrumque coniunxit, *Saepe et multum hoc mecum cogitavi.* Et quia in publicum proferri res non debuit nisi certa et deliberata, recte ait, *hoc mecum cogitavi.*

Bonine, an mali plus] Causa deliberationis, non utrum bona, an mala sit eloquentia, sed utrum plus boni, an plus mali habeat eloquentia. Non tamen vacat ratio ordinis: potuit autem dicere, *maline,*

10. *meritis*] An *meritam?* Cfr. pag. 12. lin. 11. Or.

25. *atque artis traditor est eloquentiae*] Editio Basileensis an. 1541. habet: *artes tradit.* Capp. Praetuli equidem lect. Cd. Bas. Or.

29. *hos libros artium Rhetoricorum vocavit*] In editione Basil. legitur: *hos libros artium Rhetoricarum.* Capp.

32. *se inducit*] *se dicit* Cd. Bas. Or.

an boni plus. Sed Cicero naturam tenuit eloquentiae, quae quum primum agere coepit, profuit hominibus; nam *compulit* eos et *congregavit*. Post autem depravata ingenio malorum, multum nocuit rei publicae. Bene ergo ordinem tenuit, ut diceret, *Bonine, an mali plus attulerit hominibus et civitatibus*. Res publica duobus constat, publico et privato: ideo *hominibus et civitatibus*. Hoc et in Verrinis animadvertere debemus, qualiter ubique Cicero aut homines defendat aut civitates.

Copia dicendi] Quoniam nomen eloquentiae id sibi obtinet ac vindicat, ut quum ad aures venerit, non nisi optima accipiatur, ideo maluit definire eloquentiam. Ne quis ergo audita eloquentia, quae quasi sono ipso id obtinuit, ut mixta videatur esse sapientiae, ne quis (inquam) deliberandum non crederet, utrum plus boni an plus mali habeat eloquentia, sed ipsam per se satis aestimaret bonam: propterea maluit definire eloquentiam, dicendo *copiam dicendi*. Quae quia potest ad utrumque flecti, causam deliberationis induxit.

Ac summum eloquentiae studium] Postquam docuit quid esset eloquentia per definitionem, securus postea, occupatis iam auditorum sensibus, eloquentiam nominavit. Sed recte ait, *Ac summum eloquentiae studium*. Non enim potest declarari quid possit eloquentia, nisi in aliquo fuerit ac plena fuerit.

Nam quum et nostrae rei pub. detrimenta considero] Ostensurus quantum boni aut mali possit eloquentia, de re publica loquitur; et recte. Non enim in privatis rebus eloquentia periclitanda est, sed in publicis. Ita ipse in Verrinis quum de se vel de eloquentia sua optimam probationem afferret, publicas causas commemorat, tacet privatas: *Me qui tot annis in causis iudiciisque publicis ita sim versatus*. Nunc denique ut bonum demonstret eloquentiae, de rei publicae incommodis vel commodis loquitur. Animadvertendum tamen, quod partes non eodem ordine exsequitur, quo proposuit. Ait enim supra, *Bonine an mali plus*. Nunc a malis eloquentiae incipit. Sed supra naturam, ut diximus, secutus est: nunc cogitationis rationem servat. Illa enim prima cogitationi occurrunt, quae vicina sunt a nostra memoria. Ideo et de recentibus et quod esset magis propinquum, elegit, quum ait, *Nostrae rei publicae detrimenta considero*. Consideratio enim *rei publicae nostrae* praesentis est. Ergo quoniam hucusque multa incommoda per solam eloquentiam rei publicae contigerunt, recte a malis eloquentiae coepit: post dicturus de antiquioribus bonis et malis.

Et maximarum civitatum veteres animo colligo calamitates] Recedit paullatim a re publica nostra ad extraneas civitates, et recte

---

2. *compulit eos et congregavit.*] Eruditus Vir Dominus Mailley legebat: *copulavit eos* etc. Sed retinendam esse vulgatam lectionem, constat ex *iis*, quae sequuntur in Cicerone, *compulit unum in locum et congregavit;* ad quae verba sic habet Victorinus: *compulit*, *quasi invitorum* cet. Capp.

17. male legitur in Verburgiana editione, anni 1724. *copia dicendi*, *ad summum eloquentiae studium* cet. Capp.

36. *rei publicae nostrae*] Sic Cd. Bas. — om. *nostrae* Edd. Or.

post Romam maximas civitates nominat. Ergo quoniam vetustiora sunt harum exempla civitatum, *animo* se ait *colligere*. In re publica autem nostra quae sint gesta, considerat. Recte itaque maximarum civitatum collegit calamitates. Illic enim aliquid operatur eloquentia, ubi populus maior est.

Non minimam video] Quia de modo hic agitur, id est, utrum plus boni, an plus mali afferat eloquentia, ideo ait, *non minimam video*.

Per disertissimos homines invectam esse partem incommodorum] Quod supra disputavimus, noluit per eloquentiam dicere, sed per disertissimos homines, id est, qui habeant copiam dicendi solam. *Invectam* vero per metaphoram navis. Res publica enim dicitur gubernari.

Quum autem res a nostra memoria propter vetustatem remotas] Expositis malis, incipit dicere, quid boni habeat eloquentia, *A nostra memoria*, inquit, *remotas*. Ut excuset memoriam quasi negligentem, addidit, *propter vetustatem*. Ergo illa, quae nimis a memoria nostra remota sunt, quî scire possumus?

Ex literarum monumentis, inquit, *repetere instituo*] Haec monumenta dupliciter accipimus, aut annales aut historias. Primo enim annales fuerunt, post historiae factae sunt.

Multas urbes constitutas, plurima bella restincta] Dicendum est hoc loco, quid sit civitas. Est autem civitas collecta hominum multitudo ad iure vivendum. Quum ergo fuerit civitas constituta, necesse est, ut primo bella patiatur, postea pacem agat. Pax enim a pacto dicitur. Pactum vero esse non potest, nisi causa praecedat, id est, bellum. Hoc et Salustius tenuit, quum de rebus Romanis loqueretur. Dixit enim prius bella gesta, post pacem esse fundatam. *Res*, inquit, *Romana plurimum imperio valuit, Servio Sulpicio et M. Marcello consulibus omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi quae a paludibus fuit invia, perdomita.* Hic bellum geritur: deinde pacem memorat consecutam. *Optimis autem moribus, et maxima concordia egit res publica inter secundum ac postremum bellum Carthaginiense.* Quaeritur autem, utrum in bellis aliquid possit eloquentia. Potest enim sine dubio, et tantum quantum virtus potest. Nam virtute bella finiuntur, et eloquentia bella finiuntur. Ideo ergo ait, *Plurima bella restincta.* Iam illud notum est, quod bella ardere dicantur, ut ait: *Ardebat omnis Hispania citerior.* Item, *Quis tanti incendia belli.*

Firmissimas societates, sanctissimas amicitias] Inter socium et amicum hoc interest: Socius est, qui nobis aliquo pacto ad aliquid [nobiscum] gerendum coniungitur. Amicus est, qui mihi usu vitae si-

---

10. *noluit per eloquentiam dicere, sed per disertissimos*] sic apud Ciceronem in primo *de Oratore* Antonius *multos disertos, eloquentem neminem se vidisse* dicit. Capp.

28. *imperio valuit, Servio Sulpicio cet.*] perperam legebatur antea: *imperio valuit. Servio Sulpicio* cet. quae mala interpunctio huius loci sensum perturbabat. Capp. Cd. Bas.: — *omnis Gallia* et: = *invia fuit.* Or.

41. Recte abest a Cd. Bas. St. Ald. v. *nobiscum.* Or.

milis pio ac fideli amore coniungitur. Et quia socius aliquid nobiscum gerit, ideo ait, *firmissimas societates*. Quia amicus pio nobis amore coniungitur, ideo ait, *sanctissimas amicitias*. Ergo interdum amicus est, et socius non est, si nihil mecum gerat. Et rursus, quum sit socius, amicus non est, si aliquid mecum invitus gerat. Propterea Cicero ubique duo haec iungit, socios populi Romani atque amicos: ita et hic, *firmissimas societates*, *sanctissimas amicitias*.

Intelligo] Recte, *intelligo*. Ait enim supra, *Ex literarum monumentis repetere instituo*. Ergo id quod legitur intelligendum est.

Quum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas] Ubique duo haec coniungit. Sed quando aliquid duae res agunt, triplici modo agunt. Aut aequales sunt, aut nunc ista plus praestat, nunc illa. Hic sapientiae dat proprias agendi rationes. Sed quia virtus omnis magnitudine sui tarda est, idcirco subiunxit et tempus, ut illud quod sapientia invenerit, facilius eloquentia compleatur. Ergo ad aliquid cito faciendum alterum alterius auxilii indiget. Recte igitur rei publicae commodum ex confectione utriusque coniungit.

Ac me quidem] Supra ostendit, quantum obesset eloquentia quantumque prodesset, sed mixta sapientiae: nunc vero vult ostendere sigillatim, quantum sapientia sola prosit, quantum eloquentia sola obsit. Quod quum ostenderit, quoniam et sapientia sola parum prodest et eloquentia sola multum obest, rursus dicturus est eloquentiam sapientiae esse iungendam. Omnis res aut nimium prodest aut parum prodest: aut nimium obest aut parum obest. Sapientiae unum dat: ut sola parum prosit rei publicae, nihil tamen obsit. Eloquentiam vero solam saepe ait nimium obesse et interdum satis obesse. Illam vero aliam partem tollit soli eloquentiae, ut vel parum prosit rei publicae, multum tamen obsit, soli sapientiae dat, ut vel parum prosit, nihil tamen obsit. Verum quod ait, *Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa*, *Ipsa*, inquit, *ratio*, sapientiae scilicet, quam eloquentiae dicimus esse iungendam.

Quare si quis] Ostendit quid sit plena sapientia. Sapiens est enim, qui divina atque humana optime novit. Ergo studium rectae rationis ad divina, studium honesti officii ad humana referamus. Quod autem ait *studium*, rectius dixit, quam si dixisset, *si quis omissa ratione atque officio*. In his enim nominibus perfecta philosophia est; quam quia nullus orator plene potest assequi, ideo nobis horum vel *studium* habendum esse demonstrat.

Consumit omnem operam in exercitatione dicendi] *Consumit*, inquit: iam in isto verbo est inutilis labor. Quod autem ait *in exercitatione dicendi*, timet eloquentiam nominare, ut supra diximus, ne sen-

---

15. *magnitudine sui*] — *magnitudine vi* Cd. Bas. Or.

29. Sic Capp. Gar. — *soli eloquentiae*, *ut vel parum prosit reip.*, *qua in re obesse semper ostendat. Verum* cet. St. Ald. — E Cd. Bas. haec vv. exciderunt. Or.

34. *sapiens est*, *qui divina*] sic sapientia definitur apud Ciceronem: *Scientia rerum divinarum et humanarum causarumque*, *quibus hae res continentur*. Capp.

sum audientis offendat. Itaque haec definitio est eloquentiae, *Eloquentia est exercitatio dicendi.*

Is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur] Omnis homo aut sibi aut patriae consulit aut plus sibi quam patriae. Recte ergo homines ad haec duo miscenda, sapientiam et eloquentiam, primo ab utilitatibus suis, deinde etiam publicis invitantur. *Qui*, inquit, *fuerit in sola dicendi exercitatione versatus, omissis studiis rationis et officii, et sibi inutilis et perniciosus patriae civis alitur.*

Qui vero ita sese armat eloquentia] Bene, *armat:* quasi sapientia pro robore sit, pro armis eloquentia. Attendamus tamen, ut, quum supra pro eloquentia aut copiam dicendi aut exercitationem aut disertitudinem nominaverit: nunc ubi et de sapientia loquitur, ut securus eloquentiam nominet. Hic quoque duo illa servat, quae supra diximus, *qui*, inquit, *sapientiae miscuerit eloquentiam*,

is et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur] Utilem circa privata, amicum circa publica accipiamus.

Ac si volumus cet.] Primo rem quandam constituit, cui eloquentiae nomen imposuit, et ostendit, unde nascatur eloquentia.

Sive ex arte, inquit, *sive ex studio*, *sive exercitatione*, *sive a natura*] Huius, inquit, eloquentiae, cuius incerta est origo, *si volumus considerare principium*, *inveniemus*, inquit, *id ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum.* Causa est animi impulsus ad aliquid agendum. Ratio est gerendorum ordo ex causa venientium: ut quid quo loco facias ac dicas intelligas. Ergo, inquit, si eloquentiae principium considerare volumus, primum causa attendenda est. Haec causa honesta est. Deinde rationes, et easdem optimas inveniemus. Inter studium autem et exercitationem hoc interest: Studium est animi ad aliquid agendum pertinacia. Exercitatio est suscepti actus continuatio. Ex his quoque supra diximus nasci eloquentiam posse.

Nam fuit quoddam tempus] Incipit commemorare causas fuisse honestas, quibus eloquentia non ad id ipsum, quod est, nata sit, sed circa agendum principium sumpserit. Ut supra diximus, aiunt philosophi e duobus hominem constare, anima et corpore. Animam vero esse perfectam, sed impediri crassitudine corporis, quo minus se talem exserat, qualis est per naturam. Ergo mundo constituto erant homines nimis impediti corpore, et in quibus vis animae obruta atque oppressa esset. Tunc necessario rapto vivebant et malis moribus, oppresso animae bono, circa res omnes viribus corporis abutebantur. Sed quia natura non aequaliter semper omnes fundit, aliquando unus exstitit, qui se bene intelligeret et qui videret esse in hominibus animam illam divinam, quae haberet in se multas utilitates, si tamen posset ab ali-

12. *aut disertitudinem nominaverit*] notatu dignum videtur hoc vocabulum *disertitudo*, quod in nullo alio scriptore legere me memini. Capp. Occurrit eadem vox apud Hieronym. *Ep. ad Domnion.* T. II. Opp. p. 115. Ed. Paris. Nivell. Kano.

13. *nominet*] editum antea fuerat *nominat;* sed legendum esse *nominet*, probatur ex primo illo periodi membro: *Attendamus tamen, ut* etc. Capp. *Nominet* habet Cd. Bas. Or.

quo e latebris quibusdam elici atque proferri. Ergo his causis eloquentia initium non nascendi, sed agendi sumpsit. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur; sicut Virgilius: [Aen. VIII. 314. sqq.]

Haec nemora indigenae Fauni nymphaeque tenebant
Gensque virum truncis et duro robore nata;
Queis neque mos neque cultus erat: nec iungere tauros,
Aut componere opes norant aut parcere parto.

Et sibi victu fero vitam propagabant] Sapiens omnis memoriae studet. Illi, in quibus vis animae mole corporis oppressa delitescit, non memoriae student, sed ferino ritu subsidia solis prospiciunt diebus. Sic Salustius: *Et quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est; memoriam nostri quam maxime longam efficere convenit, non pecorum more vivere, quae natura prona atque ventri obedientia finxit:* ut isti homines fuerunt, qui sibi victu fero vitam propogabant.

Non divinae religionis cet.] Plena philosophia est, quae constat ex duobus: ex *physica* et *ethica*. *Physica* est, quae de divinis agit. *Ethica*, quae de humanis [disserit.] Sed quia Cicero illud docet, quod oratori est necessarium, *ethicam* prosequitur: quae si tunc ab hominibus ignorata est, multo magis *physica* est ignorata. Ergo indicat, ut illi vixerunt, qui, animae commodis ignoratis, corporis viribus pleraque gesserunt.

Nemo legitimas viderat nuptias, non certos quisquam inspexerat liberos] Utrumque enim vaga atque incerta Venere conficiebatur: neque erant iura, quae id fieri prohiberent.

Non ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat] Illic enim nullius iniuria vivitur, ubi est iuris aequalitas, aequa libertas, ubi aliquid aut omnibus licet facere aut omnibus non licet.

Perniciosissimis satellitibus] Vires corporis esse ait cupiditatis ministras, quae in animis hominum quandam obtinent tyrannidem.

Quo tempore quidam, magnus cet.] Ut facilius intelligentiam consequamur, rerum similitudo proferenda est. Anima ita est ut vinum. Nam, quemadmodum vinum pro vase, in quo est habitum, aut retinet aut amittit violentiam: perinde anima, si optimum et castum corpus offenderit, servat naturam: sin alias, velut amittit. Ita igitur quum mortale genus brutum atque inscium rerum omnium vagaretur, exstitit quidam vir magnus, in quo anima suam retineret naturam et qui intelligeret omnes homines habere in se quiddam divinum, sed id vitio corporis opprimi atque deperire; quod si fuisset elicitum, maximas inde commoditates hominum posse contingere.

---

10. *animae*] Sic Cd. Bas. — *animi* Edd. Or.
11. *solis*] An *singulis?* Or.
18. *disserit*] ∞ om. Cd. Bas. Or.
27. *vivitur*] — *timetur* Cd. Bas Or.
34. *perinde*] legebatur antea *proinde:* sed legendum esse *perinde*, probari potest quum ex adverbio comparativo *quemadmodum*, quod praecedit; tum ex editione Basileensi an. 1541. Quidam tamen τὸ *perinde* et τὸ *proinde* synonyma esse contendunt. Capp. (*Perinde* etiam Cd. Bas. St. Ald. Or.)

Cognovit, quae materies et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum] Materia non ad hoc ipsum materia est, quo materia vocatur, sed ad id, quod inde fieri habet, materia est. Opportunitas vero non accidit neque in altero est, sed in eadem materia est. Potest autem in ligno esse materies ad aliquid faciendum: sed, si putrescit, opportunitas in materia non est. Similia et de reliquis materiis possumus dicere. Ergo non suffecerat inventa in hominibus materia, nisi in eadem materia etiam opportunitas fuisset ad maximas res.

Si quis eam posset elicere] Est ergo, qui potest elicere et quod potest elici. Hoc deinde attendamus. Unus potest videre aliquid effici posse, non tamen etiam efficere. Denique etiam istum sapientem et magnum virum Cicero ait vidisse materiam in hominibus, sed dubitasse de effectu. Ait enim: *Si quis eam posset elicere.* Utrumque tamen dat huic viro, et intelligere et efficere. Est enim et sapiens et eloquens.

Et praecipiendo meliorem reddere] Erat ergo in hominibus animus: sed ideo *reddere*, quia videbatur amissus. Erat bonus animus, et ideo ait, *praecipiendo* meliorem *reddere*. His causis igitur honestissimis, ut videmus, iste *quidam* compulsus est ad eloquentiam: hoc est ad id, unde nasci ad actus primum coepit eloquentia. Quae enim causa honestior, quam homines bestiarum modo viventes praeceptis utilibus atque honestis ad humanam atque divinam cognitionem traducere? Ergo istum virum magnum atque sapientem quemcunque accipiamus. Multi enim Saturnum, Platonem, Aristotelem atque alios volunt intelligi, sed errant.

Qui dispersos homines in agris et in tectis silvestribus abditos ratione quadam compulit unum in locum et congregavit] Duas res supra posuit honestissimas fuisse causas optimasque rationes, ut ad actus eloquentia nasceretur. Explicitis ergo honestissimis causis, incipit ostendere optimas eloquentiae ad actus fuisse rationes. Et ut intelligas iam de causis esse dictum: *Ratione quadam*, inquit, *compulit unum in locum et congregavit.* Diximus rationem esse rei gerendae ordinem necessarium; ut puta, hoc primum debet fieri, hoc deinde, ac tertio: ut nunc primo compelluntur homines, post congregantur, deinde in unamquamque rem inducuntur utilem atque honestam.

Compulit unum in locum et congregavit] *Compulit*, quasi invitorum est: iam volentium, *congregavit*. Sed debemus scire, quod sit *compulit et congregavit* quasi civitatem fecit. Nam, ut supra diximus, civitas est collecta hominum multitudo ad iure vivendum. Ergo eloquentia plurimum prodest, nam facit civitatem; et quidquid utile atque honestum est, insinuat.

---

5. *quo materia*] Sic Cd. Bas. — *quod m.* Edd. Or.
Ibid. *fieri habet*] hoc est, *potest*, Graeco loquendi more γίνεσθαι ἔχει. Capp. Nisi tamen legendum est *debet*. Rabo.
33. *rationem*] — *rationem quandam* Cd. Bas. Or.
35. *ac tertio*] An: *hoc tertio?* Or.

Et eos in unamquamque rem inducens utilem atque honestam] Cicero duplex esse honestum docet, unum illud solum atque purum: aliud, quod cum utili iunctum sit. Sed solum illud apud paucos est, eos scilicet, qui soli gloriae student nihilque ad sui utilitatem gerunt, quidquid sanciunt, consideratione boni malique generatim sanciunt, non gratia in eodem versantium personarum. Honestum vero illud coniunctum cum utili ideo honestum vocat, quia id quod iunctum ac duplex est, ab eo, quod maius est, nomen accipit. Verum illud honestum philosophorum est, hoc illorum sapientium, qui rei publicae student, qui in civitate versantur. Quod quidem honestum utilitati semper adiunctum est et utilitas honestati. Hoc etiam Socrates ait, nihil esse utile, quod non honestum sit: nihil honestum, quod non utile sit. Sed, ut ipsum intelligamus, rerum exempla proferenda sunt. Esse iudicem, honestum est. Iuncta est tamen utilitas honestati. Nam nemo ei iniuriam facit, nemo servis eius. Prodest posteris, liberis eius prodest. Amicis ergo si quid praestat, etiam utile est. Sed, quamquam haec duo iuncta sunt, non tamen ita mixta sunt, ut vino aqua miscetur, scilicet ut secerni nullo modo possint: sed ita mixta sunt, ut secerni posse videantur: quemadmodum si fiat acervus ex tritico et hordeo. Quamquam ergo haec duo mixta sunt, tamen aliquo modo et secerni possunt. Etenim, si quid alicui praesto nec gratiam reposco, honestum est. At id ipsum quod praesto, si gratiam reposco, fit utile. Ergo primum sit illud solum honestum, quod per se placet nulla adiuncta gratia: hoc medium, honestum utile, quod cum utilitate est: tertia sit commoditas, quae solis lucris intenta est abiecta omni honestate. Honestum vero philosophicum soli gloriae studet, abiecta etiam utilitate. Nunc ergo quoniam collectis hominibus et congregatis civitas facta est, quid debet persuaderi? quid hominibus insinuari? Non honestum illud solum, quod philosophorum est: non commoditas, quae hominum perditorum est: sed illud medium honestum atque utile, quod in omni re publica, quod in omni civitate versatur.

Primo propter insolentiam reclamantes] Nihil egerat eloquentia, si statim, ut insinuare coepit quid esset honestum atque utile, persuasisset. Sed ostendit, magnas inesse vires eloquentiae, si ad id, quod erat optimum, traduxit invitos. Et ne videantur idcirco reclamasse, quod res optima non esset, ideo ait: *propter insolentiam primo reclamantes*. Deinde ne eloquentiae quibusdam venenis etiam ad malam rem traducti videantur.

Propter rationem, inquit, *atque orationem studiosius audientes*] Ergo ubi ratio est et sapientia, malitia inesse non potest. Rationem ad sententiarum gravitatem referendam sciamus; orationem ad ornamenta verborum.

Ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos] Difficile est rem aliquam cuicunque tollere, difficilius aliam dare. Hic utrumque factum est. Sublata est hominibus feritas atque immanitas et data est humanitas et mansuetudo.

---

5. *sanciunt - - sanciunt*] — *sentiunt - - sentiunt* Cd. Bas. Oa.

Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse] Sunt multa, quae solo habitu sui perfecta sunt. Sunt multa quae et habitu et usu: ut athleta si habeat corporis magnitudinem, non continuo perfectus est, nisi ei et usus accedat. Ut orator concepto totius scientiae habitu, non continuo perfectus est, nisi ei et usus accedat, sapientia vero habitu sui perfecta est nec indiget vocis, id est, usus. Sufficit ei autem intra animos contineri. Usu ergo nihil consequitur. Et si quando concepta verbis voluerit indicare, non ideo sapiens sapientior fit, quia indicat sapienter; sed perfecta ac salva sapientia quiddam ei ad actus alios accedit. Ergo homines ex immanibus ac feris mites redditi et mansueti paullatim quoque honestum atque utile didicerunt. Sed quia de exordio eloquentiae loquitur, videamus utrum hoc sola sapientia fecerit, an sapientia, sed cum eloquentia. Primo itaque cognoscere debemus quot modis quid persuadeat sapientia. Et possumus intelligere multum hic eloquentiam valuisse. Sapientia igitur sola duobus modis aliquid persuadet: aut quum tacet et aliquid facit et id quod facit, quia bonum est, alter imitatur; id est, ut quidquid tacitus fecerit sapiens, id alter re, non verbis doctus imitetur: aut quum aliquid faciendum vel inficiendum verbis persuadet; et hoc duplici modo: nunc naturalibus verbis, nunc per eloquentiam. Hoc loco negat tacitam sapientiam hoc perficere potuisse, negat inopem dicendi, id est, quae verbis naturalibus uteretur; sed illam sapientiam, quae iuncta esset eloquentiae.

Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse] *Perficere*, inquit. Alioquin plenae sapientiae officium est invenire, ut supra: *Quo tempore quidam magnus videlicet et sapiens vir cognovit, quae materies et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere.* Ergo animum in hominibus esse sapientia cognovit. Ut congregarentur et in unamquamque rem utilem atque honestam inducerentur, sapientia quidem, sed eloquentia opitulante, perfecit.

A consuetudine subito converteret et ad diversas vitae rationes traduceret] Magna vis eloquentiae; subito convertit; et hoc est, quod non potest sapientia. Alioquin et sapientia perficit, sed non subito. Et quod ait, *ad diversas vitae rationes traducere*, ut supra diximus, difficile est cuilibet rei consuetudinem tollere: et hoc difficilius alias etiam vivendi persuadere rationes.

Age vero, urbibus constitutis] Ut supra quum de commodis eloquentiae loqueretur, hunc ordinem fecit, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias.

---

15. *hoc*] — *haec* St. Ald. Sed Cd. Bas. *hoc*. Or.

18. *fecerit*] Sic Cd. Bas. — *fecit* Edd. Or.

19. *vel inficiendum*] hoc est, *non faciendum*; sicut *infectum* dicitur τὸ *non factum*: sed, quod dissimulandum non est, Basileensis editio habet: *vel non faciendum*. Capp. (Scil. ex interpolatione. Ut nos, Cod. Bas. St. Ald. Or.)

27. *quae materies et*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *quae materia esset et* Capp. Infra idem recte. Or.

Et quamquam hinc homines ex immanibus primo aequales facti, post etiam obsequi ultro coeperint: supra dictum tamen ordinem servatum possumus invenire. Primo itaque beneficiis eloquentiae civitates factae sunt, ut ait supra, *multas urbes constitutas*. Civitas autem fieri dicitur, quum homines unum in locum congregantur ad iure vivendum.

Ut fidem colere] Hic bella restinguuntur. Si enim cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, quasi quaedam bella gerebantur. Quum ergo fides colitur, aut id agitur, ne sint bella, aut restinguuntur illa, quae fuerunt.

Et iustitiam retinere discerent] Iustitia omnis a nobis circa alios est, ut unicuique meritum proprium tribuamus. Potest tamen hic quasi societas custodiri. Iustis enim conditionibus societas facienda vel conservanda est.

Et aliis parere sua voluntate consuescerent] Iustitia aequales homines esse facit: hic iam et minores esse patiuntur sua etiam voluntate. Possunt tamen hic amicitiae copulari. Nostra enim voluntate nulli obsequimur, nisi amici fuerimus. Antea autem si viribus corporis cuncta agebantur, non sua voluntate quisquam alteri paruit, nec potuit amicus esse, qui cogebatur.

Ac non modo labores excipiendos communis commodi causa] Perfectum est, inquit, eloquentia, ut libenter omnes laborem pro publica salute susciperent ac non modo laborem susciperent, sed etiam vitam amitterent. Multum ergo egit eloquentia, ut illi vitam parvipenderent, qui iam dudum sibi victu fero vitam propagabant.

Qui tandem fieri potuit?] Quaeritur, utrum homines ad has rationes vivendi per naturam deducti sint, an praeceptis videantur adducti. Erat quidem in hominibus natura melior, sed oppressa corporis vitio ad malum declinaverat. Verum quia nihil uniformiter funditus exsistit, quin semper aliquid sit, quo intelligamus quid in ceteris desit: iste quidam magnus vir ac sapiens cognovit bonam in hominibus naturam multumque esse profuturam, si praeceptis melior esset effecta. Ergo omne quod perfectum est, natura et disciplina perfectum est. Sed quia iste primus vir disciplinam accipere non potuit, perfectus fuit natura et usu. Cognovit enim habitum suum; et diu secum pertractando, cognovit esse in hominibus bonam naturam, quae ut perfecta esse posset, praeceptorum adhibuit disciplinam. Ergo in hominibus fuit materies, id est, perfecta natura, quam perfectam praecepta fecerunt inventa per sapientiam, insinuata per eloquentiam.

Profecto nemo nisi gravi ac suavi, cet.] Quamquam natura fuerit apta ad perfectam vitam, tamen ipsam naturam praeceptis ait ad has vivendi rationes esse perductam.

Gravi, inquit, *ac suavi commotus oratione*] Gravitatem ad sapientiam, suavitatem ad eloquentiam referamus. Immo gravitatem ad sententias, suavitatem ad verborum ornamenta referamus.

---

6. *Hic bella*] Sic Cd. Bas., ut mox ter. — *hinc b.* Edd. *hic* malim etiam l. 1. Or.
21. *Perfectum est*] Sic Cd. Bas. — *perfecta inest* Edd. Or.
30. *iste quidam*] Sic Cd. Bas. — *iste quidem* Edd. Or.

Quum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere] Omnis res a simili vincitur: ut puta eloquens vincitur ab eo, qui eloquentior fuerit; fortis non vincitur, nisi ab eo, qui fortior fuerit; astutus non vincitur, nisi ab eo, qui astutior fuerit. Animadvertendum ergo acumen Ciceronis: Homines, inquit, fortissimi ad acqualitatem vivendi non fortitudine, qua solet vinci inferior fortitudo, sed eloquentia deducti sunt. Ergo supra omnes vires eloquentia est, sed quae sit mixta sapientiae.

Ut inter quos posset excellere, cum his se pateretur aequari] *Excellere*, viribus scilicet. *Cum his se pateretur aequari;* ita supra: *Non ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat.*

Et sua voluntate] Non coacti viribus corporis: sed in his iam fecerat eloquentiae persuasio voluntatem.

Ab iucundissima consuetudine recederet] Non dixit *a consuetudine recederet*, sed *ab iucundissima*, inquit. Omnium enim rerum etiam malarum apud gerentes iucundissima consuetudo est.

Quae praesertim iam naturae vim obtineret propter vetustatem] Ergo hominum natura bona est: sed malitia per consuetudinem naturae vicem coeperat obtinere.

Ac primo quidem sic et nata cet.] Satisfecit propositioni suae. Supra enim dixit: *Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum.* Ita et hic: *Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur.*

Et item postea maximis in rebus pacis et belli] Ostendit diu eloquentiam profuisse. Verum quod ait, *maximis in rebus;* ut supra: *Cognovit quae materies et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere:* ergo maximae res pax atque bellum.

Cum summis hominum utilitatibus] Cum illa scilicet utilitate, quae cum honestate est.

Postquam vero commoditas cet.] Omne perfectum bonum, id est, quo natura humanas res, nullo adiuncto incommodo, munerata est, duobus ad plenum constat; re ipsa, et specie atque imagine sui. Ut puta, mel habet rem, scilicet dulcedinem; habet speciem, id est, colorem atque aspectum, quo quasi facie, ita ut est, dulce credatur. Ita vir fortis habet rem, virtutem scilicet; habet speciem, id est pulchritudinem corporis. In distorta enim membra neque iuxta naturam sui competenter apposita virtus non potest cadere. Ut Virgilius et ceteri quoscunque fortes et pulchros etiam fuisse dixerunt. Sic vestis etiam habet rem, utilitatem texturae. Habet speciem, gratiam scilicet

---

16. *apud gerentes iucundissima consuetudo est*] In Basileensi editione legitur: *apud gerentes voluntate.* Capp.

21. *huius rei*] Sic Cd. Bas. — *eius rei*] Edd. Or.

26. *Verum quod*] Sic Cd. Bas. — *verum quidem.* Edd. Or.

36. *quo quasi facile*] Corruptum esse locum hunc existimo, et legendum: *quo quasi facie.* Capp. Recte; ideoque recepi. Or.

40. *ut Virg. et caeteri*] in Basileensi editione sic legitur: *ut Virbius* cet. Capper.

circa aspectum faciei. Ergo ille nescio quis magnus vir et sapiens et hi, qui postea consecuti accepta vitae praecepta tenuerunt, ut perfecti essent, habuerunt rem, id est, sapientiam: habuerunt speciem, id est, eloquentiam. Qui homines quoniam ex merito virtutis dignissima praemia consecuti sunt, id est, magistratus aut alias utilitates: multi, dum praemia sibi paria exoptant, re ignorata, speciem solam sequi coeperunt: id est, praeterita sapientia, solam dicendi copiam consecuti sunt. Praemiis itaque solis indita commoditas, re ignorata, speciem cöepit virtutis imitari. Atque ideo contigit, ut mali mores adepti copiam dicendi circa commoda rei publicae, sola eloquentia, omissa sapientia, sint abusi. Commoditas autem, id est, prava virtutis imitatrix, tertia illa est, honesto illi soli contraria.

Pervertere urbes et vitas hominum labefactare assuevit] Sic supra: *Bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus.* His duobus enim res publica conflata est.

Veri simillimum mihi videtur] Nunc de incommodis eloquentiae locus incipit. Quaeritur autem, quî fieri potuerit, ut eloquentia mixta sapientiae, quae congregavit homines, quae persuasit utile atque honestum, quae urbes constituit, iura docuit, quae multum hominibus profuit: ut eloquentia, inquam, mixta sapientiae coeperit obesse hominibus et civitatibus. Hoc scilicet fuit exordium malorum. Primum, urbibus constitutis, necesse est crevisse easdem civitates propria doctrina sive vicina multitudine: in his deinde non omnes sapientes atque eloquentes fuisse, sed paucos: quamquam omnes hanc habendi materiam continerent. Necesse ergo erat, ut auctis cumulatisque civitatibus, sapientes homines atque eloquentes rem publicam gubernarent ipsiusque tantum curam gererent: occupatisque circa rem publicam sapientibus, privatorum negotia callidi homines et dicaces agere ac tractare coeperunt. Et primum parvarum controversiarum, postremum fortunarum patroni fieri coeperunt. Qui quum interdum contra iustitiam malas causas defenderent, saepe etiam vincerent: coacti sunt sapientes illi, rei publicae intenti, civibus ac necessariis suis, resistere contra illos callidos ac disertos, qui assiduitate dicendi notissimi populo atque amicissimi esse coeperant. Itaque isti callidi quum contra illos sapientes viros dicerent, saepe pares, interdum superiores fuisse a populo iudicati sunt et digni haberi coeperunt, qui rem publicam gubernarent. Quibus postquam commissa res publica est, multa incommoda, multa naufragia contigerunt. Ita ergo factum est, ut eloquentia, quae primum profuerat, sed mixta sapientiae; post, sola, multum offecerit utilitatibus rei publicae. Ac quum per hos male eloquentes cuncta gererentur, sapientes illi deturbati, ea, quae gerere consueverant, scribere coeperunt; hique habiti sunt philosophi, et per hos factum est, ut usque ad nostram memoriam rerum honestarum memoria atque imitatio perveniret.

---

5. *utilitates*] — *dignitates* Cd. Bas. Or.
8. An *incita*? Or.
22. *necesse est*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *nec. erat* Capp. Or.
40. *gererentur*] Sic Cd. Bas. — *regerentur* Edd. Or.

Veri simillimum mihi videtur quodam tempore] Quoniam animo in praeteritis versatur multasque in mentem revocat facies rei publicae, confirmat opinionem suam: fuisse sine dubio tempus, quo res publica a sapientibus gubernata sit; privatorum negotia a callidissimis hominibus; qui postea pares sapientibus interdumque meliores a multitudine iudicati commissam sibi rem publicam pessum dederunt.

Nec vero ad privatas causas magnos ac disertos homines accedere] Ideo quia publica fuerunt anteponenda privatis, *magnos* ad sapientiam; *disertos* ad eloquentiam referamus.

Arbitror alios fuisse non incallidos homines] Callidi sunt, qui dolo ac fraude exitum virtutis imitantur.

Quum saepe a mendacio contra verum homines stare consuescerent] Multo melius res ipsas nominavit, quam si has in negotiis positas nominasset, ut puta, „quum saepe mendaci oratione contra veram causam stare consuescerent."

Itaque quum in dicendo saepe par] *In dicendo*, inquit. Ergo iam omissa est sapientia, si de sola dicendi copia iudicium est.

Nonnunquam etiam superior visus esset] Ostendit verum iudicium non fuisse, ubi vincere aliquis videtur potius, quam probatur.

Fiebat, ut et multitudinis et suo iudicio dignus, qui rem publicam gereret, videretur.] *Multitudinis*, inquit, *iudicio*. Iam in multitudine varietas ipsa vilis est. Quod autem ait, *suo iudicio*, hoc quoque irritum est. Quisnam aut de se potest aut debet habere iudicium? Ac postremum *dignus videretur*, ut supra: *Itaque quum in dicendo saepe par, nonnunquam etiam superior visus esset.*

Hinc nimirum non iniuria, quum ad gubernacula rei publicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant] In metaphora permansit; *gubernaculum* et *naufragia* utrumque navis. Negat ergo cuiquam debere mirum videri, rem publicam pessum datam, quum ad eius regimen accesserint homines temerarii atque audaces. Hoc autem interest inter audacem et temerarium: Audax potest interdum et pro bono accipi: temerarius non nisi malus. Audacia ergo duplex est. Nam et ille, qui in prosperis rebus temere aliquid aggreditur, audax est: et ille, qui provisis rationibus fortiter aliquid incipit, audax est. Quoniam ergo audacia duplicem frontem habet, hic praemisit temerarium, ut intelligeremus audacem. Temeritas enim et inconsiderantia causae sunt: harum eventus, audacia.

Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia] Omnis causa habet eventum suum, omnisque eventus causam. Ut puta, ignis quum in lignum immissus fuerit, idem lignum incendatur necesse est. Hic, ignis in lignum missus, causa est; causae vero eventus, incendium. Ita ergo eloquentia primo odium contraxit; iam ex odio, id est, ex causa, necesse est aliquis consequatur eventus. Ergo in-

8. *fuerunt*] Sic Cd. Bas. = *fuere* Edd. Ox.

24. *dignus videretur*] perperam legebatur antea, *dignius*. Nam et apud Ciceronem legitur *dignus*. Capp. (*Dignus* etiam Cd. Bas. St. Ald. Ox.)

36. *frontem*] — *sortem* Cd. Bas. Ox.

vidia consecuta est: plerumque enim ex odio invidia nascitur; plerumque, inquam. Nam alium habere potest eventum. Si enim hostem oderis, non invides, sed inimicus es. Si servum oderis, non invides, sed irasceris. Non ergo semper odii est eventus invidia. Sunt enim causae, quae interdum non necessarios eventus habent: ut si pugno percutias et occidas. Sunt item causae, quae necessarios habent eventus, ut ignis missus in stipulam faciat incendium necesse est.

Quibus rebus tantum odii atque invidiae suscepit eloquentia] Postquam, inquit, res publica ab insipientibus et dicacibus administrari coepit, sapientes illi eloquentiam odisse coeperunt: et omisso studio rei publicae privatim atque otiose ea, quae gerere in re publica non licebat, literis scriptisque exercere coeperunt. Atque ideo factum est, ut usque ad nostram memoriam recti atque honesti memoria perveniret.

Ut homines ingeniosissimi] Ingenium est vis quaedam naturaliter animis insita, suis viribus praevalens. In ingenio itaque et sapientia est et eloquentia; ut in his est, quos ingeniosissimos vocavit. Et in ingenio est sola eloquentia; ut supra: *Tum ingenio freta malitia.*

Hoc vero a plerisque eorum desertum obsolevisse] Absolute. *Hoc vero*, id est, status ille, quo in re publica sapientes atque eloquentes homines versabantur, omissus est atque in oblivionem redactus, illo praesertim tempore, quo rei publicae periculis maxime fuerat succurrendum: et hoc quasi per indignationem pronuntiandum. Quod vero ait *a plerisque*, recte dixit. Non enim omnes sapientes a re publica recesserunt. Nam Atheniensibus Solon leges scripsit: et quia norat multos esse in re publica corruptissimos, in exilium ultro profectus est. Scripsit iisdem Atheniensibus leges et Dracon, duorumque hominum legibus utuntur. Lycurgus Lacedaemonibus etiam leges scripsit. Non ergo omnes sapientes a re publica recesserunt; sed quia plerique recesserant, pauci reliqui facile aut cesserunt aut oppressi sunt.

Nam quo indignius rem honestissimam] Quando aliquid faciendum persuademus, ab honesto, ab utili, a possibili persuademus; interdum et necessarium ponimus. Iisdem praeceptis etiam illam rem, quae non sit facta, reprehendimus; ut hic Cicero conqueritur sapientes a re publica recessisse. Si quidem ut id non facerent, suberat honestas: *Nam quo indignius rem honestissimam et rectissimam violabat;* suberat utilitas: *summo cum rei publicae detrimento*; utique a re publica periculum submovere utile est; suberat possibilitas: *Stultorum*, inquit, *et improborum temeritas et audacia.* Facile enim stulti ac temerarii superantur.

---

12. *exercere*] Fortasse *exserere*. Or.
24. *dixit*] Sic Cd. Bas. — *dicit* Edd. Or.
28. *Lacedaemonibus*] — *Lacedaemonius* Ald. Or.
29. *leges scripsit*] seu potius *dedit*, *tradidit* cet. nam apud Lacedaemonios leges memoriae non scriptis mandabantur. vid. *Iustinianeas iuris institutiones paulo post initium.* Capp.
30. *recesserant*] Sic Cd. Bas. — *recesserunt* Edd. Or.

Eo studiosius et illis resistendum fuit et rei publicae consulendum] Hic quoque honestum atque utile servavit. Honestum est enim improbis resistere; utile rem publicam, in qua sis, habere defensam.

Quod nostrum illum non fugit Catonem] Nostrum, id est, Romanum. Nam reprehensio illa superior sapientum atque eloquentium de Graecorum principibus facta est, quod ii disertis ac dicacibus hominibus facile rem publicam cesserint: nunc vero venit ad Romanos, quos ostendit ita sapientes atque eloquentes fuisse, ut nunquam rem publicam deseruerint; neque quidquam illis tantum disertis concessisse. Quod quum facit, praeponit Graecis Romanos, seque per Romanos. Verum exempla quum proferimus, non unum aliquod, sed quam multa possumus, tamen cum decore proferre debemus: ut nunc Cicero commemorato Catone statim alios subiicit, simul quod in Romanorum laude unius hominis quamvis egregii non sufficit exemplum.

Quibus in hominibus erat summa virtus et summa virtute amplificata auctoritas: et quae his rebus ornamento et rei publicae praesidio esset, eloquentia] Virtutem in artibus semper sapientiam accipiamus. Verum sapiens atque eloquens habere debet illam, quae totam efficit auctoritatem. Itaque si accedat sapientia, amplificatur auctoritas. Si his duobus accesserit eloquentia, erit, qui haec potuerit habere, perfectus: ut hic maioribus nostris, Catoni, Laelio atque aliis tradidit sapientiam, auctoritatem, eloquentiam.

Quare meo quidem animo] Meminimus in hac praefatione quattuor *theseis* esse. Principalem illam, esse iungendam eloquentiae sapientiam. Secundam illam, non multum prodesse rei publicae solam sapientiam, tamen prodesse. Tertiam illam, nunquam omnino eloquentiam solam prodesse rei publicae, nimium obesse plerumque. Postea de origine eloquentiae disseruit et, quae eius circa actus natura fuerit, disputavit ostenditque, primo eloquentiam profuisse, sed quamdiu fuerit mixta sapientiae. Post, eandem eloquentiam repudiata sapientia maxima naufragia intulisse rei publicae magnumque exinde odium atque invidiam contraxisse. Ne quis ergo existimet eloquentiam semper esse fugiendam, quippe multa incommoda per hanc contigisse monstravit, necessario quarta haec *thesis* est, studendum eloquentiae, sed quae mixta sit sapientiae. Et est hic quasi exhortatio. In exhortatione vero deliberationis praecepta servantur. Tractatur utilitas, tractatur honestas, tractatur possibile. Utilitas porro duobus generibus comprehenditur; si mala repellamus, si prospera consequamur. Ergo hic tractat utilitatem ab utroque, et primo ut mala repellantur. *Sed eo vehementius,* inquit, *studendum est eloquentiae, ne mali magno cum detrimento bonorum et communi omnium pernicie plurimum possint.* Deinde quod bona consequuntur: *Quum praesertim,* inquit, *hoc unum sit,*

---

20. *illam, quae totam efficit auctoritatem*] In praecedenti editione post τὸ *efficit* apposita erat *hypostigme* hoc modo: *illam, quae totam efficit, auctoritatem.* Sed Basileensis editionis interpunctionem secuti sumus. Capp.

35. *quarta haec*] Sic Cd. Bas. = *haec quarta* Edd. Or.

43. *consequuntur*] Sic. Cd. Bas. — *consequantur* Edd. Or.

quod ad omnes res et publicas et privatas maxime pertineat. Postremo etiam ad solam privatam utilitatem descendit et ibi utile atque honestum ipsis nominibus signat. *Hoc tuta*, inquit, quod utile est; *hoc honesta*, *hoc illustris*, quod ex utili atque honesto est; *hoc eodem*, inquit, *vita iucunda fiet.* Magna exhortatio: si quidem inter studia utilitatis atque honestatis circa eloquentiam comparandam (quae quidem studia multum habent laboris) etiam vitam futuram dicit esse iucundam. Superest ergo possibile, ut ostendat, eloquentiam posse consequi: *si*, inquit, *eloquentia non solum natura neque exercitatione*, *sed etiam arte constat*, quoniam artem discere in nostra potestate est, possumus, inquit, eloquentiam consequi. In hac exhortatione est etiam *auxesis:* auget enim laudes eloquentiae. *Auxesis* porro duobus modis fit: ratione et comparatione. Auxit eloquentiam ratione, ubi ait, per hanc et publicas et privatas res administrari posse: per hanc, vitam tutam, honestam, illustrem, iucundam futuram: per hanc unum quemque rei publicae, sibi atque amicis prodesse posse. Auget vero eloquentiam comparatione, quum ait locutione sola fieri, ut beluis antecellamus, quum alias inferiores beluis simus, praeclarumque esse, si propter quod beluis praestas, hoc ipsis etiam hominibus antecellas; quod poterit fieri, si eloquens fueris. Nunc quoniam exhortationis atque *auxesis* praecepta monstravimus, ad interpretationem in his positae orationis redeamus.

Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiae studendum est]. Quarta illa *thesis:* studendum est eloquentiae, sed quae sit mixta sapientiae. Et verecunde, *Meo* (inquit) *animo*, ne quid sibi usurpasse videatur. Non dixit *eloquentiae studendum censeo.* Sed quod ait, *nihilo minus*, id est, quamquam multa incommoda attulerit rei publicae, tamen eloquentiae studendum est, sed ut ei sapientiam coniungamus.

Etsi ea quidam et privatim et publice perverse abutuntur] Magna exhortatio, quum ait: *Quidam*, ut, si pauci sunt, facile opprimi posse videantur. *Privatim et publice*] Res enim publica his duobus constat, hominibus et civitatibus.

Perverse abutuntur] Obest enim rei publicae, quod prodesse debebat.

Magno cum detrimento bonorum et communi omnium pernicie] Et hic optime exhortatur. Ne quis enim diceret, quid mea, si boni periclitantur? recte addidit: *et communi omnium pernicie.* Ergo studendum est eloquentiae, ne opprimamur.

Nam hinc ad rem publicam plurima commoda veniunt, *si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia*] Bene persuadet sapientiam iungendam esse eloquentiae: si quidem rerum omnium moderatrix est. Ergo multa, inquit, ad rem publicam commoda veniunt ex eloquentia vel sapientia. Sed quia multi propriis magis utilitatibus volunt esse consultum, recte subdidit: *Hinc ad ipsos*, *qui eam adepti sunt*, *laus*, *honos*, *dignitas confluit:* quae omnia et utilia sunt et honesta.

---

10. *Si . . . etiam arte constat*, *quoniam artem*] In praecedenti editione perperam interpungebatur: *Si . . . etiam arte constat. Quoniam* cet. Capp.

Hinc amicis quoque eorum certissimum ac tutissimum praesidium comparatur] Ostendit hic, quid agat orator: sapiens enim cum eloquentia negotia suscepta non deserit. Et inde fit, ut commodis amicorum deesse non possit. Ut ipse Cicero in Verrinis: *Et qui omne reliquum tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam.*

Ac mihi quidem videntur homines] Diximus supra *auxeseis* et ratione et comparatione fieri: hic comparatio est hominum et beluarum et inter se hominum.

Hoc si forte non natura modo neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur] Ut supra diximus, possibile hic tractatur, id est, posse ab hominibus per artem eloquentiam comprehendi. Necessario ergo prius, quam eloquentiae praecepta traderet, exhortatus est ab honesto, ab utili, a possibili et debere ab hominibus et posse eloquentiam comprehendi.

Sed ante, quam de praeceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis] Omnis ars duplex est, id est, duplicem faciem habet secundum praeceptum sententiamque Varronis; qui ait, *esse artem extrinsecus unam, aliam intrinsecus.* Ars extrinsecus talis est, quae nobis scientiam solam tradit; intrinsecus, quae ita dat scientiam, ut illud ipsum, quod scientia dat, quibus rationibus faciamus, ostendat. Ita illa ad scientiam solam proficit: haec ad scientiam, quae in actu sit. Ut puta si dicam: *Grammatica ars est gnara partium orationis, gnara syllabarum, gnara literarum; per hanc discimus omnia vitia devitare;* haec quum dico quumque per hanc vitari vitia dico, non tamen, quomodo vitentur, ostendo: artem illam extrinsecus doceo, per quam sola scientia discitur. Si autem dicam, quae sint partes orationis, quae syllabae, quae literae quibusque modis omnia illa constent, quo pacto vitia vitentur: tunc erit illa ars, cui est nomen intrinsecus: non quae ad scientiam nostram tantum proficit, sed quae in actu sit. Ergo et ars rhetorica duplex est; nam est extrinsecus et intrinsecus. Intrinsecus autem illa est, quae nobis ad actus praecepta artis insinuat. Extrinsecus porro, quae nobis, quid sit rhetorica, demonstrat; quam quum demonstraverit, scimus tantum, sed exercere non possumus. Hanc itaque artem extrinsecus, quae solam scientiam parit, quinque rebus Tullius ostendit, genere artis, officio, fine, materia, partibus. Ipse etiam ostendit se de ea arte, quae est extrinsecus, esse dicturum. Intrinsecus vero artem, quae nobis ad actus praecepta dat, interim differre; ait enim: *sed ante, quam de praeceptis oratoriis dicamus.*

Videtur dicendum de genere ipsius artis] Quoniam primo artis generi satisfaciendum est, quale genus rhetoricae artis sit, explicemus.

---

20. *talis est*] Sic Cd. Bas. — om. *talis* Edd. Or.

22. *illa ad scientiam solam proficit*] Perperam legebatur antea: *ad scientiam sola proficit.* Nam legendum esse *solam*, satis liquet ex sequentibus, ubi ait Victorinus: *artem illam, per quam sola scientia discitur; quae ad scientiam nostram tantum proficit; hanc artem, quae solam scientiam parit.* Adde quod paullo supra dixerat: *ars extrinsecus est, quae nobis scientiam solam tradit.* Capp.

31. *ergo et ars rhetorica*] Sic Cd. Bas. — *ergo rhetorica* Edd. Or.

Civilis quaedam ratio] Ut supra promisimus, de genere artis rhetoricae nobis dicendum est. Genus, hoc ipsum, quod sonat genus, vox est. Haec vox generis triplicem significantiam habet. Est genus, id est, patria, parentes, origo, sanguis; quomodo est illud: *Unde genus ducis?* Est item genus, sub quo multa similia ex eodem descendentia continentur. Ut animal genus; etiam homo, equus, piscis animalia: sed horum omnium genus, animal. Est tertium illud genus, quo cuiuslibet rei qualitas indicatur. Si dicas, cuius generis vestis, cuius generis factura. In hoc genere artem rhetoricam ponit, id est, qualis vel quanta sit, demonstrat. Et recte: si quidem ars genus est. Illud, sub quo genere artis, ars grammatica, ars dialectica, ars rhetorica. Sed istae omnes artes in genere qualitatis sunt ponendae, quo, quales vel quantae sint, demonstrantur. Ergo et rhetoricam in genere qualitatis ponit, quo, qualis vel quanta sit, demonstretur. Deinde debet attendere, ubi sit ars rhetorica, an sola sit, si par, si aequalis, minor maiorne sit. Atque ideo quia haec diligenter inspexit, rhetoricam civilis cuiusdam rationis partem dicit esse maiorem. Et quia ad genus artis rhetoricae descendimus, quae sit vel ubi sit, attendamus. Omnis patria quidquid agit, civilis ratio dicitur. Haec civilis ratio duplex est. Una, quae res certas sollemni cursu et sine ullo tumultu agit; et altera, quae in lite ac disceptatione versatur. Ut homo, quidquid agit, duobus modis agit, factis et dictis: ita civilis ratio est una in factis et dictis; sed quae facta et dicta in actu atque opere constituta sunt. Alia in factis et dictis: sed quae facta et dicta in iudicio vel quaestione versantur. Ita una illa ratio in actu est atque opere: hanc vero alteram civilem rationem, quae in quaestione versatur, scientiam nominavit. Hic enim docetur, quid iustum, quid utile, quid honestum sit. Haec rursus civilis ratio, id est, scientia in duobus est; in rhetorica, id est, artificiosa eloquentia et in sapientia, id est, rerum conceptione ex natura veniente. Sed quia orator plus per eloquentiam gerit, idcirco rhetoricam civilis rationis partem esse diximus: sed quia duplex est, cuiusdam rationis partem [dixit]. Nam et sibi et sapientiae ut genus exprimat, rhetoricam partem amplam magnamque esse confirmat.

Civilis quaedam ratio est, quae multis et magnis ex rebus constat.

---

8. *si dicas*] — *si sique dicas* Cd. Bas. Fortasse: *sic, si dicas.* Or.

22—24. *ita - - et dictis*] Exciderunt haec ex Edd. Capp. et Gar. Or.

31. *civilis rationis partem*] Editum antea fuerat: *civilis orationis;* verum legendum esse *rationis*, probari potest ex antecedentibus et sequentibus, ubi legitur: *civilis quaedam ratio est . . . rationem civilem in qua rhetoricam ponit.* Rano. (Habent *rationis* Cd. Bas. St. Ald. Or.)

Ibid. *partem esse diximus*] Legendum videtur: *partem esse dixit maiorem.* Nam paulo infra sic habet Victorinus: *eam in civili scientia partem dixit esse maiorem.* Rano. (?)

32. *partem dixit*] Verbum *dixit*, quod hic deerat, supplevimus ex editione Basileensi. Rano. (Necessarium non est, si in praecedd. legas *partem esse dixit maiorem.* Or.)

33. *et sibi et sapientiae ut genus exprimat*] Locus hic male affectus videtur. An sensus est? ut Cicero exprimeret, assignaret, attribueret sibi, id est, eloquentiae et sapientiae, Rhetoricam partem cet. Rano. (?) (Cd. Bas.: — *exprimit rhetoricae;* cetera, ut in Edd. Fortasse: *nam et civilis scientiae* cet. Or.)

Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia] Quum dicit, *quaedam ratio est*, ostendit duplicem esse: unam, quae in opere constituta est, alteram, quae in quaestionibus. Quam rationem civilem, in qua rhetoricam ponit, ut supra diximus, scientiam debemus intelligere. Et quod ait, *multis et magnis ex rebus constat;* notum est enim, quam crebris et de quam magnis rebus iudicia vel quaestiones habeantur. Parum ergo fuerat dixisse *multis ex rebus*, nisi addidisset *et magnis*.

Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia] Quum ait, *quaedam pars*, ostendit eloquentiam et scientiam ex duplici constare, id est, ex sapientia et artificiosa eloquentia: sed eloquentiam partem esse maiorem.

Et magna, inquit, *et ampla pars*] Magnum est, quod in cumulum sui et magnitudinem crescit; amplum, quod late patet et per multa diffunditur. Et ita supra: *quae multis et magnis*. *Magnum* ita ibi, ut hic posuit; *multum* vero ad amplitudinem referamus.

Magna et ampla pars, inquit, *artificiosa eloquentia*] Non eloquentia solum, sed artificiosa eloquentia, quae rhetorica vocetur.

Nam neque cum iis sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere] Diximus supra partem illam civilis rationis, quae in iudiciis versetur, scientiam vocari hancque ex duplici constare, sapientia scilicet et artificiosa eloquentia. Quare nunc se ab illis dissentire dicit, qui horum altero scientiam civilem constare dicunt.

Nam neque, inquit, *cum iis sentimus, qui civilem scientiam eloquentia non putant indigere*] Multi, inquit, dicunt, civilem scientiam sine eloquentia stare posse; cuncta enim per naturam, id est, per sapientiam facile posse cognosci. Multi autem dicunt civilem scientiam sola eloquentia constare posse: illudque esse iustum vel iniustum, quod eloquentia potuerit persuadere. Sed ego, inquit, ab utrisque dissentio. Nam civilis scientia et ex sapientia constat, qua cuncta sentimus: et ex eloquentia, qua id, quod sentire possumus, explicamus. Sed quia eloquentia posita in re publica facilius, quod fuerit aggressa, persuadet, idcirco eam in civili scientia partem dixit esse maiorem.

Et ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi et artificio contineri] Si ergo omnis scientia civilis sola rhetorica non potest contineri, rhetorica civilis scientiae pars est. Quod autem ait *rhetoris vi et artificio*, tale est, ac si dicatur: *Grammatica est gnara literarum; per hanc enim discimus omnia vitia vitare:* non dico tamen quomodo vitentur. Artem illam extrinsecus doceo, per quam solum vitentur, sed non quomodo. Si autem dicam, quae sint partes orationis, quae syllabae, quae literae quibus characteribus constent, quo pacto vitia vitentur: tunc erit illa ars, cui est nomen intrinsecus, non quae ad scientiam nostram tantum proficit, sed quae ad actus sit. Ergo et ars rhetorica duplex est. Nam est extrinsecus et intrinsecus. Intrinsecus autem illa est, quae nobis ad actus praecepta artis insinuat. Extrinsecus porro, quae nobis, quid sit rhetorica, demonstrat: quam quum demon-

6. *notum est enim*] — *notum etenim* Cd. Bas. Os.
27. *cognosci*] — *agnosci* Cd. Bas. Os.

straverit, scimus tantum, sed exercere non possumus. Haec itaque res, quae solam scientiam parit, vi et artificio continetur. Artificium est, quo ad aliquid citius faciendum per praecepta formamur. Nam id, quod artificio conficitur, vis est. Ergo hic *rhetoris vi* inquit (ostenditque, unde vis illa descendit) *et artificio contineri.*

Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis scientiae partem esse dicamus] Artificiosam eloquentiam facultatem oratoriam vocavit. Arte enim unius cuiusque rei facultatem consequimur: et haec eadem vis est, quae, ut supra diximus, ex arte colligitur.

Officium autem eius facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem: finis, persuadere dictione] Officium est unius cuiusque personae actus congruens secundum mores civitatis. Ergo officia pro personis diversa sunt. Aliud est enim officium patris, aliud amici, aliud, ut ad rem redeamus, artis oratoriae. Officia vero omnia ad finem spectant. Finis quoque ad officia refertur. Nam neque officium recte definiri potest sine admixtione finis: neque finis sine officii coniunctione, et hoc in omnibus personis ac rebus. Ut hic Cicero in definiendo oratoris officio finem nectit officio. Ait enim: *Officium autem eius facultatis videtur esse dicere apposite ad persuasionem.* Ergo officium oratoris est dicere: sed apposite ad persuasionem; ubi iam finis admixtio est, id est, persuasionis. Nam solum dicere non bene officium definit oratoris; potest enim esse multorum: nam et poëtae et philosophi dicunt. Itaque oratoris officium plenissime finis admixtione declaravit. Deinde finem oratoris officii ait esse persuadere. Sed non satis plene finem oratoris ostenderat, si solum *persuadere* posuisset. Nam persuadetur tabulis, tormentis, testibus multisque aliis rebus. Ergo ut finem proprium oratoris declararet, fini adiunxit officium. Ait enim: *Finis* est oratoris officii *persuadere dictione. Dictione*, inquit, quod est oratoris officium. *Ita*, inquit, *et medici officium est curare:* sed quia multi et incantatione et ligaturis curant, *curare* inquit; sed *apposite ad sanandum.* Ergo ut evidentius officium medici demonstraret, finem quoque iunxit officio, id est, curationi sanitatem. Deinde finis est medicinalis officii, inquit, sanare. Sed quia multi item sanant, addidit sanare curatione. Ita ergo semper officium et finis sine altero exprimi non possunt. Hanc tamen distantiam dicit esse inter officium et finem, ut in officio, quid agendum sit, in fine, quid complendum sit, considerare debeamus. Hic Marcomannus erravit, qui dixit finem oratoris officii non esse persuadere, nec finem medicinalis officii sanare: etenim saepe non persuadere oratorem et medicum non sanare contingit: ideo addidit: *Quatenus rerum conditio personarumque patiatur.* Sed non intellexit Ciceronem, qui finem in rebus ipsis posuit, non in eventu: id est, qui finem in officio constituit et in iis ipsis rebus, quae, dum in officio sunt, ad finem

11. *est enim*] Cd. Bas. — *enim est* Edd. Oa.
38. *Marcomannus*] antiquus Rhetor, quem laudant Fortunatianus lib. 1. et Sulpicius Victor, ubi de *Translatione* agit. Rahn.
41. *esse persuadere - - medicum non*] Exciderunt haec ex Ed. Capp. Oa.

tendunt. Quare et oratoris officii finem esse completum, si apposite ad persuasionem dicat: et medicinalis officii finem esse completum, si quidquid ad sanitatem spectare videtur, adhibuerit. Marcomannus itaque non in rebus finem, sed in eventu collocavit.

Materiam artis eam dicimus, cet.] Res interdum specialiter definimus, quum, quid sint, ab eisdem ipsis incipimus demonstrare: ut paullo ante definivit genus, officium, finem, in arte scilicet rhetorica. Interdum quo clarius rem definiamus, a genere incipimus eius rei, quam definimus: sed a genere, quod finitimum sit, non valde remotum, ut nunc Cicero, quum materiam artis rhetoricae demonstraturus sit, non a materiae definitione coepit, sed a materia artis. Primum autem genus est materia. Materia porro in duas species dividitur. Est enim materia artis, est non artis. Rursus materia artis dividitur in artes plurimas, grammaticam, dialecticam, rhetoricam aliasque multas. Ergo a materia artis, quae medio supra est, incipit, ut definiat materiam artis rhetoricae. *Materiam*, inquit, *artis*, ut genus esset, non addidit *rhetoricae*. Verum quod ait *eam dicimus*, ostendit artis omnem materiam in duobus esse, id est, in eo, ubi facit aliquid, et in eo, unde facit. Ut puta, fabri materia est in eo, ubi facit, id est, ferrum, quod tundit. Est item fabri materia in eo, unde facit, id est, malleus, quo tundit. Ita et medici materia est, ubi facit, morbus ac vulnera: item, unde facit, instrumenta, quibus curat. Sic et materia rhetoricae artis potest in eo esse, ubi facit, id est, in *deliberatione*, *demonstratione*, *iudiciali*. Potest et in eo esse, unde facit, id est, in argumentis, quaestionibus et in reliquis materiae necessariis. Verum Cicero generaliter materiam artis illam dicit, in qua omnis ars et facultas veniens ex arte versatur, id est, ubi fit, non unde fit: ut medici materia sit morbus ac vulnera: fabri ferrum, quod tundit: rursus rhetoricae artis materia sit *deliberatio*, *demonstratio*, *iudicialis*, non argumenta, et illa omnia, quibus materia rhetoricae artis impletur. Verum quod ait, *in qua omnis ars et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur;* quum accipimus alicuius rei artem, necesse est nos aliquid ex ea consequi. Quare id, quod ex arte conficitur, ut supra docuimus, facultas dicitur. Cuncta enim per artem facilius transiguntur.

Has autem res alii plures, alii pauciores existimaverunt] Eas res scilicet, in quibus materia artis rhetoricae consistit. Sunt autem, ut Aristoteli et Ciceroni placet, tres; id est, triplex materia, *demonstrativa*, *deliberativa*, *iudicialis*. Itaque quantum ad materiam rhetoricae artis spectat, hoc plenum est. Iam quidquid plus est, a pleno

---

15. *quae medio*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *quae in medio* Capp. Or.

24. *iudiciali*] Supple, *materia;* nam paullo infra sic habet Victorinus: *Cicero triplicem materiam esse dicit oratoris officii; demonstrativam*, *deliberativam*, *iudicialem*. Capp.

27. *fit - - fit*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *sit - - sit* Capp. Or.

29. *materia sit*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *m. si* Capp. Or.

Ibid. *demonstratio*, *iudicialis*] subauditur *materia*. In veteri editione pessime legebatur *demonstratio iudicialis* sine ulla distinctionis nota. Basileensis editio habet: *iudiciale*; quae lectio ferri etiam posset. Capp.

33. *conficitur*] — *conficimus* Cd. Bas. Or.

plus intelligitur. Quidquid minus a pleno, minus intelligitur. Verum quod plus est, dupliciter plus est, aut in eo, ubi modus est, aut in infinito. Et ideo addidit praeter illud, quod dixit, *alii plures existimaverunt.*

Nam Gorgias, inquit, *Leontinus*, *antiquissimus fere rhetor*, *omnibus de rebus oratorem optime posse dicere existimavit. Hic infinitam et immensam huic artificio materiam subiicere videtur*] Ergo illi, qui in pluribus rhetoricam materiam constituunt, exhortationem et consolationem in rerum generibus ponunt, id est, in materia rhetoricae. Sed quia orator in civili ratione versatur, consolatio porro privatorum est, consolari amici est potius quam oratoris. Deinde quia officium oratoris est persuadere dictione, exhortatio sive dehortatio ad materiam non pertinent oratoris. Quum enim exhortor, nihil persuadeo, sed volentem aliquid, ut magis velit, instigo: et quum dehortor, nolentem aliquid non tunc primum persuadeo, ut nolit, sed, ut magis nolit, instigo. Ergo necessario exhortationem et consolationem Tullius a materia rhetoricae artis separavit. Item illi, qui res pauciores rhetoricae materiae tribuunt, *demonstrationem* tollunt. Dicunt enim in *demonstratione* nihil persuadere oratorem (quum re vera persuadeat): sed falso. Nam quum aliquem vituperamus sive laudamus, ut apud omnes talis habeatur, qualem demonstramus, sine dubio persuademus. Ergo Cicero Aristotelem secutus triplicem materiam esse dicit oratoris officii; *demonstrativam*, *deliberativam*, *iudicialem.* [Duo ergo requiruntur ad materiam huius artis: primo, quod sit in publicis causis, per quod excludo consolationem et exhortationem; secundo, quod sit cum certarum personarum interpositione.] Sed has materias in publicis causis constituit iisque personas certas tribuit. Quare has tres res definivit in civili negotio positas cum certae significatione personae. *Demonstratio est*, inquit, *certae personae aut laus*, *aut vituperatio. Deliberatio est*, inquit, *quae posita in publicis causis assertionis suae sententiam dicit. Iudicialis est*, inquit, *quae in iudicio civili posita duo agit*, *aut accusat aut petit: contra*, *aut defendit aut negat.*

Nam Gorgias Leontinus antiquissimus fere rhetor] Hic oratorem dixit omnibus de rebus optime posse dicere: qui (ut videmus) a pleno excessit, non in id, quod habet modum, sed in infinitum. Denique hoc ipse Cicero ostendit: *Hic infinitam*, inquit, *et immensam huic artificio materiam subiicere videtur.*

Aristoteles autem, *qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit*] Duo, quae oratori maxime sunt necessaria, Aristoteles circa scribendam artem dedit, inventionem et elocutionem. Adiumentum enim de inventione venit: ornamentum, de elocutione. Hic ergo Aristotelis sententiam sequitur. Nam rhetoricae materiam triplicem constituit, *demonstrativam*, *deliberativam*, *iudicialem.*

---

25. *Duo ergo - - interpositione*] Habet haec Cd. Bas. Absunt ab Edd. Or.

31. *aut accusat*] in causa videlicet capitali, sive in materia, ut vulgo aiunt, *criminali.* Capp.

Ibid. *aut petit*] in materia pecuniaria, sive (ut aiunt) *civili.* Capp.

35. *excessit*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *excidit* Capp. Or.

42. *Hic*] Sic Cd. Bas. St. Ald — *his* Capp. Or.

Nam Hermagoras quidem nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur] Scimus Ciceronem materiam rhetoricae artis triplicem constituere: *iudicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*, hocque etiam Aristoteli placuisse. Quare superius reprehendit eos, qui oratori infinitam materiam constituerant: reprehendit eos, qui addiderant exhortationem et consolationem: reprehendit et eos, qui subtraxerant *demonstrationem*. Nunc Hermagoram, qui aeque artes scripsit, confutat ac lacerat, dicitque hunc vehementer errasse, quod materiam oratoris in duas partes dividat, in causam et quaestionem. Quorum unum dicit esse oratoris officii, causam scilicet: aliud longe ab oratore remotissimum et nec ab ipsis philosophis diligenter comprehensum, scilicet quaestionem.

Nam Hermagoras quidem nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur] Duobus modis reprehendit Hermagoram, quod non perspexerit rei illius vim, quae omnino longe remota est ab oratoris officio, id est, quaestionem: et quod videatur de se polliceri ea, quae oratori attribuit ad dicendum. Hoc quoque duobus modis reprehendit. Nam erravit, inquit, si non, quod omnis orator, sed quod ipse possit, ad materiam rhetoricae artis applicuit. Deinde, inquit, nec ipse potuit. Nam nunquam ex arte illum dixisse omnes videmus. Ergo quoniam duo diximus in Hermagora reprehendisse Ciceronem, quod rem non attenderit, quod multum de se videatur esse pollicitus: primo eum demonstrat, rem, quam oratori attribuerit, non vidisse. Sed ante quam id ostendamus, quid sit causa, quid quaestio, videamus.

Causam esse dicit rem, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione] Causam hanc, inquit, esse dicit controversiam in dicendi contentione positam cum certis personis. Quam, inquit, causam nos quoque oratori dicimus esse attributam. Nam huic, inquit, causae tria genera supponimus: *iudiciale*, *deliberativum*, *demonstrativum*. Quaestionem porro hanc esse dicit, controversiam quidem in dicendo positam, sed sine certis personis; quae scilicet rhetorica dictio vocatur. *Thesis* porro duplex est, *theoretice* et *practice*. *Theoretice* est, quae divina cognoscit: *practice*, quae in hominum negotiis et civili disceptatione versatur. Ergo primo asserit Hermagoram vim rei, quam oratori attribuat, non vidisse. Nam *thesin* oratoris materiam non esse persuadet. Quae quum duplex sit, *theoreticen* magis exaggerat; nec parvis aut levibus quaestionibus, sed infinitis: *Verine sint sensus*, *quae sit mundi for-*

5. *reprehendit eos*] — *placuit eos reprehendere* Cd. Bas. Or.

8. *qui aeque artes*] Sic Capp. Cfr. infra: *dixit aliquid esse in eius artibus* cet. — *quaeque artis* Cd. Bas. St. Ald. Or.

9. *in causam*] ὑπόθεσιν Graeci Rhetores vocant. Capp.

10. *quaestionem*] θέσιν Graeci solent appellare. Capp.

11. *aliud ab oratore remotissimum*] nam, ut infra dicet Victorinus, quaestionem seu *thesin theoreticen* ab oratore omnino removet Tullius. *practicen* autem *thesin* dicit ab oratore tractari; sed ut argumenti locum teneat, non materiae cet. Capp.

24. *causa*] ἡ ὑπόθεσις. Capp.

Ibid. *quaestio*] ἡ θέσις. Capp.

33. *theoretice*] *theorice* hic et infra Cd. Bas. St. Ald. Or.

ma, *quae sit solis magnitudo*. Sed quare et *practicen thesin* posuit, id est, *Ecquid sit bonum praeter honestatem? Thesin* quidem Cicero materiam oratoris esse non dicit, illamque *theoreticen* omnino removet. *Practicen* autem *thesin* dicit ab oratore tractari: sed ut argumenti locum teneat, non materiae. Ergo ita tollit oratori *practicen thesin*, ut materia eius non sit, liceat autem ei pro argumento proferre.

Ecquid sit bonum in vita praeter honestatem] Stoici dicunt honestatem solam bonum esse. Iam multi disputant, utrum et utilitas bonum sit, utrum et dignitas bonum sit.

Verine sint sensus] Ut Lucretius negat esse veros sensus odoris, visus, tactus, saporis, auditus.

Quae sit solis magnitudo] Utrum tantus sit, quantus videtur, an maior vel multo minor.

Quae sit mundi forma] Multi enim dicunt mundum in modum sphaerae esse collectum, multi oblonga rotunditate esse formatum, multi plana facie, multi quadrata, multi in camerae modum, scilicet ut sub terra non sit similis, ac supra caput est, mundi facies.

Quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas facile omnes intelligere existimamus] Bene ait, *ab oratoris officio remotas*. Oratoris est enim officium negotium civile tractare. Non tamen dixit ab oratore remotas. Potest enim orator postquam proprio officio satisfecerit, etiam philosophiae operam dare.

Nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intelligimus] Quando aliquid negamus aut tollimus, quare id facimus, demonstrare debemus. Ut nunc Cicero ab oratoris materia tollit *thesin* et probat se recte tollere. Nam, inquit, res illas, in quibus philosophi ingeniosissimi magno cum labore versati sunt, has oratori quasi parvas partes applicare, dementiae est; oratori scilicet, qui aegre suum quoque implet officium.

Quod si magnam in his Hermagoras habuisset facultatem] Ostendit iam Hermagoram, quod primum fuit, vim rei illius non vidisse, quam ad oratoris materiam quasi parum aliquid applicuerat. Nunc illud aliud tractat, *nec quid polliceatur, intelligere videtur*. Et ostendit primo non recte eum fecisse, si ex eo, quod ipse posset, in ceteros praecepta constituerit. *Quod si*, inquit, *magnam in his Hermagoras habuisset facultatem, studio et disciplina comparatam, videretur fretus sua scientia falsum quiddam constituisse de oratoris officio*. Deinde nihil illum potuisse confirmat; simulque illi et rhetoricam et philosophiam tollit. *Practice* enim rhetoricae est, *theoretice* philosophiae. *Nunc vero*, inquit, *ea vis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit*.

15. *mundi forma*] in Basileensi editione legitur *facies*. CAPP. *facies* etiam Cod. Bas. OR.

33. *quasi parum aliquid applicuerat*] Legere mallem *parvum*. Nam paullo supra dicebat: *has oratori quasi parvas partes applicare* cet. CAPP. Retinet *parum* etiam Cd. Bas. Sed recta utique est Capp. coni. OR.

41. *in homine*] Hermagora videlicet, ut constat ex sequentibus. CAPP.

Quod si magnam in his rebus Hermagoras habuisset facultatem studio et disciplina comparatam] Ostendit, quibus rebus facultatem totius scientiae consequamur: *studio*, inquit, *et disciplina*. Studium est animi consensus ad aliquid. Disciplina est praecepta, quibus acceptis id, quod desideramus, implemus; itaque studium in nobis est, praeceptum extra nos, sed ad nos.

Neque eo dico, quod ars eius, quam edidit, mihi mendosissime scripta videatur] *Ea vis est*, inquit, *in Hermagora, ut ei citius quivis adimat rhetoricam, quam philosophiam concedat. Sed non*, inquit, *ideo hoc dixi, quod mihi ars eius, quam edidit, mendosissime scripta videatur*. Iam quum ait *non mendosissime*, non negat *mendose*. Et quoniam dixit aliquid esse in eius artibus, quod sit probandum, quippe quae non mendosissime scriptae sunt, ait eum multa ex antiquis artibus collegisse, ut, si quid forte probabile est, alienum sit. Deinde quam astute ibi Hermagorae dat ingenium et diligentiam, ubi sibi de alienis multa conquirit: alioquin, ubi propria eius inventa perscribit, nihil illi horum dat, quin immo multa tollit, quum ait: *Et nonnihil ipse quoque novi protulisse*.

Verum oratori minimum est de arte loqui, quod hic fecit: multo maximum ex arte dicere, quod eum minime potuisse facere omnes videmus] Orator duo habere debet, ut artem tradat dicendi, ut ipse ex arte dicat: sed officium eius hoc verum est, ut ex arte dicat. Illud autem accidens, ut artem dicendi tradat, quod rhetoris officium solum est. Ergo non quidem mihi Hermagoras videtur mendosissime artes scripsisse: sed oratori maximum illud est, non ut artem tradat, quod rhetoris proprium est; sed ut ex arte dicat, quod oratori maxime est necessarium. Tollit ergo Hermagorae exercitationem ex arte dicendi: *Quod eum*, inquit, *minime potuisse omnes videmus. Minime*, inquit, *potuisse*. Nec hoc illi dat, ut quomodocunque potuerit. Ergo si nec sapiens fuit nec dicendi peritus, recte, nec quid dicat attendere nec quid polliceatur, intelligere videtur. Orator enim vir bonus esse debet et dicendi peritus. Deinde conclusio: quare convicta Hermagorae et refutata sententia superest, ut materiam rhetoricae illam, quae et Aristoteli placuit, constituamus triplicem; scilicet *iudicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*.

Partes autem hae sunt, quas plerique dixerunt] Meminimus de arte extrinsecus quinque res Ciceronem se spopondisse dicturum; de genere artis rhetoricae, de officio, de fine, de materia, de partibus. Itaque quoniam quattuor res explicatae sunt, hoc extremum est, ut de partibus disseramus. *Partes sunt hae*, inquit, *quas plerique dixerunt*. Multa Cicero ab aliis recte in artibus posita secutus est, ut paullo ante Aristotelis sententiam secutus triplicem materiam rhetoricae artis esse dixit; *iudicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*. Itaque et nunc *partes*, inquit, *quas plerique dixerunt*. Alii enim partes septem, multi quattuor, sed plerique quinque esse dixerunt. Eorum et sententiam Cicero secutus quinque partes esse confirmat.

---

5. *consequamur*] Sic Cd. Bas. — *consequatur* Edd. Or.
20. *facere* retinet h. l. etiam Cd. Bas. Or.

Inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio] Inventionem esse dicit ad negotii fidem aut verarum rerum aut veri similium excogitationem. Sed orator in veri similibus maxime versatur. Duo enim sunt genera argumentorum, necessarium et probabile. Necessarium veris in rebus est, probabile in veri similibus. Dispositionem dicit esse, ut inventa locis necessariis per ordinem disponamus. Elocutionem porro in duobus ponit, in idoneis verbis et in sententiis, scilicet ne in verbis singulis barbarismus sit, ne in pluribus soloecismus. Deinde sive verba sive sententias, ut competenter inventionibus dispositis applicemus. Memoriam vero illam esse dicit, ut circa inventiones retinendas argumenta vel verba firmiter concepta teneamus. Ergo dicentis haec memoria est, non legentis. Deinde pronuntiatio est, inquit, ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio; id est, ut rem magnam dicturus pompam et corporis vocisque perpendas, ut rem humilem dicturus, haec eadem moderatius ostentes. Pronuntiatio ergo in duobus est: in voce et in corpore. Corpus vero duo habet, motum sui et vultum, quo scilicet ad negotium composito saepe rebus addimus aut detrahimus dignitatem.

Nunc his rebus breviter constitutis, eas rationes, quibus ostendere possimus genus et officium et finem huiusce artis rhetoricae, in aliud tempus differemus] Iam quinque res, quas se de arte extrinsecus dicturum esse promiserat, exsecutus est. Ostendit enim, quod esset genus rhetoricae artis, quod officium, qui finis, quae materia, quae partes. Quibus omnibus cognitis, scimus tantum quid sint, nihil tamen nobis ad actus prosunt. Harum tres res semper in sola scientia sunt, id est, genus, officium, finis. Et ideo se alio tempore de his dicturum esse promittit: ad praecepta enim artis rhetoricae minime pertinent, ut ipse ait. Nam et verborum multorum indigent: quippe de his est longa disputatio et non tanto opere ad artis descriptionem et praecepta pertinent. Verum de duabus rebus dicturus est, de materia ac partibus, quae iam dudum, tantum ut sciremus quid essent, edocuit. Nunc in has praecepta dat, scilicet ut harum rerum non solum scientiam, sed etiam actus habeamus. Ergo ostendit eum, qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis ac partibus satis esse dicere. *Eum autem*, inquit, *qui artem rhetoricam scribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis ac partibus scribere oportere existimamus.*

Ac mihi quidem videtur coniuncte agendum de materia ac partibus] Recte ait *coniuncte agendum.* Partes enim sine materia esse non possunt. Nisi enim controversiam aut *deliberativam* aut *demonstrativam* aut *iudicialem* dicamus, quae materiae sunt: inventione,

---

17. *motum sui et vultum*] Perperam editum olim fuerat: *et multum.* Sed legendum esse *vultum* iam pridem conieceram, et in Basileensi editione sic haberi postea reperi. Capp. *Vultum* etiam Cod. Bas. Or.

32. *in has*] Sic scripsi coni.; ut est infra in Edd.: *in hanc praecepta dat.* Etsi ibi quoque Cd. Bas.: *in hac.* — *in his* Cod. Bas. et Edd. Or.

35. *eum, qui . . . scribat . . . satis esse dicere*] legendum videtur: *ei, qui . . . scribat . . . satis esse dicere.* Capp.

38. *coniuncte*] Sic Cd. Bas. — *coniunctim* Edd. Or.

dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione, quae partes sunt, uti non possumus. Coniuncte ergo agendum est de materia ac partibus. Itaque ostendit primo quod esset genus artis rhetoricae, quod officium, qui finis, quae materia, quae partes. Ex his tria in aliud tempus distulit, id est, genus, officium, finem; atque ideo de duobus reliquis, quae ad praecepta pertinent, se ait esse dicturum, de materia scilicet ac partibus. Partes porro quinque sunt: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio; harum solam inventionem in duobus libris tractat et in hanc praecepta tradit. Pauca etiam de elocutione commemorat. Reliqua vero ne contingit quidem, id est, dispositionem, memoriam, pronuntiationem. Ergo quoniam de sola inventione dicturus est et quia in omni causarum genere inventio plurimum valet, incipit de inventione tractare.

Omnis res, quae habet, cet.] Ut diximus, tractatus incipit inventionis. Et primum hoc debemus scire compendium, quod omnis inventio quinque locis constat. Debemus enim primo considerare, quae sit constitutio. Deinde simplexne sit causa, an duplex. Tertio, scripti, an rationis. Quarto, quae causae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum. Quinto, ut omnis causae partes nobiscum pertractemus. Deinde partes orationis, principium, narratio, divisio, confirmatio, reprehensio, confutatio, conclusio. Primum ergo, ut se ordo habet, de constitutione dicemus. Hoc tamen animadvertamus, quod Cicero hos quattuor status rationales *constitutiones* vocet atque hos semper in omnibus negotiis dicat esse principales, id est, *coniecturam*, *finem*, *qualitatem*, *translationem*. Hos ergo *constitutiones* appellavit; illos autem alios [quinque] *legales*, non *constitutiones*, sed *status* vocat: nec unquam horum aliquem principalem dicit esse posse. Sed ut originem *statuum* melius nosse possimus, formam similitudinis attendamus. Omnis constitutio sic est ut aspectus. Aut enim aliquid videre volumus, nec videmus: et est *coniectura*. Aut quum videmus aliquid, et quaerimus, quid sit: et est *finis*. Aut quum videmus, quid sit, et quaerimus, quale sit: et est *qualitas*. *Translatio* porro ab hac similitudine videtur esse remota. Igitur constitutionem esse dicit quaestionem, ex qua causa nascitur. Quaestio est vox intentionis et negationis, id est, *fecisti: non feci*, aut *iure feci*.

2. *uti non possumus. Coniuncte ergo agendum*] In veteri editione male interpunctum fuerat hoc modo: *uti non possumus coniuncte: ergo agendum.* Capp. (Recta distinctio est in Cd. Bas. St. et Ald.) Or.

18. *scripti, an rationis*] Alludit ad celeberrimam et primariam *statuum* divisionem in *νομικὸν legalem* et *λογικὸν rationalem.* Capp.

Ibid. *quae causae quaestio, quae ratio*] De his lege prolixe agentem Quintilianum Lib. 3. cap. XI. et Cassiodorum in sequentibus. Capp.

19. *omnis*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *omnes* Capp. Or.

25. *coniecturam*] quam quaestionem facti seu de facto solemus appellare. Capp.

Ibid. *finem*] *statum* quaestionis *definitivum* vulgo vocant. Capp.

27. *non constitutiones, sed status*] Graeci tamen *στάσιν* utrobique dicunt. Capp. (*alios legales* omisso v. *quinque* Cd. Bas. St. Ald. Or.)

33. *porro*] *vero* Cd. Bas. Or.

35. *intentionis*] Id est accusationis seu actionis, qua cuipiam crimen intenditur. Capp.

Ibid. *negationis*] depulsionem et deprecationem alias appellant. Capp.

In hac ergo quaestione semper sit necesse est constitutio. Causa vero est, quae nascitur ex quaestione, id est, an fecerit, an recte fecerit. Hoc tamen tenere debemus, quod a Cicerone et causa et quaestio ad eandem significantiam profertur, ut nunc causam pro quaestione, nunc quaestionem pro causa ponat. Itaque constitutio facile inveniri potest, si extremam partem *thematis* attendamus. In qua quum intentionem ex nostra persona proposuerimus, debemus attendere, quid ad intentionem competenter responderi possit: tunc in responsione constitutionem necesse est inveniri.

Omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam] Recte *in dictione ac disceptatione*. Sunt enim multae controversiae non dictione, ut opificum. Verum quod ait: *Quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam*, dictio potest esse *demonstrativa* materia; disceptatio vero *deliberativa* et *iudicialis*. Deinde dictio potest esse narrationis, ut ipse ait: *dicendo explananda sunt omnia*. Disceptatio vero quaestionis: ibi enim totius controversiae pugna versatur. Ergo quaecunque res posita in dictione ac disceptatione facit aliquam controversiam, necesse est habeat quaestionem, id est, constitutionem aut facti aut nominis aut generis aut actionis. Et primum rebus indicat quaestiones sive constitutiones. Post his dabit nomina, partim ex rebus sumpta, partim ex modo actionis. Itaque nunc rebus indicat constitutiones, quum ait in omni controversia aut facti aut nominis aut generis aut actionis quaestionem esse oportere. De his enim rebus sit quaecunque controversia necesse est. Sed ante quam nomina det constitutionibus, definit quid sit constitutio vel unde nascatur. *Quaestionem*, inquit, *ex qua nascitur causa, hanc constitutionem vocare debemus*. Quaestionem porro esse diximus vocem utriusque partis, id est, *fecisti: non feci;* vel *recte feci*. Causam vero illam, an iuste fecerit. [Vel] hoc etiam diximus, quod Cicero idem velit quaestionem esse, quod causam; et quod his circa eandem significantiam communiter utatur. Denique statim demonstrabit se his uti communiter.

Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur] Hic primam facit quaestionem. Deinde ubi ostendit, quid sit constitutio, ait:

Constitutio est prima conflictio causarum] Incipit constitutionibus nomina dare.

Quum facti, inquit, *controversia est*] Idem debemus facta intelligere, quod dicta. Ut enim utrum aliquid factum sit, quaeritur: ita et utrum aliquid dictum sit, potest quaeri. Quare huic constitutioni, quoniam incerta et non apparentia coniecturis vel suspicionibus indagantur, recte *coniecturae* nomen imposuit. Alii hanc constitutio-

---

12. *opificum*] — *operum* Cd. Bas. Or.

20. *nominis*] *statum* intellige definitivum, quem paulo supra *finem* dixit Capp.

Ibid. *generis*] *status* est, qui Rhetorum vulgo *qualitas* vocitatur. Hodie *quaestionem iuris* appellamus. Capp.

Ibid. *aut actionis*] *translationem* seu *translativum statum* innuit, de quo ut et de ceteris praecedentibus consulesis nostrum in Quintilianeas Institutiones Indicem. Capp.

30. *vel hoc*] ∞ om. *vel* Cd. Bas. Or.

nem *realem* vocaverunt, quod in ea quaeratur, utrum res, de qua agitur, facta esse videatur: alii *σταδιασμὸν* Graeco vocabulo quidem, quod in ea de incerto investigando maximum certamen habeatur. Unde et *stadium* dicitur, quod ibi exerceantur certamina. Sed Cicero constitutioni huic ex modo actionis nomen imposuit. In hac autem constitutione modus actionis hic est, quod res coniecturis quaeritur. Ideo ergo *coniecturam* vocavit.

Quum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur] Nominis, inquit, est controversia quum de facto constat, sed quaeritur, quo id factum nomine appelletur. Atque ideo quoniam facti vocabulum, pro necessitate suscepti negotii, nobis apposita definitione nudandum est, constitutio *definitiva* nominatur. Huic quoque constitutioni non ex re, sed ex modo actionis nomen imposuit. Res est enim huius constitutionis nominis ambiguitas: modus actionis est nominis definitio. Recte ergo huic constitutioni non ex re, sed ex modo actionis nomen imposuit.

Quum vero qualis res sit, cet.] Et supra ostendimus, quum de genere artis rhetoricae disputaremus, genus in triplici significatione consistere: esse genus sanguinem; esse genus, sub quo similia multa teneantur; esse genus qualitatis, id est, quo unius cuiusque rei qualitas indicetur. Ergo, inquit, quum et de facto et de nomine convenit, sed quaeritur, quale sit id, quod in iudicio versatur, quoniam de genere negotii controversia est, constitutio *generalis* vocatur, qualitas scilicet. Verum huic constitutioni non ex modo actionis, ut superioribus duabus et post quartae: sed ex re, id est, negotio nomen imposuit. Hic enim res illa est, quod de negotii genere vel qualitate quaeritur. Itaque ex re huic constitutioni nomen imposuit, ut generalis vocetur, id est, qualitas.

At quum, inquit, *causa ex eo pendet*, cet.] Quum, inquit, talis fuerit controversia, ut in hoc sit tota contentio, quum aut ab alio, non ab hoc nos accusari debere dicimus; aut non nos, sed alios accusari; aut non apud hos, sed illos; non hac lege, sed illa; non hoc crimine, sed illo; non hac poena, sed illa: quoniam in his omnibus de translatione actionis controversia est, constitutio *translativa* nominatur. Huic quoque constitutioni ex modo actionis nomen imposuit. Agitur enim, ut actio transferatur, aut in toto, ut: *Nullatenus tibi respondebo;* aut in parte, ut: *Respondebo, sed non in praesentiarum.* Verum quod ait, *non hoc crimine, sed illo;* nonne et in

---

1. *constitutionem realem*] Hic idem *status* ab Hermogene definitur *ἀδήλου πράγματος ἔλεγχος οὐσιώδης*, id est, *probatio substantialis seu de substantia et existentia incertae rei.* Capp.

2. *Alii σταδιασμόν*] Perperam legebatur hic olim *σταδιάζων*. Sed eam lectionem secutus sum, quam exhibet Basileensis editio Commentariorum in omnes Ciceronis libros *de arte Rhetorica.* Capp. (— *σταδιακὸν* St. Ald. — *stadiazon* Cd. Bas. Or.)

32. *apud hos*] Supple, *iudices.* Capp.

38. *aut in - - praesentiarum*] Haec, quae inserui e Cd. Bas., absunt ab Edd. Or.

fine quum quaeritur, utrum fur an sacrilegus sit, id quaeritur, quonam magis crimine accusandus sit? Sed hoc interest, quod in *fine* crimina utraque iunguntur. Non enim quum sacrilegum dico, furem nego. In *translatione* vero uno est accusandus crimine, sive illo, quod intendimus, sive illo, ad quod reus transferri postulat actionem.

Atque harum aliquam in omne causae genus] Sive, inquit, in *iudiciali*, sive in *deliberativa*, sive in *demonstratione* necesse est aut *coniecturalem* aut *definitivam* aut *generalem* aut *translativam* incidere constitutionem. Ubi, inquit, harum nulla fuerit inventa, ibi nulla est controversia. Quare nec causa esse iudicanda est. Si enim constitutio nulla est, unum latus recedat oportet. Id enim constat, quod utrinque latere concurrente fulcitur. Igitur si constitutio non erit, nec causa esse iudicanda est. Est enim *asystata* controversia.

Ac facti quidem controversia in omnia tempora potest distribui] Nunc postquam constitutiones et rebus et nominibus indicavit, ut has manifestius agnoscere possimus, iisdem statibus exempla supponit. *Ac facti quidem controversia*, inquit, *in omnia tempora dividitur*. Et supra diximus, quum de facto sit quaestio, *coniecturam* vocari. Ergo huic *coniecturae* tria tempora assignat, praeteritum, praesens, futurum. Quod quidem exemplis docet. Sed hoc scire debemus, nullam rem in iudicium, id est, in iudiciale genus, cadere posse nisi de praeterito. Omnia enim argumenta non de futuris, quae incerta sunt, sed de praeteritis colliguntur. Itaque *coniectura*, quamquam habeat tria tempora, tamen principalis esse non potest, nisi de praeterito sit. De praesenti vero vel de futuro incidere possunt post *statum* alium principalem. Ergo nec hanc *coniecturam* principalem esse posse credamus.

Bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani] In hoc themate demonstratio continetur. Nam describendi nobis sunt Fregellani, qui semper videbantur adversi. Itaque quod ait:

Si Karthaginem reliquerimus incolumem, num quid sit incommodi ad rem publicam perventurum] et hic *deliberativa* potest esse. Deliberat senatus, an Karthagini parcat. Ergo nihil in iudicium nisi de praeterito cadit.

Nominis controversia est quum de facto convenit, et quaeritur id, quod factum sit, quo nomine appelletur. Quo in genere necesse est, cet.] Nunc de *fine* tractat: *quum nominis*, inquit, *est*

---

1. *in fine*] Id est, in *statu definitivo*. Capp.

8. *generalem*] Hoc est, *statum qualitatis*, ut Rhetorum vulgus loqui amat. Capp. (Pro Edd. *finitivam* dedi e Cd. Bas. *definitivam*, ut est infra aliquoties. Or.)

11. *unum latus*] Intellige alteram litigantium partem. Capp.

Ibid. *constat*] συνίσταται, hoc est, consistere potest quoddam controversiae genus. Capp.

13. *asystata*] ἀσύστατος ζήτησις vel ἀσύστατον ζήτημα, ut loquitur Hermogenes in opusculo de *statibus*. Capp.

16. *agnoscere*] Sic Cd. Bas. — *cognoscere* Edd. Or.

30. *Itaque quod ait*] Sic Cd. Bas. — *Ita et quod ait* Edd. Or.

37. *de fine*] ὅρῳ, id est, definitione seu *statu definitivo*, qui saepe τοῦ *finis* nomine designatur apud Rhetores. Unde necessaria non est emendatio proposita a doctissimo Mailleio, qui legere malebat: *definitione*. Capp.

controversia, id est, quum quaeritur, quo id, quod factum est, nomine appelletur. Verum quum de nomine ambigitur, et de re necesse est ambigatur. Nomen enim rei est: res vero sine nomine nunquam est. Quare quum de nomine dubitatio est, de re quoque dubitetur necesse est. Ergo *definitivus status* huiusmodi est, quum de facto constat, et de re vel nomine controversia est. Inter factum enim et rem hoc interest: Res est certam sui formam et speciem circa cognitionem retinens. Ergo si species rei nota est, nomen quoque notum sit necesse est. Factum est confusum quiddam et incertum, hoc solo certum, quod scitur, quid factum est. Itaque in fine factum constat, sed res non constat. Et quia rei nomen semper adiunctum est, ideo de nomine controversia est. Quod, inquit, nomen breviter nobis definiendum est et contra atque adversarius dicat, describendum. Et dat exemplum:

Ut si quis sacrum ex privato surripuerit, utrum fur, an sacrilegus sit iudicandus] Factum constat. Nam sacrum ex privato constat esse sublatum. De nomine incertum est, utrum ille fur, an sacrilegus iudicetur. Quare definitionibus nostris nomen illi aliud, quam adversarii volunt, imponere debemus.

Definienda res erit verbis et breviter describenda] Ad unum quidem utrumque tendit. Sed quia multimodae sunt definitiones, videamus interim quid intersit inter definitionem et descriptionem. Definitio talis est: homo est animal rationale, bipes, risus capax. Descriptio vero talis est: homo est, qui rectum verticem rotundo capite attollit, cuius sunt sub collo humeri brachiaque demissa, et cetera in hunc modum, sed, ut ipse ait, breviter describenda. Ergo quoniam de fine tractavimus, nunc quoque quid tractetur de *qualitate*, videamus.

Generis est controversia, quum et quid factum sit, convenit] Tulit *coniecturam*. Deinde quum ait, *et quo id factum nomine appellari oporteat, constat;* tulit *finem*. Ergo superest, ut quale vel quantum sit id, quod factum est, videamus, et dat exemplum: *Utrum iustum, an iniustum sit: utrum utile, an inutile sit*. Quod quum quaeritur, non nomen rei, sed rei qualitas quaeritur, et ideo *qualitas* appellata est. Incipit Hermagoram reprehendere, qui *demonstrationem* et *deliberationem* sub *qualitate* constituerit.

Huic generi Hermagoras *partes quattuor supposuit*] Reprehendit (ut diximus) Hermagoram, quod *demonstrationem* et *deliberationem* sub *qualitate* posuerit: quum ipsa *qualitas*, id est, constitutio generalis, sub *deliberativa* et *demonstrativa* sit. De qua re in consequentibus latius disputabitur.

---

21. *tendit*] ∞ *intendit* Cd. Bas.

Ibid. *multimodae sunt definitiones*] Sic St. Ald. — *multi modi sunt definitionis* Cd. Bas. Capp. Tum Cd. Bas. St. Ald. *rectum* et St. Ald. *rotundo capite* pro Capp. *erectum* et *rotundo capitis*. Or.

29. *Tulit*] Id est semovit, exclusit a disputatione. Capp. Facilis esset emendatio *tollit*. Attamen etiam infra p. 44. l. 37. habes *tulit signa* pro *sustulit*. Or.

35. *demonstrationem*] Hoc est genus orationis *demonstrativum*. Capp.

Ibid. *deliberationem*] Id est genus orationis *deliberativum*, ut Rhetores loqui amant. Capp.

Quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum videtur] Ait grave Hermagorae peccatum se debere reprehendere, et id breviter, ne si, inquit, taceamus, quod primum est, Hermagorae artes approbare videamur, et quare eiusdem artes non simus secuti, causas dare nequeamus: deinde, inquit, ne si latissime Hermagorae peccatum persequi voluerimus, quod quidem est tertium, nostris, inquit, praeceptis moram videamur afferre. Sed, quod medium est, de peccato Hermagorae breviter disputabimus.

Si deliberatio et demonstratio] Quaestio haec est, quod non recte Hermagoras *deliberationem* et *demonstrationem* sub *qualitate* posuerit. Cicero ergo ait non recte *deliberationem* et *demonstrationem* sub *qualitate* positas, quia genera causarum sunt. Quodsi genera causarum esse Hermagoras fuerit confessus, sine dubio non haec debuit sub qualitate ponere; sin negaverit, docebit Cicero genera esse causarum. Igitur male Hermagoras *demonstrationem* et *deliberationem* sub *qualitate* collocavit. Ac primo per conditionalem quaestionem, id est, *hypotheticam* ingreditur propositionem. Ubicunque enim *si* est, sub quadam conditione propositio est. Si, inquit, hoc est: illud non est; hoc autem est: igitur illud non est. Ita et hic: *Si deliberatio*, inquit, et *demonstratio genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Genera autem causarum sunt.* Igitur generis causae partes esse non possunt. Et docet genera esse causarum. Primum igitur ponamus genus causae; secundum partes generis causae, id est, *coniecturam*, *finem*, *qualitatem*, *translationem*. Tertium sit illud quidquid *qualitati* subiicitur, ubi Hermagoras *deliberationem* et *demonstrationem* constituit. Ergo Cicero primum dicit *deliberationem* et *demonstrationem*, quia prima sunt, secunda esse non posse; quod si secunda non sunt, multo minus tertia esse posse; quod Hermagoras constituisse conspicitur. Itaque meminisse debemus Ciceronem de duobus tractare, id est, de primo et secundo, scilicet de genere causae et partibus generis. *Si*, inquit, *deliberatio et demonstratio genera sunt causarum, non recte partes generis causae possunt putari*, id est, constitutiones. Quod quum docet constitutiones esse non posse, multo magis videntur partes constitutionis esse non posse.

Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest: eidem genus esse et pars non potest] Aristoteles ait, res omnes, quae in dictis et factis et in omni mundo aguntur, decem esse; quarum rerum nomina ponemus. Prima *substantia* est: deinde *quantitas*, *qualitas*, *ad aliquid*, *ubi*, *quando*, *situs*, *habere*, *facere*, *pati*. Graecis autem vocabulis sic vocantur, *οὐσία*, *πόσον*, *ποιόν*, *πρός τι*, *ποῦ*, *πότε*, *κεῖσθαι*, *ἔχειν*, *ποιεῖν*, *πάσχειν*. Harum prima, ut diximus, substantia vocatur. Reliquae novem in substantia sunt, quae accidentes vocan-

---

4. *eiusdem*] — *easdem* Cd. Bas. Ob.
37. *decem esse*] Quas Logici *categorias* appellant. Capp.
39. *ad aliquid*] τὸ πρός τι, vulgo *relatio*. Capp.
Ibid. *habere*] In scholis dicitur *habitus*. Capp.
Ibid. *facere*, *pati*] *Actio* et *passio* dicuntur apud Scholasticos. Capp.
40. *πόσον*, *ποιόν*] ποσότης, ποιότης St. Ald.

tur. Ut puta, membrana substantia est. Accidunt autem ei crocum, scriptura, et cetera, quum interea et substantia res sit, et ea, quae accidunt, res sint. Nunc ad id, quo de nunc agitur, revertamur. *Eadem enim res*, inquit, *alii genus esse*, *alii pars potest*. Hîc rem substantiam [illam] ponamus: quae dum sola est, patet omnibus accidentibus. Sed quum ab uno accidenti fuerit occupata, iam in se accidens aliud non admittit. Ut puta, lana alba res est, sed substantia. Haec res patet multis accidentibus. Potest enim lana illa aut rosea fieri aut veneta aut nigra. Sed si colorem unum in se susceperit, iam in se colorem alium non admittit. Similiter et homo substantia est. Potest autem id, quod homo est, nunc servus esse, nunc dominus. Sed postquam dixeris dominum, in co, quod dominus est, esse et servus non potest. Aut quum dixero servum, in eo, quod servus est, et dominus esse non potest. Ita ergo et hîc *deliberatio* et *demonstratio* res est, sed illa substantia, quae quamdiu sola est, patet accidentibus, id est, generi causae et causae partibus. Ita quamdiu in incerto sunt, genus alii, alii partes esse possunt. Quum vero generis nomen acceperint, in eo, quod genus sunt, et partes esse non possunt. Hoc est, quod ait: *Eidem genus esse et pars non potest*. Ergo si genus generis pars esse non potest, multo minus partis generis partes putabuntur.

Deliberatio autem et demonstratio genera sunt causarum] Id, quod primo dubie proposuit, assumpsit sine dubitatione. Neque enim dicit, *si deliberatio;* sed, *deliberatio autem et demonstratio genera sunt causarum*. Et id triplici argumentatione convincit, scilicet *demonstrationem* et *deliberationem* genera esse causarum.

Nam aut nullum, inquit, *causae genus est*, *aut iudiciale solum*, *aut et iudiciale et demonstrativum et deliberativum*] Id est, aut nullum causae genus est aut unum aut tria. Duo enim propterea non dixit, quoniam *deliberatio* et *demonstratio*, quamquam inter se diversa sunt, simul tamen aut in generibus causae ponuntur et fiunt tria genera causae: aut simul tolluntur et remanet unum, id est, *iudiciale* solum. Ergo tollit duo, id est, nec unum esse nec nullum, ut id, quod reliquum est, approbetur. Nullum, inquit, causae genus esse non potest dicere: nam qui artes scribit multasque dicit esse causas, nullam non potest dicere. Tulit rem unam, deinde unum *iudiciale* solum esse non potest dicere: propterea quod et *deliberatio* et *demonstratio* genera sunt causarum; nam et inter se diversa sunt et ab *iudiciali* multum separata. Id porro, quod diversum est, tunc omnino diversum est, si inter se et rebus et exitu distet. Atque ut rationes ex similibus colligamus, res est lectio, exitus intellectus. Ergo haec tria genera causarum re inter se distant: aliud enim agitur in *demonstratione*, aliud in *deliberatione*, aliud in *iudiciali*. Rerum quoque exitus dis-

5. [*illam*] ∞ om. Cd. Bas. Or.
10. *colorem alium*] Perperam legebatur olim *aliud*. Capp. (*alium* recte Cd. Bas. St. Ald. Or.)
21. *putabuntur* = *putabimus* Cd. Bas. Or.
36. *Tulit*] Fort. *tollit*. Vide tamen supra ad p. 33. l. 29. Or.
43. *in iudiciali*] Supple, *materia*. Capp.

par est; nam *demonstrationis* finis est honestas, *deliberationis* utilitas, *iudicialis* aequitas. Quod si haec tria inter se et re et exitu distant, profecto genera causarum constitui debebunt. Non ergo recte *deliberationem* et *demonstrationem qualitatis* partes esse dixit. In his autem, quae hucusque disputavimus, videamus quinquepertitum syllogismum: ac primum quaestionem, de qua agitur, constituamus. Haec autem est quaestio, quod non recte Hermagoras *deliberationem* et *demonstrationem* sub *qualitate* posuerit. Si *deliberatio* et *demonstratio* genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Hoc primum est. *Eadem enim res alii genus esse, alii pars potest: eidem genus esse et pars non potest.* Hoc secundum est. *Deliberatio* autem et *demonstratio* genera sunt causarum. Hoc tertium est. *Nam aut nullum causae genus est, aut solum iudiciale, aut et iudiciale et deliberativum et demonstrativum.* Hoc quartum est. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera sint causarum. Haec conclusio est. Videamus ergo illum, quem promisimus, syllogismum quinquepertitum: Si *deliberatio* et *demonstratio* genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari. Haec propositio est. Et quia necesse est ex primi confessione secundum quoque in confessionem venire, propositio nobis approbanda atque adiungenda est; atque ideo Cicero approbat propositionem. *Eadem enim res*, inquit, *alii genus esse, alii pars potest: eidem genus esse et pars non potest.* Approbavit ergo propositionem. Rursus post approbatam propositionem illud, quod quasi dubie in propositione proposuerat, assumit hoc modo: *deliberatio autem et demonstratio genera sunt causarum.* Deinde approbat assumptionem, ut supra diximus, triplici argumentatione. *Nam aut nullum causae genus est, aut* iudiciale *solum, aut et* iudiciale, *et* demonstrativum, *et* deliberativum. Postremo tres adhibet conclusiones. Ubicunque enim *ergo* vel *igitur* est, conclusio sit necesse est. Prima igitur conclusio approbationis de *assumptione* est. Quid enim ait in *assumptionis* approbatione? *Nam aut nullum causae genus est, aut* iudiciale *solum, aut et* iudiciale, *et* demonstrativum, *et* deliberativum. Concludit ergo haec tria genera esse causarum: *Relinquitur ergo*, inquit, *ut omnia tria genera sint causarum.* Secunda conclusio propositionis est sive argumentationis eius. Quid enim argumentatur in propositione? *Si* deliberatio *et* demonstratio *genera sunt causarum, non possunt recte partes alicuius generis causae putari.* Concludit hoc ipsum: Deliberatio *igitur, et* demonstratio *non possunt recte partes alicuius generis causae putari.* Tertia autem conclusio quaestionis est. Quae enim quaestio est? Quod Hermagoras *deliberationem* et *demonstrationem* non recte sub qualitate constituit. Concludit itaque quaestionem: *Male igitur eas generalis constitutionis par-*

2. *iudicialis*] Subauditur *materiae* vel *hypotheseos* oratoriae. Capp.

19. *ex primi confessione*] ἐκ τῆς τοῦ πρώτου ὁμολογίας. Sic Cd. Bas. — *exprimi confessione* Edd. Or.

25. *quod quasi dubie in prop.*] Sic Cd. Bas. — *quod quasi in prop. dubie* Edd. Or.

tes esse dixit. Verum quum in primo syllogismo de duabus rebus tractaverit, de primo et secundo, id est, de genere et partibus generis: cur hic in tertia conclusione partis partium mentionem fecit, quod scilicet tertium est? Hoc primum sic excusatur, quod haec conclusio praeter syllogismum sit. Est enim quaestionis, quae extra syllogismum est, sed ex ea syllogismus. Deinde quod per hanc extremam conclusionem sensim descendit ad alium syllogismum, ubi hoc tractat, *deliberationem* et *demonstrationem*, quum partes generis esse non possint, multo magis partium partes esse non posse. Sed primum quam de eo syllogismo tractemus, ea, quae in eo obscura sunt, explicemus.

Pars autem causae constitutio est omnis] Disputasti quidem supra, o Cicero, *deliberationem* et *demonstrationem*, quia genera sint, partes generis esse non posse: non tamen ostendisti utrum constitutio pars generis sit, an ipsum genus: incertum est enim utrum *deliberatio* sub qualitate sit, an *qualitas* sub *deliberatione*. Doceas itaque oportet utrum pars, an genus sit constitutio. Haec ergo incidens quaestio est, utrum constitutio pars, an genus sit. Iam supra ostendit *deliberationem* et *demonstrationem* genera esse causarum, quod et inter se distent et ab *iudiciali* plurimum dissideant et suum quaeque habeant finem, quo referri debeant. Nunc ei docendum est, utrum constitutiones causarum partes sint: et sic argumentatur proposito themate, quid primum invenias; genus, an constitutionem. Utique primum necesse est agnoscas, utrum *deliberativa*, an *demonstrativa* controversia sit; tunc deinde quae sit constitutio. Ergo pars causae est constitutio omnis.

Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam accommodatur] Prius enim causa cognoscatur necesse est, deinde constitutio. Plus autem causam esse quam constitutionem sic etiam possumus agnoscere, quod in singulis causae generibus constitutiones variantur: causa enim omnium constitutionum capax est: verum quum causa et constitutio iuncta sibi esse videantur, tamen unum alteri prius fit. Omne enim, quod loquimur sive quod mente concipimus, aut simplex est aut coniunctum. Simplex est, quod non ad aliud attendit, ut *tabula*, *saxum* et reliqua huiusmodi. Coniunctum vero, ut de duobus unum prius habeat, quattuor modis fit: aut tempore aut loco aut ordine aut causa. Aetas quum in homine sit, tempore in ordinem secernitur. Si dicas *iuventus*, utique consideratione temporis iuventus ante senectutem est. Deinde loco iuncta secernuntur. Quum enim dicis *atrium*, ideo primum intelligis, quia consideras interiorem locum esse, ubi triclinium est. Ordine vero sic est: si, quum in eodem loco multi sedeamus, pro ordine sedentium nobis anteferamus. Causa au-

---

9. *esse posse*] In editione Basil. perperam legitur, *possunt*. Capp. (Dedi cum St. Ald. *multo magis — esse non posse* pro Capp. *multo minus - - esse posse*. Cd. autem Bas.: — *multo minus - - esse non posse*. Or.)

Ibid. *primum*] In editione Basil. legitur, *prius*. Capp. (Tum Cd. Bas. *de eodem*. Or.)

29. *agnoscere*] Sic Cd. Bas. — *cognoscere* Edd. Or.

40. *sic est: si, quum*] Cd. Bas. — *sic: quum* Edd. Or.

41. Utrum *anteferamur*, an *nos nobis anteferamus?* Or.

tem sic; de iis, quae iuncta sunt, unum prius efficitur: ut puta, *pater* et *filius* iuncta sibi sunt. Neque enim ante pater, quam filius nascatur; aut ante filius, quam ille sit pater. Sed quia filio ad nascendum pater causa est, idcirco ex causa pater filio praefertur. Ita hic in themate causa et constitutio coniuncta sunt: sed ut prior causa sit, causa efficitur. Ut constitutio enim nascatur, causa praecedit. Quod ipse ait:

Non enim causa ad constitutionem, sed constitutio ad causam accommodatur] Hic quoque advertamus syllogismum quadripertitum. Prima est enim propositio cum adiuncto: *Quod si generis causae partes non possunt recte putari, multo minus recte partis causae partes putabuntur.* Huic propositioni approbatio non fuit subiicienda. Manifestum est enim, si partes causae non sint, multo minus partis causae partes putari. Ergo incidit quaestio, utrum constitutio pars sit: et (ut supra docuimus) probat partem. Sed haec incidens quaestio non pertinet ad syllogismum: verum quia necessaria fuit, interiecta est. Deinde assumit illud, quod proposuerat. *Sed et* deliberatio *et* demonstratio *generis causae partes non possunt recte putari.* Et approbat assumptionem: *Quod ipsa sunt genera*, inquit. Postremo concludit propositionis secundam partem. Quid est enim in secunda parte propositionis? *Multo minus recte partis causae partes putabuntur.* Concludit hoc ipsum:

Multo igitur minus recte partis eius, quod hic dicit, partes putabuntur] Primae enim parti propositionis per incidentem quaestionem satisfecit. Quid est enim in prima parte propositionis? *Quod si generis causae partes non possunt recte putari.* Itaque ostendit generis causae partem esse constitutionem. Quadripertitus ergo est syllogismus. Est enim propositio, assumptio, approbatio assumptionis, conclusio. Quaestio vero incidens ad syllogismum minime pertinet.

Deinde si constitutio et ipsa et pars eius quaelibet, intentionis depulsio est: quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est] Omnis pars tunc plene pars est, si generis et nomen et definitionem recipiat; ut puta, *animal* genus est. Iam ex animali homo, equus, avis. Deinde ex avi corvus, cornix, aquila. Itaque haec omnia generis sui et nomen et definitionem recipere debebunt. Generis vero nomen quod est? Animal. Ergo et homo et equus et avis et corvus et cornix et aquila animalia dicuntur. Deinde generis definitio quae est, id est, animalis? Animal est corpus animatum. Itaque et homo et equus et avis et corvus et cornix et aquila corpus animatum est. Verum definitio a genere transit in species: specierum vero definitio in genus transire non potest. Non enim quum hominem definio, *homo est corpus animatum bipes:* iam quum dico *bipes*, ad generis definitionem pertinet: est enim animal et qua-

---

5. *ille*] Sic Cd. Bas. — *illi* Edd. Or.

19. *enim* additum e Cd. Bas. Or.

27. *approbatio assumptionis*] Perperam interpunctum fuerat: *approbatio, assumptionis conclusio.* Sed nostram interpungendi rationem satis probat, quod paulo supra legitur: *et approbat assumptionem.* Capp.

drupes. Itaque nunc accepta sumptione ad argumentationem Ciceronis redeamus. Et primo quaestionem, quae in contentione versatur, attendamus. Illa autem, ut supra diximus, quaestio est, quod *deliberatio* et *demonstratio* non recte sub qualitate sint positae. Supra id iam duabus argumentationibus vicit: quarum prima illa fuit, *deliberationem* et *demonstrationem*, si genera sint causarum, partes generis esse non posse. Et probavit genera esse causarum. Secunda vero argumentatio talis fuit quidem, si generis partes esse non possunt, multo magis partes partium esse non posse. Nunc tertiam affert argumentationem: *Si*, inquit, *constitutio et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est; quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est.* Ut supra diximus, omnis pars generis sui et nomen et definitionem debet recipere: genus hic autem constitutio est: sub constitutione quattuor constitutiones: sub qualitate *demonstratio*, *deliberatio*, *iuridicialis*, *negotialis*. Itaque videamus, an *deliberatio* et *demonstratio* generis nomen et definitionem recipiant: generis nomen est constitutio. Quod nomen tollit Cicero *demonstrationi* et *deliberationi*. Sed, ne dicat Hermagoras constitutiones dici posse, ostendit definitionem generis cadere non posse in *deliberationem* et *demonstrationem*: quod si definitio non cadit, nomen quoque cadere non debebit. Constitutionem autem sic definimus: *constitutio est intentionis depulsio.* Quam scilicet definitionem in *deliberatione* et *demonstratione* videmus esse non posse. Quod si *deliberatio* et *demonstratio* neque nomen constitutionis neque definitionem recipiunt; nec constitutiones sunt nec partes constitutionis. Ipsi autem placet *constitutionem intentionis depulsionem esse.* Et concedit ei alias definitiones. *Sive*, inquit, *constitutionem primam causae accusatoris confirmationem dicat, sive defensoris primam deprecationem*, necesse est *deliberationem* et *demonstrationem* neque constitutionem esse nec partem constitutionis. Hoc loco animadvertere debemus genus syllogismi, quod obscuritate sui et artificio colligatum syllogismis fere omnibus antecellit. Sic itaque iste colligitur syllogismus a primo ad secundum, a secundo ad tertium, a primo ad tertium. Primum enim et tertium simile esse medium facit, quod utrique coniungitur. Sed ut melius possit artificium Ciceronis intelligi, prius quaelibet similitudo facienda est. Ponamus itaque haec tria. *Victorinus docet*, unum sit. *Intelligis*, aliud sit. *Spem habes*, tertium sit. Itaque faciamus syllogismum a primo ad secundum: *Si Victorinus docet, intelligis.* Nunc a secundo ad tertium: *Si intelligis, spem habes.* Deinde a primo ad tertium: *Ergo si Victorinus docet, spem habes.* Primum enim et tertium, quod potest veri simile non videri, medio illo quasi quadam approbatione coniungitur. Hoc ergo

---

1. *sumptione*] Sic Cd. Bas. Fort. *assumptione*. — *similitudine* Edd. Or.
7. *fuit quidem, si*] Sic Ed. Ascens. 1508. — *fuit: quod si* Cett. Or.
29. *defensoris primam deprecationem*] Alias et quidem saepius dixit *aepulsionem*, nullo sensu discrimine. Capp.
36. *similitudo*] Hic quoque leg. videtur: *sumptio*. Or.
37. *sit - - sit - - sit*] Sic Cd. Bas. — *sic - - sic - - sic* Edd. Or.

et in Cicerone videamus. Primum hoc est: *Si constitutio et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est.* Secundum illud est: *Quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est.* Tertium hoc sit: *Deliberatio et demonstratio neque constitutio nec pars constitutionis est.* Nunc videamus syllogismum a primo ad secundum: *Si constitutio*, inquit, *et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est; quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est.* Deinde a secundo ad tertium: *At, si quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est; demonstratio et deliberatio neque constitutio nec pars constitutionis est.* Nunc a primo ad tertium: *Si igitur constitutio et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est:* deliberatio *et* demonstratio *neque constitutio neque pars constitutionis est.* Ergo a primo ad tertium conclusio est syllogismi. Denique Cicero, *Si igitur*, inquit, *constitutio.* Ubicunque enim *ergo* vel *igitur* ponitur, conclusio est argumenti.

Deinde coniecturalis causa non potest simul ex eadem parte eodem in genere et coniecturalis esse et definitiva] Aliud incipit argumentum, id est, quartum syllogismum, quod ostendit non recte sub qualitate *deliberationem* et *demonstrationem* positas. Quem syllogismum prius quam ostendamus, ea, quae in re sunt, ante videamus. *Deinde*, inquit, *coniecturalis causa.* Si, inquit, *coniecturam* per id, quod est, attendamus, nihil aliud inveniemus quam *coniecturam* solam: nec in eo, quod *coniectura* est, possumus *finem* intelligere. Rursus, inquit, si *finem* per se ipsum consideremus, nihil aliud quam *finem* inspiciemus. Nec in eo, quod *finis* est, possumus *translationem* intelligere. Ita ergo constitutiones singulae habent proprium suum, in quo positae genere commixtionem constitutionis alterius non admittunt. Male igitur, Hermagora, *deliberationem* et *demonstrationem* partes constitutionis, id est, qualitatis esse voluisti: quum *deliberatio* sive *demonstratio* per se consideratae non solae intelligi, sed omnes in se constitutiones continere possint.

Simul ex eadem parte, eodem in genere] Et supra legimus: *Pars autem causae est constitutio omnis.* Genus autem est constitutionis id, quod valet, quod se explet: id denique, quo una quaeque constitutio ab aliis constitutionibus segregatur. Pars autem communis potest esse cum multis. *Et omnino nulla constitutio nec pars constitutionis* cet.] Quoniam de *deliberatione* et *demonstratione* quaestio est, quae *deliberatio* et *demonstratio* partes constitutionis ab Hermagora ponuntur, recte, quum de solis constitutionibus loqueretur, partes etiam tetigit.

Et omnino, inquit, *nulla constitutio nec pars constitutionis potest simul et suam habere et alterius in se vim continere . . . . . . Altera autem assumpta, numerus constitutionum duplicatur, non vis constitutionis augetur*] Sapienter dixit. Multae enim constitutio-

4. *Tertium hoc sit: Deliberatio*] Sic Ed. Ascensiana 1508. — *tertium hoc: Si deliberatio* Cett. Or.

35. *quod se explet*] Sic Ascens. 1508. — *quod et explet* Cett. Or.

nes in causa esse possunt. Sed si plures sint, ad numerum constitutionum, non ad augendam vim alterius constitutionis accedunt.

At deliberativa causa simul ex eadem parte eodem in genere et coniecturalem *et* generalem *et* definitivam *et* translativam *solet habere constitutionem et unam aliquando et plures nonnunquam*] Quum, inquit, constet unam quamque constitutionem alteram in se non admittere, deliberativa ex eadem parte eodem in genere omnes solet recipere constitutiones. Ergo ipsa nec constitutio nec pars constitutionis est.

Simul ex eadem parte] *Deliberatio* enim pars causae est. Videamus nunc quadripertitum syllogismum. Proponit sic: primo specialiter, deinde generaliter. Specialiter sic: *Deinde* coniecturalis *causa non potest simul ex eadem parte eodem in genere et* coniecturalis *esse et* definitiva. Specialiter enim de *coniectura* proposuit. *Rursus nec* definitiva *causa potest ex eadem parte eodem in genere et* definitiva *esse et* translativa. Et hic specialiter de *fine* proposuit. Nunc proponit generaliter de omnibus constitutionibus et earum partibus: *Et omnino*, inquit, *nulla constitutio nec pars constitutionis potest simul et suam habere et alterius in se vim continere.* Hucusque proposuit. Deinde approbat propositionem: *Ideo*, inquit, *quod una quaeque ex se et ex sua natura simpliciter consideratur: altera assumpta numerus constitutionum duplicatur, non vis constitutionis augetur.* Post approbationem propositionis assumit quod sibi necessarium est: *At deliberativa*, inquit, *causa simul ex eadem parte eodem in genere et* coniecturalem *et* generalem *et* definitivam *et* translativam *continet constitutionem, et unam aliquando et plures nonnunquam.* Quod quoniam manifestum est et apertum omnibus, non fuit necesse approbare *assumptionem.* Sequitur ergo conclusio, quae duplex est. Prima ad id, quod assumptum est: *At deliberativa causa simul ex eadem parte eodem in genere* cet. *Ergo ipsa nec constitutio nec pars constitutionis est.* Secunda ad utrumque, quo de agitur. Pariter enim de *deliberatione* et *demonstratione* tractatur. *Genera* (inquit) *ergo, ut ante diximus, haec causarum putanda sunt, non partes alicuius constitutionis.*

Haec ergo constitutio, quam generalem *nominamus, partes videtur nobis duas habere*] Postquam docuit, *deliberationem* et *demonstrationem* non partes qualitatis, sed genera esse causarum; ad ipsius qualitatis descendit disputationem. Ac primo hanc in duas divida partes, in *iuridicialem* et *negotialem.* Quarum partium hoc compendium tenere debemus, quod *iuridicialis* semper de praeterito est, *negotialis* semper de futuro: quae tempora in ipsarum partium definitione videtur Cicero non declarasse. Ait enim:

---

4. *generalem*] Id est τὴν τῆς *qualitatis* constitutionem, στάσιν. Capp.

14. *proposuit*] Perperam legebatur antea, *proposui.* Capp. *proposuit* firmat Cd. Bas. Or.

16. *de fine*] Hoc est, *de statu definitivo.* Capp.

25. *et generalem*] Vide notas proxime superiores. Capp.

26. *et unam aliquando*] Male legebatur olim: *et unam aliquam* (Cod. Bas.), quod emendavimus ex ipso Cicerone. Capp.

40. *iuridicialis de praeterito* cet.] Vide ut Victoriniana Ciceronis interpre-

Iuridicialis est, in qua aequi et recti natura aut praemii aut poenae ratio quaeritur. Negotialis est, in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur: cui diligentiae praeesse apud nos iuris consulti existimantur] Hic omnino tempus quasi praeteritum non demonstrat: nisi quod magis futurum tempus videtur includere, quum ait: *praemii aut poenae ratio quaeritur.* Quo loco primum ostendendum est et poenam et praemium de praeterito esse posse. Nam et post supplicium de aliquo iniuste sumptum possunt nonnulli in iudicium vocari; et quod non recte praemio aliquem donaverint, possunt in iudicium vocari: ut Verres, qui supplicium sumpsit de civibus Romanis et anulo aureo scribam in concione donavit. Ergo praemii et poenae ratio potest de praeterito esse. Sed occurrit illud: Potest tamen praemii et poenae ratio etiam de futuro esse, ideoque in *iuridiciali* qualitate tempus praeteritum non recte definivit. Quum iam huic loco sic respondetur, quod dixerit *ratio:* ratio enim semper de praeterito est facto. De futuro autem quum quaeritur, ratiocinatio dicitur. Et est ibi tantum meriti ratio, quod meritum praeteritum est. Atque ita ratio nunquam nisi de praeterito est. Quum enim dicis, *petit praemium*, necesse est afferat meritum. Ita in eo, quod petit praemium, nulla ratio est. Sed quum ais eum mereri, tum ratio est, ex praeterito veniens. Ergo quum ait Cicero: Iuridicialis *est, in qua aequi et recti natura aut praemii aut poenae ratio quaeritur;* in eo, quod ait *ratio*, praeteritum tempus includit.

Iuridicialis] A iure. Aequi enim et recti ratio non nisi iure constat. Deinde,

Negotialis est, inquit, *in qua, quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur*] *Negotialis qualitas* talis est, quum aliquid generatim iure cautum ad speciem devocamus. Ut puta, *Viro forti praemium detur:* vir fortis petit inimici mortem. In eo, quod dicit, *Viro forti praemium;* dat quidem viro forti praemium, sed non etiam designat illud, fortis quod petit. Ergo in *negotiali qualitate* ex aequitate praecedentis iuris nova iura firmantur, id est, ut liceat id, quod in contentione versatur: et ideo de futuro est. Quod etiam iuris periti faciunt: qui, si forte id, quo de agitur, iure non cautum est, per interpretationem statuti iuris id etiam, quod in eodem iure nominatim non continetur, affirmant. Hoc est, quod ait:

Cui diligentiae praeesse apud nos iuris consulti existimantur] Hoc quoque tempus futurum demonstrat, quum ait: *quid iuris sit, consideratur.* Consideratio enim de incerto est, et quia iuris consideratio est, de futuro est.

Ac iuridicialis quidem ipsa in duas distribuitur partes, absolutam et assumptivam] *Negotialis qualitas* stat, nec aliquas ex se partes fundit. *Iuridicialis* vero in duas partes funditur, in *absolutam qualitatem* et *assumptivam.* Deinde hic quoque rerum compendium

---

tatio conciliare studeat Ciceronem cum Hermogene de *statibus iuridiciali* δικαιολογικῷ *et negotiali* πραγματικῷ. Capp.

13. *etiam*] Sic Cd. Bas. — *et* Edd. Or. 14. Fort.: *Cui iam hoc loco.* Bait.

21. *ex praeterito*] *ex praeteritis* Cd. Bas. Or.

tenere debemus, quod in *absoluta qualitate* factum ipsum iustum asserimus: in *assumptiva* vero qualitate non factum iustum, sed causam facti iustam fuisse contendimus. Itaque in *absoluta qualitate* aequi et recti natura quaeritur. In *assumptiva* vero praemii et poenae ratio quaeritur: quae *assumptiva* quattuor locis dividitur; *concessione*, *remotione criminis*, *relatione criminis*, *comparatione*. Verum hic quattuor horum locorum Cicero ordinem convertit. Nam a postremo, quod hic posuit, retrorsum versus ordo est. Etenim vim singularum defensionum considerare debemus. Primo hoc est innocentis hominis, ut dicat: *non feci.* Deinde, *feci; sed non sic vocatur.* Tertio *feci, et sic vocatur, sed iure feci.* Deinde hoc ipsum *iure feci*, aut licuisse sibi debebit ostendere: quae est *qualitas absoluta*: aut si non licuit, debet sibi extrinsecus assumere aliquid, quo id probet, quod iniuste factum videtur. Videamus nunc, quae sit de his quattuor *assumptionibus* fortior *assumptio.* Primo debet dicere, *feci; sed profui:* et probare plus se profuisse quam obfuisse, quae est *qualitas compensativa*, quam ideo Cicero comparationem vocat, quod comparetur id, quod in crimen vocatur, ad id, quo se reus profuisse dicit: quae *comparatio* semper in eodem facto est. Ut puta: *quidam muros civitatis dissipavit, hostes fugerunt; reus fit laesae rei publicae.* In eodem est *comparatio.* Nam quod muros deiecit, videtur laesisse rem publicam: et quia muros deiecit, hostes fugerunt, videtur profuisse rei publicae. Ergo hoc primum debet assumere, *Feci; sed profuit.* Deinde debet dicere, *Feci quidem; sed ut hoc facerem, ante provocatus sum;* id est, *feci; sed meruit.* Quae est *relatio* criminis. Tertio debet dicere, *Feci; sed alter me impulit ut facerem.* Quae est *remotio* criminis. Postremo si haec cuncta defecerint, id est, si ut hoc faceret, nec profuit nec iniuriam reddidit neque ab alio compulsus est; quoniam nihil est, quo se defendat, debebit factum fateri, sed veniam postulare, quae est *qualitas venialis*, quam *concessionem* Cicero vocavit. Hunc ergo ordinem Cicero hoc loco convertit, quem in posterioribus servat. Itaque *concessio* duas partes habet, *purgationem* et *deprecationem.* In *purgatione* tria sunt: imprudentia, casus, necessitas. Si haec non fuerint, *deprecatio* est: sed haec aut apud imperatorem aut apud populum. Itaque in *purgatione* factum conceditur, sed facientis animus excusatur. Hoc est, quod ait: *Quum factum conceditur, culpa removetur.* In *deprecatione* vero et factum et culpa conceditur, sed tamen venia deprecatur. Hoc est, quod ait: *Deprecatio est, quum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur, et tamen, ut ignoscatur, po-*

---

10. *non feci*] Qui *status* est *coniecturalis.* Capp.
Ibid. *sed non sic vocatur*] Et *status* est *definitivus.* Capp.
11. *sed iure feci*] Qui *status* dicitur *qualitatis absolutae.* Capp.
13. *extrinsecus assumere aliquid*] Qui *status* ideo vocatur *qualitatis assumptivae.* Capp.
Ibid. *id probet*] Sic Cd. Bas. — *hic probet* Edd. Mox: *profuit* Cd. Bas.; sed infra *profui.* Or.
18. *quo*] Ascens. — *quod* Cett. Or.
31. *Hunc*] Asc. — *hic* Cett. Or.

stulat. Haec ergo *deprecatio* non nisi aut apud imperatorem aut apud populum valet: apud iudices vacat.

Remotio criminis est, quum id crimen, quod infertur, ab se et ab sua culpa vi et potestate in alium reus removere conatur] *Remotionem* criminis hanc esse dicit, quum reus id, quod ei intenditur, ab se removet et in alium transfert; atque id duobus modis facit: si in alium aut causam aut factum transferat, seu ut id faceret, dicat alium coëgisse. Verum quod ait *factum*, potest hic quaestio moveri. Nam quum omnis *qualitas* facti confessionem teneat, cur hic factum non confitetur, sed in alium transferre conatur? denique nullus artium scriptor in hac *qualitate* facti translationem nominavit? Sed ideo, quia nullus intellexit. Nam factum sic a se removet, salva tamen confessione facti. Ut in hoc themate, quod Cicero in secundo libro posuit: Mancinus cum Numantinis foedus fecit iniussu populi ac senatus. Pulso eodem in exilium atque hostibus dedito, petitur ad poenam etiam ille, qui porcam tenuit. Contradicit. Nam hic et causam et factum in alium removet. Causam sic: *foedus non ego feci, sed Mancinus, qui aut debuit aut potuit.* Manet tamen facti prima illa confessio, quod porcam tenuit. Non enim potest negare a se porcam fuisse tentam. Ergo *remotio* criminis duobus modis constat; si aut causam in alium transferamus aut factum.

Relatio criminis est, quum ideo iure factum dicitur, quod alius ante iniuria lacessierit] *Relatio* criminis talis est, si in eo, quod fecimus, vicem nos reddidisse dicamus: ut puta, *occidi; quia ille me volebat occidere. Hoc ego feci, sed meruit.*

Comparatio est, quum aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum] Inter *comparationem* et *concessionem* hoc interest: quod in *comparatione* de eadem re *comparatio* est, ut supra diximus: *Dissipasti muros, laesisti rem publicam.* Contrá ille: *Dissipavi quidem muros, sed hostes fugerunt.* In eodem *comparatio* est, ut supra diximus: *Dissipasti muros*, id est, quod muri dissipati esse dicuntur. Ideo ait: *Quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.* Alioquin Verres, qui multa signa et vasa ex Sicilia sustulit et utitur hac defensione, quod a bellis tutam Siciliam reddiderit, non poterit dicere: *Ideo signa sustuli, ut defenderem provinciam.* Neque enim propterea tulit signa, ut provincia esset defensa. Itaque utitur *veniali statu*, id est, concessione per deprecationem. Ergo in *comparatione* id, quod intenditur, ideo a nobis factum dicere debemus, ut ex eo ipso bonum illud, quod contigit, fluxisse dicamus.

In quarta constitutione, quam translativam *nominamus, cuius constitutionis est controversia*] Et supra docuimus, quid in se *translatio* contineret; scilicet ut aut omnem *actionem* commutet aut aliqua

11. *nullus artium scriptor*] Supple *rhetoricarum*, vel *oratoriarum*. Capp.

12. Notandum maxime est, quod Victorinus hic docet de translatione facti. Id enim Ciceroni proprium est nec apud ceteros de vulgo artis oratoriae scriptores fere invenitur. Capp.

13. *in secundo libro*] Numero 30. Numeros maiores intellige; non minutos illos editionis Lambin. Capp.

ex parte debilitet. Hoc est, quod hîc ait: *Aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur.*

Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur] Inveniendi duo genera sunt. Unum tale, quum in medium proferimus id, quod erat, sed latebat. Aliud, quod quasi non erat, sed a nobis primis videtur inventum. Itaque de his Cicero leviorem inventionem dedit Hermagorae, scilicet, ut id, quod latuerat, in medium protulisse videatur. Hoc est, quod ait:

Non quo non usi sint ea veteres oratores saepe multi, sed quia non animadverterint artis scriptores eam superiores nec retulerint in numerum constitutionum] Ideo autem *translationem* multi scriptores inter constitutiones referre noluerunt, quod omnis constitutio *actionem* constituat, *translatio* autem id videatur agere, ne *actio* sit: sed Hermagoras recte hanc inter constitutiones posuit. Nam hoc ipsum, quod *actionem* commutat, *actio* est. Itaque *multi*, inquit, Hermagoram *reprehenderunt*, quod *translationem* inter constitutiones retulerit; sed invidia magis quam ex vero.

Et constitutiones quidem et earum partes exposuimus] Postquam, quid essent singulae constitutiones vel quid possent, docuit et earum partes, id est, qualitates exposuit, promittit se his constitutionibus exempla subditurum: sed tum, quum coeperint argumenta tractari, quae argumenta dilucidiora futura esse promittit, si iisdem argumentis in tempore exempla supponat. Hoc est, quod ait:

Nam argumentandi ratio dilucidior erit, quum et ad genus et ad exemplum causae statim poterit accommodari] Genera causarum scimus tria esse: *demonstrativum, deliberativum, iudiciale:* exempla vero causarum sunt themata scilicet.

Constitutione causae reperta, statim placet considerare, utrum causa sit simplex, an iuncta: et si iuncta erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta, an ex aliqua comparatione] Quoniam in his duobus libris Cicero nihil nisi de inventione tractat, idcirco per ordinem, quae sint invenienda, demonstrat. Postquam, inquit, constitutionem inveneris, considerare debebis causam, utrum simplex sit, an iuncta; id est, utrum de una re agatur, an de pluribus. Constitutio sic invenitur: *Occidisti: non occidi*, aut *iure occidi.* Causa vero haec est, *an occiderit, an iuste occiderit.* Ergo haec causa simplex an iuncta sit, considerare debemus. Deinde si iuncta, utrum ex pluribus quaestionibus, an ex aliqua comparatione. Ex pluribus quaestionibus causa iuncta est; ut in Verrinis accusatur Verres, quod multa furatus sit, quod cives Romanos necarit, quod peculatum commiserit. Itaque quando ex pluribus quaestionibus causa iuncta est, ipsae quaestiones inter se adversae sunt. Ex comparatione autem causa iuncta est, quum, quid potissimum faciendum sit, consideratur. Ut in *Divinatione* agitur, utrum Cicero accuset, an Caecilius. Sed quia comparandi duo modi sunt, *comparativus* et *superlativus*, idcirco ait:

9. *non quo*] Cd. Bas. — *non quia* Edd. Om.
22. *ac si his* Cd. Bas. Om.
29. *iuncta - - iuncta* Cd. Bas. — *coniuncta - - coniuncta* Edd. Om.

Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius aut quid potissimum sit, quaeritur] Verum his locis, quae tractabimus, ipse etiam Cicero perspicua exempla supponit.

Deinde considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia] Primo, inquit, constitutio invenienda est. Secundo, utrum causa sit simplex an iuncta. Tertio, in ratione an in scripto sit controversia. Scriptum non tantum leges accipiamus, sed et senatus consultum et testamentum et verba sola et multa huiusmodi. Huius scriptionis genera sunt quinque, ut ipse primum rebus, deinde nominibus indicavit; id est, primum *scriptum et voluntas*, secundum *leges contrariae*, tertium *ambiguitas*, quartum *collectio* sive *ratiocinatio*, quintum *definitio legalis*, ut est in Caeciniana.

Ratio est autem, quum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit] Ideo ait: *quum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit*, quoniam et ratio scriptionem habet, et scriptio rationem, sed cum auctoritate: quippe ex scripto, id est, ex testamento vel lege venientem. Ergo (inquit) ratio est, quum res, quae in contentione versatur, non in auctoritate legis, sed in argumentatione versatur.

Ac tum considerato genere causae] Reperto, inquit, genere materiae et constitutione, et causa utrum simplex an iuncta sit, et ipsa causa scripti an rationis habeat controversiam; deinde videndum est, quae sit *quaestio*, quae *ratio*, quae *iudicatio*, quod *firmamentum*. Verum de his tria praecipue sunt in omni causae genere perquirenda: *firmamentum* vero perraro adhibetur. Et si quando adhibetur, necesse est aut in themate sit aut in historia: alias *lemma* dicitur, id est, falsum argumentum. Ergo tria illa sine intermissione ubique inspicienda sunt; id est, *quaestio*, *ratio*, *iudicatio*. *Quaestio* est, quae nascitur ex constitutione, ut est illud: *Iurene occiderit*. *Ratio* est, quae facit controversiam: ut puta, *Occidi Clodium*, *pro-*

4. *in ratione, an in scripto*] Alludit ad vulgatam *statuum* divisionem in νομικόν, *legalem*, *et* λογικόν, *rationalem*. Vide Quintilian. Lib. 3. c. 6. Capp.

6. — *coniuncta* Cd. Bas. Or.

8. *verba sola*] Quae scilicet in scripturam non fuerint redacta. Capp.

9. *scriptionis*] Hoc est, controversiae in scripto positae, seu *status legalis*, ut Rhetorum vulgus loquitur. Capp.

10. *scriptum et voluntas*] Graecis περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας. Capp.

11. *leges contrariae*] ἀντινομία. Capp.

Ibid. *ambiguitas*] ἀμφιβολία. Capp.

Ibid. *collectio*] συλλογισμός. Capp.

12. *definitio legalis*] Non admittitur hic *status* a Rhetorum vulgo: vide tamen *Rhetorem* Herennianum, qui Tullio consentit. Capp.

13. *est autem* Cd. Bas. — *autem est* Edd. Or.

14. *omnis quaestio*] Perperam legebatur antea: *omnis oratio*. Sed veram lectionem ex ipso Tullio eruimus. Capp. Excidit hoc e Bas. Or.

16. *et ratio scriptionem habet, et scriptio rationem*] Legebatur olim (etiam in Bas.): *et oratio scriptionem habet, et scriptio orationem*. Sed hic agitur omnino de ratione et scriptione seu scripto. Capp.

18. *contentione* Cd. Bas. — *concione* Edd. Or.

27. *argumentum*] Vide paulo infra quidnam sit discriminis inter historiam, argumentum et fabulam. Capp.

pterea quod ille me voluit occidere. Infirmatio rationis est: *Etiam si te Clodius voluit occidere, tu tamen iure non occidisti. Iudicatio* est, Utrum quum Clodius voluerit occidere, iuste tamen a Milone occisus esse videatur. Cicero de Oreste exemplum dedit.

Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et aptissima ad iudicationem] Firmamentum, si verum sit, valde prodest, sed soli defensori. Accusator enim pro firmamento assertionem habet. Sed hoc, ut diximus, raro in causam cadit. Cuiusmodi autem sit firmamentum ipsum, Cicero docet.

Si velit Orestes dicere eiusmodi animum matri suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, cet. *Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperientur*] Quoniam omnis ratio de facto iam confesso est, idcirco in omnibus constitutionibus dicit iudicationem de infirmatione rationis fieri, praeterquam in *coniectura.* In *coniectura* enim facti nulla confessio est. Quare in *coniectura* eadem erit iudicatio, quae quaestio: *factum est; non est factum; factumne sit?*

Quot autem in causa constitutiones aut earum partes erunt] Qualitatis scilicet partes: reliquae enim constitutiones partes non habent. Ergo quot in causa constitutiones vel partes erunt, tot necesse erit inveniri quaestiones, rationes, iudicationes, firmamenta.

His omnibus in causa repertis, tum denique singulae partes totius causae considerandae sunt] Sub diversa significantia Cicero partes posuit. Aliae enim sunt partes oratoris officii; aliae partes qualitatis; aliae partes causae; aliae partes orationis. Itaque partes causae sunt, ut suscepto negotio per rerum ordinem ea, quae dicenda sunt, diligenter inspicias. Quod quum pertractaveris, id est, quum causae partes inspexeris; tum demum tibi ordinandae sunt partes orationis: Non enim, inquit, quia primum exordium est, sola primo erunt tibi consideranda principia et scribenda: sed considerato omni negotio, tunc apposite sumere exordium debebis.

Hae partes esse sex omnino nobis videntur] Multi enim quattuor esse dixerunt, id est, exordium, narrationem, quaestionem, epilogum. Cicero autem sex esse dicit, id est, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, conclusionem; *epilo-*

---

10. = *dicere Orestes - - ceteris quidem in* Cd. Bas. Or.

13. *reperientur*] Cd. Bas. — *reperiuntur* Edd. Or.

Ibid. *omnis ratio de facto iam confesso*] Cd. Bas. — *omnis de facto iam confessio* Edd. Or.

16. *in coniectura*] Hoc est, in *statu coniecturali;* ubi scilicet quaestio facti, ut aiunt, instituitur. Capp.

17. *factum est*] Supple, ait accusator. Capp.

Ibid. *non est factum*] Subauditur, ait reus aut ipsius defensor. Capp.

Ibid. *factumne sit*] Subintellige, huc tota redit quaestio simul et iudicatio. Capp.

33. *quaestionem*] In Basileensi quidem editione legitur, *quaestiones*, sed legendum mihi videtur *argumentationem.* Nam Isidorus in libro de arte Rhetorica sic habet: *Partes orationis in rhetorica arte quattuor sunt: exordium, narratio, argumentatio, conclusio.* Capp. Immo idem, quod Isidorus vocavit *argumentationem*, noster dixit *quaestionem.* Or.

gum scilicet: et recte *confirmationem* et *reprehensionem*. Hoc enim maximum est oratoris officium, ut argumenta sua primum asserat, deinde adversariorum dissolvat. Quare, inquit, quoniam primum exordium est, principio exordii praecepta trademus.

Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem] Optima definitio est, quae a genere incipit, deinde descendit ad speciem, postremo ita propria complectitur, ut excludat omnino id, quod cum aliis potest esse commune: ut hic sex partes orationis Cicero ponit. Orator porro duo agit; aut fidem facit aut animos commovet. Quare in quattuor illis mediis partibus fides fit, in narratione, in partitione, in confirmatione, in reprehensione. In exordio vero et epilogis animi commoventur. Itaque ut definiat exordium, a genere incipit: *Exordium est oratio*. Omnis enim pars oratio est. Deinde sic descendit ad speciem, [ita] ut excludat quattuor partes illas medias, quibus fides fit: *Animum*, inquit, *auditoris idonee comparans*. Sed quia et in epilogis animi comparantur, ita proprium complectitur, ut excludat etiam epilogos: *Ad reliquam*, inquit, *dictionem*. Ita ergo exordii plena definitio est: *Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem*. Verum quum aliquid fieri volumus, primum definire debemus, quid sit illud, quod fieri volumus, ut hic de exordio definivit, quid esset exordium. *Exordium est*, inquit, *oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem*. Deinde debemus definire, quid inde fiat, ut hic fecit:

Quod eveniet, inquit, *si eum benevolum*, *attentum*, *docilem fecerit*] Sed quia non bene aliquid facimus, nisi prius sciamus, ubi faciendum sit, prius ostendit, ubi faciendum sit, postremo quemadmodum faciendum sit. Ait ergo tunc nos optime exordiri, si causarum genera cognoscamus. Hoc est, ubi faciendum sit.

Genera causarum sunt quinque: *honestum*, *admirabile*, *humile*, *anceps*, *obscurum*] Hic quaestio nascitur: quum supra dixerit genera causarum tria esse, *demonstrativum*, *deliberativum*, *iudiciale*, cur hic rursus genera causarum quinque esse dixit? Verum haec quaestio occulta nimis ratione ac difficili disputatione dissolvitur. Animadvertere enim debemus, quid Cicero secutus sit. Res multae sunt: quarum una, substantia, reliquae, quae accidunt. Itaque quum substantiae acciderit una qualitas, potest et alia accidere, sed quae non sit in eodem genere, in quo prima qualitas fuit. Ut puta, si dicas: *Foliorum genera duo sunt*, *de membrana et de charta*. Hic folium substantia est. Accessit ei una qualitas de membrana et de charta.

---

2. *asserat*] Cod. Bas. — *afferat* Edd. Mox Cod. Bas. *in principio*. Or.

12. *et*] Cod. Bas. — *vel* Edd. Or.

22. *quid esset exordium*] Sic Cod. Bas. Omittunt *exordium* Edd. Or.

30. = *quinque sunt* Cd. Bas. Or.

Ib. *honestum*, *admirabile* cet.] Graeci Rhetores dicunt ἔνδοξον, παράδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, δυσπαρακολούθητον. Vide *Curium Fortunatianum* lib. 2. ubi de exordio. Capp.

36. *reliquae*, *quae accidunt*] Sic scripsi, quum Cd. Bas. Asc. St. Ald. habeant: *reliquae accidunt*. Capp.: — *reliquae accidentia*. Or.

Potest tamen eidem substantiae, id est, folio, alia qualitas accidere, quae non sit in eodem genere, in quo prima qualitas; si dicas: *Foliorum genera sunt tria: est oblongum, est latum, est quadratum.* Quare, si circa primam qualitatem numerus definitionis varietur, vitium est: sin autem in eadem substantia circa alias qualitates numerus definitionis varietur, non est vitium, ut hic ait primum: *causarum genera tria sunt;* causa hic substantia est, accidit ei una qualitas, ut sit *demonstrativum* genus, *deliberativum*, *iudiciale*. Deinde ait: *causarum genera quinque sunt.* Licet eadem sit substantia, alia tamen ei qualitas accidit. In *iudiciali* enim sive alio genere causae invenitur et honestum causae genus et admirabile et humile et anceps et obscurum. Ergo duplici hoc modo possumus intelligere; aut quod substantiae multae saepe accidunt qualitates; aut quod multae qualitates substantiales sunt: id est, quod eis qualitatibus possunt aliae accidere qualitates. Ut hic substantia est causa, accidit causae, ut sit *iudicialis*. Itaque *iudicialis* qualitas est. Rursus haec ipsa qualitas substantialis est. Nam accidit ei, ut habeat in se aut honestum causae genus aut admirabile aut humile aut anceps aut obscurum. Item in *deliberativo* genere causae vel *demonstrativo* potest hoc ipsum evenire. Quare nullus hic error est generis causarum circa definitionem numeri: si quidem substantiae nunc plures accidunt qualitates, ut supra docuimus; nunc multae sunt qualitates substantiales, id est, quibus possunt aliae incidere qualitates, quod similiter supra docuimus. Ergo quinque genera dixit esse causarum, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum: et definit genera ipsa.

Honestum, inquit, *causae genus est*, *cui statim sine oratione nostra auditoris favet animus*] Definitio nunc ex rebus ipsis, nunc ex eventu rerum colligitur. Has itaque definitiones Cicero non ex rebus ipsis, sed ex eventu rerum colligit: saepe enim honestis vel non honestis rumorum opinionibus abutimur. Et quia rumori facile creditur, pervenit autem rumor usque ad iudicem: orator porro apud iudicem agit; necessario non rei honestum sequi debet, sed opinionem, quae etiam iudici nota est. Ergo Cicero honestum causae genus non ex rebus definivit, sed ex eventu rerum, qui notus est iudici. *Honestum*, inquit, *causae genus est*, *cui statim sine oratione nostra favet auditoris animus.* Ergo si et statim et sine oratione nostra favet iudex, opinionem sequitur, id est, eventum rerum.

Admirabile est, *a quo est alienatus animus eorum*, *qui audituri sunt*] Et haec definitio de animis iudicum est. Admirabile est, inquit, causae genus, quum is defenditur, quem ob magnitudinem criminis defendi nullus posse credebat. Itaque hic iudices benevoli faciendi sunt.

---

5. *est latum*] ∞ *est longum* Cd. Bas. Or.
15. *substantia est causa*] Vide, ut τὸ *substantia* dicatur de rebus etiam moralibus, quae mera videntur accidentia, si φιλοσοφικῶς loquamur. Capp.
27. = *favet auditoris animus* Cd. Bas. Or.

Humile, quod negligitur ab auditore et non magno opere attendendum videtur] Humile causae genus est, si de re abiecta sit controversia. In hoc genere attenti auditores faciendi sunt. Haec quoque definitio de animis iudicum sumpta est.

Anceps, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa et honestatis et turpitudinis particeps] Haec definitio et ab ipsis rebus sumpta est. Verum anceps, inquit, causa duobus modis est, si aut iudicatio dubia sit aut inhonestissima materia: ut in Orestis themate, quia non una ratio est, iudicatio quoque fit dubia. *Occidisti. Iure occidi: nam illa patrem meum occidit. Etiam si patrem occidit, non iure a filio mater occisa est.* Iudicatio, an quum illa patrem occiderit, iuste a filio occisa videatur. Deinde potest et haec ratio esse: *Iure occidi; nam ut id facerem, Apollo respondit.* Infirmatio rationis: *Etiam si id Apollo respondit, non iuste a filio mater occisa est.* Iudicatio, an quum Apollo responderit, iuste mater a filio videatur occisa. Ergo in hoc themate iudicatio dubia est. Deinde fit anceps causae genus, si habeat in se causam et honestatis et turpitudinis [*participem*]. *Si lenonis filius fortiter faciat et praemium petat.* Honestum est, quod fortiter fecit: turpe, quod filius lenonis. In hoc quoque genere causae benevolentiam comparare debemus.

Obscurum, in quo aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicata est] Quod obscurum est, tribus modis semper obscurum est. Si aut is, qui enarrat, non intelligit; aut is, cui narratur, tardior est; aut si res ipsa perplexa est. Verum hic duo posuit. Superfluum enim fuerat, quum de oratore hic perfecto loquatur, si aliquid de eius imprudentia diceret. Hic itaque iudices dociles facere debemus. Ergo ostendit primum quid esset exordium: Animorum, inquit, commotio. Deinde ostendit quid inde fiat: aut attentus aut docilis aut benevolus. Deinde ubi fiat, id est, in generibus quinque causarum. Et ostendit, quae essent genera. Nunc per quid faciendum, id est, per principium et insinuationem. Utique breviter quid in hac lectione contineatur, explicabimus.

Exordium, inquit, *in duo dividitur, in principium et insinuationem*] Horum duorum hanc differentiam teneamus, quod in principio aperte, et (ut ipse ait) protinus iudices nobis aut attentos aut dociles aut benevolos comparamus: in insinuatione vero occulte et quibusdam circuitionibus. Hoc quoque compendium tenere debemus, quod in omnibus causae generibus principio nobis utendum est: in admirabili vero nunc insinuatione, nunc principio. Principio tunc, si auditores non omnino erunt alienati: insinuatione tunc, si vehementer erunt alienati.

Benevolentia quattuor ex locis comparatur. Ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, ab ipsa causa] Benevolos,

---

17. *et honestatis et turpitudinis participem*] Hoc vocabulum *participem*, quod in editis deerat, supplevimus ex ipso Ciceronis loco paulo supra relato. Capp. (Abest etiam a Cod. Bas. Or.)

31. *Utique*] Cd. Bas. — *itaque* Edd. Or.

31. *teneamus, quod in*] Cd. Bas. — om. *quod* Edd. Or.

inquit, iudices a quattuor locis facere debemus vel possumus; a nostra persona, ab adversariorum, a iudicum, ab ipsa causa. Rursus a nostra persona quattuor ex locis benevolentiam iudicis possumus comparare: *Si de nostris*, inquit, *factis et officiis sine arrogantia dicemus*. Plena enim gloria in his duobus est, in factis et officiis. Officium est, quod ex legibus vel ex natura necesse est nos implere. Factum vero est, quod supra, quam debemus, praestamus. Ergo si de nostris factis et officiis, sed sine arrogantia dicemus. Deinde, *si crimina*, inquit, *illata et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus;* id est, si ea, quae ad deformationem personae nostrae praeter *iudicialem* quaestionem fuerint obiecta, diluemus. Deinde si aliquid futurum mali praedicemus, quomodo ipse Cicero: *Moneo, praedico, ante denuntio.* Postremo a nostra persona benevolentiam comparamus: Si, inquit, pro nobis supplici utamur oratione. Deinde ab adversariorum persona, tribus ex locis benevolentiam iudicis comparamus, si eos aut in odium aut in contemptionem aut in invidiam deduxerimus. In odium sic: Si eorum turpia vel crudelia facta proferamus. In invidiam sic: Si eorum potentiam, gratiam, pecuniam proferamus. Et quoniam haec interdum non modo non crimini, sed etiam decori sunt; recte addidit horum omnium usum arrogantem; multae enim res per se malae sunt: multae, quum sint mediae, ex eventu bonae vel malae fiunt. Deinde in contemptionem sic adversarios adducimus, si eos contemnendos esse dicamus, quod aut negligentes sint aut ignavi. Ab iudicum persona vero duobus ex locis benevolentiam comparamus: si eorum bene gesta sine adulatione proferamus et si dicamus praesentis iudicii magnam esse exspectationem. Postremo ab ipso negotio duobus ex locis benevolentiam comparamus: si nostram causam laudando extollamus, adversariorum vituperando deprimamus.

Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse] Nunc docet quemadmodum attentos iudices facere debeamus: Attentos, inquit, iudices faciemus, si nos magna promittamus dicturos esse, ut ait Virgilius: *Maius opus moveo.* Deinde si nova nos dicturos esse dicamus. Interdum enim etiam si magna non sit res, tamen nova animos auditorum facit attentos. Postremo si incredibilia; necessario etenim attente audiendum est, quod vix posse credi promitto. Deinde si haec, inquit, *magna, nova, incredibilia* dicamus nunc *ad omnes pertinere;* ut saepe Cicero ait, de quo agitur, non ad solum reum, sed ad omnium fortunas pertinere: nunc *ad eos, qui audiunt;* ut Cicero saepe ait, hoc ideo agi, ut a iudicibus iudicia transferantur: nunc *ad aliquos illustres;* si dicamus rem istam ad sacerdotes, ad senatores vel alios huiusmodi pertinere; nunc *ad deos immortales;* ut Cicero de domo sua dicit, Rem ad deos pertinere, ne ipsi Ciceronem domo expulisse videantur: nunc *ad summam rem publicam pertinere.* Ergo his omnibus attentos

---

31. *erimus*] — *sumus* Cd. Bas Or.
43 *dicit*] — *dixit* Cd. Bas. Or.

iudices facimus. Nec non, inquit, etiam tunc attentos iudices facimus, quum nos breviter dicturos esse promittimus. Et ne mentiri nos iudices putent, quod breviter nos dicturos esse promittimus, *exponere*, inquit, *debemus iudicationem aut iudicationes, si plures erunt*. Deinde ostendit, quo pacto dociles auditores facere debeamus: Si, inquit, in principiis ea, quae sunt nobis dicenda, ponamus, ut nobis iudices ad cognoscendum negotium comparemus. Praeterea, inquit, quum dociles iudices facimus, simul attentos indices facere debemus. Ita ipse Cicero in Cluentiana facit dociles iudices, quum ait: *Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes*. Deinde facit attentos, quum ait: *Quarum altera mihi niti et magno opere confidere videbatur invidia inveterata iudicii Iuniani*, cet. Tunc etenim, inquit, iudex melius docilis fiet, si et attentus fuerit effectus. Haec de principiis; nunc nobis de insinuatione dicendum est.

Insinuatione igitur utendum est, quum admirabile genus causae est] Diximus principiorum triplicem esse finem; scilicet, ut aut benevolos iudices aut attentos aut dociles faciamus. Idem nobis et in insinuatione faciendum est: sed hoc interest, quod in principiis hoc aperte facimus; in insinuatione occulte et quibusdam circuitionibus; nec in alio causae genere nisi in admirabili, tunc quum animi iudicum erunt vehementer offensi. Ergo, inquit, insinuatione tunc erit nobis utendum, quum animi iudicum fuerint offensi. Et ostendit, quibus rebus offensos iudicum animos possimus agnoscere. Prius enim vulnus inspiciendum est; sic apponenda medicina: Tribus, inquit, vel maxime causis animi iudicum offenduntur. Verum quum ait *maxime*, ostendit et aliis causis offendi iudices, sed his plerumque: si aut in negotio ipso inest aliqua turpitudo, ut res ipsa praeter personas aut iudicis aut agentis pariat offensionem; aut si iam aliquid iudicibus ab iis, qui primum dixerunt, persuasum videtur, et ideo is, qui post dicturus est, non libenter auditur; aut si illi, qui audituri sunt, alios audiendo coeperint esse offensi. Quare, quum haec animadverteris, singula hac dicendi arte sanabis.

Si causae turpitudo contrahet offensionem] Duobus modis causa contrahit turpitudinem. Aut enim res turpis est aut persona. Si, inquit, persona turpis fuerit, aut alium hominem subiicies, qui amatur; aut rem pro persona. Deinde si res turpis fuerit, aut aliam rem, quae honesta est, subiicies; aut pro re hominem. Si utrumque turpe fuerit et res et persona, commodum erit causam non suscipere: tamen si quid leviter turpe fuerit, potest suscipi. Deinde, inquit, debebis dissimulare defensionem; postquam mitiores reddideris auditores, paullatim ingredi in eandem defensionem et dicere ea, quae adversariis displiceant, tibi etiam displicere; sed nihil horum ad tuum negotium pertinere. Deinde, inquit, occulte et de adversariis detrahere debebis. Postremo, inquit, de simili negotio aliquorum iudicum afferri oportebit exemplum. Animadvertere tamen debemus, ut et in insinuatione quattuor locis praeceperit benevolentiam comparandam, id est, ab ipsa

---

15. = *est igitur utendum* Cod. Bas. Or.
34. *amatur*] Cd. Bas. — *ametur* Edd. Or.
43. An *iudicium?* Cfr. p. 53. l. 14. Bait.

causa, a nostra persona, ab adversariorum, a iudicum. A causa dixit posse benevolentiam comparari, ubi ait: *Aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet*, cet. Deinde ostendit, quemadmodum a nostra persona benevolentiam comparemus, quum ait: *Et dissimulare id te defensurum, quod existimeris [defensurus]; deinde ubi iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defensionem et dicere, ea, quae indignentur adversarii, tibi quoque indigna videri.* Ab adversariorum vero persona, docet, quemadmodum benevolentiam comparemus, quum dicit: *Et negare te quidquam de adversariis esse dicturum, neque hoc neque illud, ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur: et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem.* Postremo docet, ut a iudicum persona benevolentiam comparemus, quum ait: *Et aliquorum iudicium simili de re aut auctoritatem proferre imitatione dignam.* Verum quod ait,

Deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem in praesentia demonstrare] etenim semper post exemplum facienda est comparatio. Comparatio porro nunc a pari, nunc a maiori, nunc a minori semper fiat necesse est.

Sin oratio adversariorum, cet.] Ostendit, quod primum fuit, si per causae turpitudinem auditores offensi exstitissent, quibus modis ab iis posset benevolentia comparari. Nunc, inquit, si oratio adversariorum dictis fidem fecerit et ideo iudices videntur abalienati, tribus modis benevolentiam comparemus: si aut de eo argumento, quod sibi firmissimum crediderant adversarii, te dicturum esse promittas; aut si ab eo dicto incipias, quod adversarius nuper dixerit; aut si, inquit, cum admiratione dubites, cui potissimum respondeas quaestioni. Quum enim, inquit, te iudices viderint paratum ad respondendum, existimabunt sibi non recte ab iis, qui ante dixerunt, id, quod crediderant, fuisse persuasum.

Sin auditoris studium, cet.] Postremo docet, quo pacto benevolentiam nobis a iudicibus comparemus, si forte ipsi iudices defatigati fuerint multos audiendo. Primo, inquit, oportebit *polliceri brevius te, quam [paratus] fueris, esse dicturum.* Deinde si ita se habebit negotium, utile erit rebus novis vel ridiculis risum iudicibus aut iocum movere: atque id duplici modo; aut ex tempore, si forte clamor aut strepitus aliunde fuerit exortus; aut cogitatis paratisque, ut vel a

6. *existimeris defensurus*] Hoc participium *defensurus* deerat in editis; supplevimus autem ex ipso Ciceronis loco, quem Victorinus afferebat. Capp. (Habent hoc verbum iam Asc. St. Ald. Abest autem a Cd. Bas. Or.)

Ibid. *ubi*] Cd. Bas. Capp. ∞ *quum*, ut est apud Cic., St. Ald. Or.

12. — *abalienes* Cd. Bas. Or.

14. *iudicium*] Sic Cd. Bas. et Cic. — *iudicum* St. Ald. Capp. Or.

16. *deinde eandem*] Cd. Bas. — *deinde aut eandem* Edd. Ib. — *similem* Cd. Bas. Or.

24. *de eo*] Perperam legebatur olim *ab eo.* Legesis ipsa Tullii verba, ad quae Victorinus respicit. Capp. (*ab eo* Cd. Bas.)

34. *quam paratus fueris*] Τὸ *paratus* aberat ab editis (et Cod. Bas.), quum tamen ipso in Tullio diserte legatur. Capp.

Ibid. *se habebit*] Cd. Bas. — om. *se* Edd. Or.

37. *aut ex - - exortus*] Exciderunt haec e Capp. Garat. Or.

fabula incipias vel apologo ad praesens negotium pertinentibus. Fabulae sunt, quas fere videmus exstitisse ex Phaedris, Medeis, Clytaemnestris aliisque similibus. Apologi sunt ex rebus humilibus compositae quaedam formae ac species ad vivendum: ut exstat illa de mure et leone. Ergo si, inquit, negotii dignitas patietur, risum vel iocum movere oportebit: sin autem tale negotium fuerit, ut iocandum non sit, a re aliqua tristi et severa commodum erit incipere. *Nam ut* (inquit) *cibi fastidium nunc dulci re mitigatur, nunc subamara relevatur;* ita, inquit, studium audiendi apud iudices nunc rebus ridiculis, nunc asperioribus redintegratur.

Ac separatim quidem, quae de principio et insinuatione dicenda videbantur, haec fere sunt] Supra, inquit, quid in principiis faciendum esset, quid in insinuatione, separatim disputavimus: nunc, inquit, breviter in utrumque praecepta dabimus.

Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere] Sententiarum, inquit, non illarum, quae generaliter dicuntur: ut est illud, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Praeceptum est autem, ne quid in principiis generaliter dicatur: sed hic sententias accipiamus sensus atque inventiones plurimas atque easdem graves: propterea, inquit, ut commendati simus auditoribus. In exordio omnia illa habere debemus, quae nobis et orationi nostrae pariant dignitatem.

Splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum] In exordio, inquit, nihil splendidum, nihil diligenter accuratum habere debemus, ne ipsa dicendi diligentia diffidentiam negotii demonstremus. Docuit quid in principiis, quid in insinuatione, quid generaliter in utroque observare debemus; quare, postquam ostendit quid faciendum esset, praecepit rursus quid faciendum non sit.

Vitia vero haec sunt certissima exordiorum] Quum ait *certissima*, ostendit et supra se nonnihil de vitiis exordii dixisse. Ait enim: *splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum* in exordio esse debebit. Verum haec maxima vitia exordiorum esse dicit atque haec omnino vitanda esse praecipit: *vulgare*, *commune*, *commutabile*, *longum*, *separatum*, *translatum*, *contra praecepta*.

Vulgare est, quod in plures causas potest accommodari, ut convenire videatur] Id est, quod dicitur generale principium et quod non unius, sed omnium potest esse causarum; si sic incipias: *Iovem ego optimum maximum;* [aut:] *vellem, si fieri posset, iudices.*

Commune est, quod nihilo minus in hanc quam in contrariam partem causae potest convenire] Inter vulgare et commune hoc interest: vulgare omnium controversiarum est: commune, in eadem controversia utriusque partis. Itaque commune specie includitur: vulgare vero generale est. Quare commune erit, quod tam a nobis quam ab adversariis dici potest.

---

8. *dulci re*] In Basil. edit. legitur *subdulci.* Capp.

9. *relevatur*] Editum fuerat *revelatur.* Capp. (*relevatur* recte Cd. Bas. St. Ald.)

19. *inventiones*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *intentiones* Capp. Or.

36. *si sic incipias*] Particulam hanc *si*, quae deerat, supplevimus ex editione Basileensi. Capp. (Abest *si* a Cd. Bas. Or.)

37. *aut*] Abest a Cd. Bas. St. Ald. Or.

Commutabile est, quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici] Commutabile est, inquit, quod non quidem ab adversariis dici pro se possit ita, ut a te prolatum est; sed commutato verbo vel addito possit in partem contrariam commutari.

Longum est, quod plurimis verbis aut sententiis ultra quam satis est producitur] Meminimus in duobus esse orationem nostram: nunc in verbis singulis, nunc in coniunctis, quae sententiae dicuntur. Itaque (inquit) longum est, quod nimis aut in verbis aut in sententiis involutum est.

Separatum est, quod non ex ipsa causa ductum est, nec sicut aliquod membrum annexum orationi] Separatum est, quod non est proprii negotii neque eius causae, qua de agitur: ut si homicida tibi accusandus sit, et tu ab adulterii facinoribus exordium sumas.

Translatum est, quod aliud conficit, quam causae genus postulat; ut si quis docilem faciat auditorem, quum benevolentiam causa desideret; aut si principio utatur, quum insinuationem res postulet] Et supra dixit: *Quare, quum tam diversa sint genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque necesse est.* Ergo translatum est, inquit, quum ignoto genere causae aut dociles pro attentis aut attentos pro benevolis faciendos nobis iudices putamus.

Contra praeceptum est, quod nihil eorum efficit, quorum causa de exordiis praecepta traduntur] Contra praeceptum est, inquit, quod iudicum animos sibi non comparat, interdum etiam infestos facit. Quare finitis exordii praeceptis, nunc nobis de narratione dicendum est.

Narratio est gestarum rerum aut ut gestarum expositio] Definit quid sit narratio. In definitione vero, ut saepe iam diximus, omnia, quae ad rem aperiendam pertinent, colligi atque includi debent. Quare quoniam non tantum illa narrantur, quae vere gesta sunt, sed etiam illa, quae non sunt gesta, sed geri potuerunt, ideo ait: *Narratio est gestarum rerum aut ut gestarum expositio.* Gestarum rerum expositio est negotiorum civilium et historiarum. Ut gestarum rerum expositio est comoediarum, fabularum et thematum, quae in auditorio dicuntur. Ergo tria genera narrationis esse dicit. Unum, quod fit in causae expositione, ut est illud: *C. Quintius frater huiusce P. Quintii fuit;* et huic similia. Verum quoniam narratio causae non id solum agit, ut res gestas explicet, verum etiam multa futuris praestruit quaestionibus, animadvertamus, ut Cicero utrumque complexus sit.

---

3. *prolatum*] Cd. Bas. — *probatum* Edd. Or.

14. *Translatum est*, *quod* cet.] Quintilian. lib. 4. c. 1. ubi de vitiis exordiorum, *translatum* exordium vocat, quod aliunde trahitur; Herennianus Rhetor lib. 1. *translatum* exordium includi ait in *separato*, quod scilicet non ex ipsa causa natum videtur. Capp.

16. *aut si principio*] Quae sequuntur ad usque vocabulum *ergo*, desunt in Basil. editione. Capp. (et in St. Ald.)

25. *nunc nobis*] om. *nobis* Cd. Bas. Or.

26. et 31. *gestarum rerum*] Hoc ordine Cd. Bas., ut Turic. Ciceronis. = *rerum gestarum* Edd. Or.

In quo ipsa causa, inquit] Hoc ad rerum expositionem.

Et omnis ratio controversiae continetur] Hoc ad quaestiones pertinet. Ergo unum narrationis genus est, in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur. Aliud genus narrationis est, quod extra causam est, sed ad causam facit: ut est illud: *Agonis est quaedam Lilybaetana liberta Veneris Erycinae.* Haec narratio extra causam est: agitur enim, qui magis debeat accusare. Sed tamen ad causam facit, id est, pertinet. Locus enim introducitur, in quo se Caecilius iniuriam a Verre passum esse commemorat, qua se laesum accusare debere contendit. Verum haec narratio extra causam quattuor modis fit: aut criminationis causa aut similitudinis aut delectationis aut amplificationis. Criminationis causa sic: *Dio quidam fuit Halesinus: P. Asellius mortuus est, C. Sacerdote praetore.* Similitudinis causa fit, ut est illud: *Sic iste multo sceleratior et nequior, quam ille Adrianus, aliquanto etiam felicior fuit.* Degressio et haec videri potest, sed non est: quia non interponitur narratio, quae causa est deliberationis. Delectationis causa fit non alienae ab eo negotio, quo de agitur: ut si prata, si nemora, si fontes rivosque describas et hanc ipsam descriptionem ad causam applices. Amplificationis causa fit, ut est illud de Eriphyla, quae visum ornamentum adamavit. Amplificat crimen Verris, quod quum illa rem visam adamaverit, Verres multa etiam non visa concupierit. Ergo secundum genus narrationis hoc est, quae degressio dicitur: quae fit aut criminationis aut similitudinis aut delectationis aut amplificationis causa. Tertium genus narrandi est, quod extra oratorem est. Hoc est, quod ait,

Remotum a civilibus causis] Est autem poëtarum vel historiographorum; dat tamen etiam cursim in hanc narrationem praecepta. Haec, inquit, narratio remota a civilibus causis duo membra habet. Nam aut propter negotia exponenda sumitur: aut propter personas, quod est comoediographorum et tragoediographorum. Versidici vero in utroque versantur: nam Virgilius Aeneae et mores et facta describit. Ergo haec narratio extra oratorem in duo dividitur, in negotia et in personas. Verum illa narratio, quae in negotiis est, tres habet partes; fabulam, historiam, argumentum. Fabulam dicit esse, quae nihil veri nec veri simile continet: et dat exemplum:

Cuiusmodi est: Angues ingentes alites, iuncti iugo] Verum hic quaestio est, quum in definitione generali narrationis dixerit: *Narratio est gestarum rerum aut ut gestarum expositio*; cur in fabulae definitione, quae utique, quoniam et ipsa narratio est, generi similis esse debuit, ait: *Fabula est, in qua nec verae nec veri similes res continentur.* Deinde, *Historia est* (inquit), *quae res veras continet, sed a nostra memoria remotas;* et dat exemplum: *Quod genus est: Appius indixit Karthaginiensibus bellum.* Argumentum est, quod quidem non est factum, sed fieri potuisse creditur, ut in Terentio adolescentis vita narratur: *Nam is postquam excessit ex ephebis*,

12. *sic: Dio*] Cd. Bas. — *fit*, *ut*: *Dio* Edd. Os. 14. — *Hadrianus* Ald.
29. *aut p. p.*] Cd. Bas. — *vel p. p.* Edd. Os.

Sosia. A negotiis ergo narratio tres partes habet, fabulam, historiam, argumentum. Fabula nihil veri nec veri simile continet; historia, gesta praeteritorum; argumentum, non verum, sed veri simile.

Illa autem narratio, quae versatur in personis exprimendis, talis esse (inquit) debet, ut in narratione rerum vim personae agentis et animos ostendat; et dat exemplum de Terentio, ubi Demeae et Micionis senum persona morum contrarietate secernitur: *Venit ad me saepe clamitans, Quid agis Micio? cur perdis adolescentem nobis?* cet. In his omnibus et rigor et austeritas personae obiurgantis ostenditur. Verum ne nos perturbet, quod et in illa narratione, quae in negotiis est, saepe etiam persona describitur; nam describitur Catilina, describitur Sertorius et reliqui; et in illa rursus narratione, quae de personis est, gesta etiam narrantur. Non (inquam) nos perturbent, quia mixta sunt: sed animadvertere debemus, quid propter quid dicatur. Saepe enim persona describitur, ut negotium patescat; saepe gesta narrantur, ut apertius, qualis sit persona, videatur. Sed ad praeceptum narrationis illius revertitur, quae ipsam causam continet et totius controversiae narrationem.

Oportet igitur eam tres habere res, ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit] Tres virtutes sunt narrationis, ut brevis sit narratio, ut aperta, ut probabilis: verum ut haec tria semper per omnia sint, non unum aliquod ex tribus. Itaque istae virtutes, licet et aliis partibus orationis conveniant, narrationis tamen sunt propriae: aliarum autem partium orationis virtutes narrationi convenire non possunt. Quaelibet reprehensio, quaelibet confirmatio, quaelibet criminatio potest habere haec tria, sed quasi aliena. Ipsa autem, quae habent, narrationi non conveniunt; ut inductiones, ut ratiocinationes et reliqua huiusmodi, quae fidei sunt, non affectus. Igitur tres istae virtutes narrationi oratoriae convenire possunt et illi narrationi, quae extra civiles est causas. Namque historia et brevis esse debet in expositione et aperta et probabilis: ut Salustius sibi omnia in Catilina tribuit: *Quam brevissime potero, paucis absolvam;* quum aliis historiographis singula tradidisset in libro primo Historiarum, Catoni brevitatem: *Romani generis disertissimus paucis absolvit;* Fannio vero veritatem. Sed ante quam dicamus, ut brevis narratio fiat, ut aperta, ut probabilis, principio dicendum videtur, quid sit narratio oratoria, quid agat vel quo distet a reliquis partibus orationis. Oratio, quae negotium explicat atque insinuat audienti, narratio dicitur; explicans quid gestum sit aut per verum aut per veri simile, id est, aut per id, quod gestum est, aut per id, quod geri potuit; quae oratio tametsi partibus narrationis plenis inclinetur in actoris commodum, non tamen ad pugnam continuo easdem partes ducit; negotium enim iudici insinuatur, non pars negotii. Agitur

7. *contrarietate*] Cd. Bas. Ald. — *contrario* Asc. Capp. Or.
12. *et in illa*] Cd. Bas. — *et illa* Edd. Or.
19. *res*] — *virtutes* Cd. Bas, Or.
34. *paucis*] — *multa paucis* Fragm. Salustii p. 213. Gerlach. Cd. Bas. *multa* haud agnoscit. Or.
40. *narrationis*] Cd. Bas. — *narratione* Edd. Or.

enim, ut causam iudex norit; causa vero duarum partium est. Sed subtilitas exponentis aliquid, quod suae parti prosit, insinuat; nam iudex sic ab uno audit, quasi extra partem. Sed vere is optimus patronus est in narrando, qui ita narrat, ut et adversarius ita narrare potuisse credatur; verum talis oratio esse non potest, quum crimina proponuntur. Quibus in propositionibus etsi dicatur: *Illud fuit*, *illud consecutum est*, et cetera similia, tamen narratio non est: quoniam haec omnia ad criminationem continuo ducuntur et non id agitur in hac oratione, ut iudex sciat causam, sed ut audiat crimen admissum. At in narratione, quum causa omnis fuerit explicata, tunc crimen aut ab accusatore proponitur post narrationem quasi intentio; aut a defensore quasi quaestio, ut purgetur: *Sextus Roscius occisus est*. Accusator dicit a filio: Tullius negat; hinc esse criminatio potest et defensio. Insinuatur iudici per narrationem totum negotium; ubi, quando, quomodo Sex. Roscius sit occisus. Hoc utraque pars dicat necesse est; huic singuli subtiliter interiiciunt id, quod parti suae prodesse possit, non pugnae modo; sed adiuncta veri similitudine, ut ita narretur, quasi et adversarius eodem modo narrare possit. Explicito negotio causaque cognita, incipit adversarius dicere, quod Sex. Roscium filius interemit: et haec criminatio. Si autem defensor est, proponit crimen quasi quaestionem: *Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur;* et affert argumenta quibus hoc possit, dissolvere. Ita in dictionibus aliis criminationes intelliguntur vel propositiones criminum, quum oratio explicandi quodammodo implicatam secum habet intentionem: ut *occidisti*, aut *tulisti*. At ubi narratio est, post narrationem dicuntur: sed tamen in narratione significantur iudici, non aperte ab oratore dicuntur.

Brevis erit, *si unde necesse est*, *inde initium sumetur et non ab ultimo repetetur*] Dixit supra narrationem oratoriam tres virtutes habere debere; ut brevis sit, ut aperta, ut probabilis. Nunc docet, brevis narratio quemadmodum esse possit, et brevis pro qualitate negotii. Brevis (inquit) erit, si initium sumas a rebus necessariis, non ab ultimo: ut puta, si nobis bellum Troianum narrandum sit, debemus a raptu Helenae incipere, non a Leda, quae Helenam genuit. Ergo praecepta dat in brevem narrationem: quae in initio narrationis, quae in fine, quae in medio servare debeamus. Atque hoc praeceptum de initio narrationis est, quod ait: *Brevis erit*, *si unde necesse est*, *inde initium sumetur*, *et non ab ultimo repetetur*.

Et, *si cuius rei satis erit summam dixisse*, *eius partes non dicentur*] Ut puta, quum sufficiat dicere, *occidit;* nos dicamus: *et voluit et potuit et occidit;* quum harum partium summa sit, *occidit;* et hoc dixisse sufficiat; verum hoc praeceptum de medio narrationis esse potest.

---

17. *narretur*] Cd. Bas. — *narret* Edd. Oa.
22. *in dictionibus*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *in inductionibus* Capp. Oa.
24. *explicandi*] Cod. Bas. — *exponendi* Asc. — *exponentis* Cett. Oa.
28. — *sumetur*, *non* bis Cd. Bas. Oa.

Et si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur] Id est, si narres quousque narrandum est, non etiam illa narrentur, quae iam in tractatus cadunt; ut puta: *Quidam fortiter fecit; petit praemii nomine aerarii dimidium; contradicitur.* Narrandum est, quemadmodum fortiter fecerit; non etiam quemadmodum ad civitatem regressus sit et quemadmodum praemium petierit et quemadmodum ei contradictum sit; verum hoc praeceptum de fine narrationis est.

Et si nullam in rem aliam transibitur] Scilicet ut illa tantum narres, quae ad causam pertinent; non etiam aliqua, quae extra sunt et quae ad negotium minime pertinent.

Et si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum sit, id, quod dictum non sit, intelligatur] Ut posita secunda, quae sunt sua prima, declarent. Si dicas: *Inde quum reversus essem;* utique quum dicis *reversus*, ostendisti et profectum nescio quo et pervenisse, postremo reversum.

Et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest nec adiuvat, praeteribitur] Etenim qui brevitati studet, non modo illa in narratione praeterire debet, quae obfutura sunt; verum etiam illa, quae nihil profutura.

Et si semel unum quodque dicetur] Id est, ut non modo illa praetereantur, quae aut obfutura sunt aut nihil profutura; verum etiam illa, quae prosunt, ut semel dicantur, non bis aut amplius.

Et si non ab eo, in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur] Praeceptum omne duplex est. Nunc enim ostendit quid faciendum sit; nunc quid non faciendum. Ita hic Cicero in superioribus ostendit, quid esset in narratione faciendum: nunc ostendit, quid sit non faciendum. *Et si non ab eo*, inquit, *in quo proxime desitum erit, deinceps incipietur.* Id est, ne a re illa, quam nuper diximus, ad aliam rem sumamus exordium. Si dicas: *profectus urbe sum: et quum essem profectus, ad villam veni: et quum venissem.* Quare is, qui breviter narraturus est, iterare nihil debet.

Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, quum se breves putent esse, longissimi sint] Saepe, inquit, etsi dictio in verbis brevis est, tamen longa efficitur, quum non necessariae res in narratione ponuntur. Quod ut nos non praetereat, primo nobis dicendum est, quemadmodum possimus intelligere, quod ubicunque dicta sint singula verba, significant res suas singulas, ut *sedet*, *currit*, *eo*, *venio:* item copulatio rationabilis verborum plurimorum unam rem continet; maxime autem si in narratione sit, quum praemissa verba tertia persona concludit; ut: *M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior neque minus gravis et multiplex cura Patres exercebat.* Haec tertia persona unam rem fecit omnium superiorum. Itaque in oratione tot res erunt, quot erunt tertiae personae. Ergo in hac oratione: *Accessi ad aedes. Puerum evocavi. Respondit. Quaesivi dominum. Domi negavit esse:* tertia persona est, *respondit.* Iam igitur una res est.

---

24. — *quo in proximo* Cd. Bas. Mox idem *quo in proxime.*
33. — *At multos* Cd. Bas. — *esse putent* Id. 41. Salustii Fragm. p. 223. Gerl.

Fit autem altera, quum ait: *domi negavit esse.* Quare quum sufficeret, *domi negavit esse*, abundavit rebus superfluis; quia dixit ante, *respondit.* Ita ergo multos imitatio brevitatis decipit, qui quum res brevissime dicant, tamen quia plures quam oportet dicunt, incipiunt breves non esse. Quamobrem (inquit) si breves esse volumus, non solum verba non necessaria praeterire debemus, sed etiam res.

Aperta autem narratio poterit esse] Dixit quemadmodum brevis narratio esse possit: nunc quemadmodum esse possit aperta, exponit. Illud autem perspicere debemus, quod et in apertam narrationem illa dat praecepta, quae et in brevem. Hic etiam quid in principio apertae narrationis, quid in fine, quid in medio facere debeamus, ostendit. Nunc itaque totam complectitur narrationem, quum ait: *Aperta autem narratio poterit esse, si ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur;* scilicet, ut non perverso narrandi ordine fiat iudicibus in cognitione confusio.

Et rerum ac temporum ordo servabitur] Scilicet ne id primum narres, quod postea factum est. Quod si feceris, et in rerum et in temporis ordine deliquisti.

Ut ita narrentur, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur] Hoc est, quod ait supra in definitione narrationis: *Narratio est rerum gestarum aut ut gestarum expositio*, id est vera et veri similis.

Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur] Ut in praeceptis brevis narrationis primum ostendit, quid faciendum esset, deinde quid non faciendum; ita et hic ostendit primo, quid faciendum esset, deinde quid non faciendum. *Considerandum*, inquit, *erit, ne quid perturbate dicatur*, id est, si rerum ac temporum in narratione ordo mutetur. Deinde (inquit) *ne quid contorte*, id est, quum interdum non facilis transitus ac directus est, sed obscurus.

Ne quam in aliam rem transeatur] Ne omissis rebus ad praesens negotium pertinentibus, non narranda atque aliena narremus. Hoc praeceptum etiam de brevi narratione dedit: *Et si in nullam aliam rem transibitur.*

Ne ab ultimo repetatur] Ita ut supra de brevi narratione: *Si unde necesse est, inde initium sumetur, nec ab ultimo repetetur.* Verum hoc praeceptum etiam hic de initio narrationis est.

Ne ad extremum prodeatur] Ita ut supra de brevi narratione: *Et si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur.* Verum hoc praeceptum etiam hic de fine narrationis est.

Ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur] Hoc vitium mediae narrationis; ita ut principii vitium est, si ab ultimo repetatur; finis autem, si ad extremum prodeatur. Deinde concludit: Illa (inquit) omnia de brevi narratione praecepta, etiam in aperta nobis servanda sunt. Nam ut aperta non possit esse narratio, non intelligitur, id est,

---

26. *deinde*] Cd. Bas. — *tum* Edd. Or.

44. *Nam ut aperta non possit esse* cet.] Locus hic male affectus videtur; refertur autem ad illa Tullii verba: *Nam saepe res parum est intellecta, longitudine magis quam obscuritate narrationis.* Capp. (Nihil mutat Cod. Bas. Or.)

aperta non est longitudine magis quam obscuritate. Ergo ut aperta sit narratio et intelligatur, minime longa, id est, brevis esse debebit. Praeterea, inquit, ut apertam habeamus narrationem, uti dilucido ac de proximo petito sermone debemus.

Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate] Secundum ordinem divisionis suae, postquam de brevi et aperta narratione tractavit, nunc incipit de narratione probabili disputare. Probabilis, inquit, erit narratio, si in ea fuerint illa omnia, quibus solet veritas inveniri; nam in his septem omnis ad fidem argumentatio continetur. Septem illa superiora, *quis*, *quid*, *cur*, *ubi*, *quando*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*, omnes artium scriptores tractarunt et in praeceptis suarum artium reliquerunt. Verum Cicero rerum ac temporum personarumque considerans naturam, addidit illis omnibus octavam *opinionem;* et recte. Res enim omnes non per se sunt nec ex natura valent, sed opinione; neque enim quum dicimus *tunicam*, per se ipsam intelligimus tunicam esse, qua vestimur: sed quia nostra nobis opinione persuasum est, quum audierimus tunicam, intelligimus rem esse, qua vestimur. Et reliqua similiter colligere possumus. Ergo Cicero omnia dixit. Hanc vero opinionem in tribus plenam esse dicit; si id, quod dicimus, a nostra natura non abhorreat, id est, ab eorum natura, pro quibus agimus: scilicet ne de pudicitia agat leno, de castitate meretrix; quod si fiat, probabilis narratio non erit. Deinde, ut id, quod agimus, a populi more non abhorreat: scilicet ne contra consuetudinem audientium loquaris; si apud Romanos narres contra iustitiam, et si apud Scythas mores barbaros reprehendas. Postremo, si id, quod agimus, cum eorum, quicunque audiunt iudicaturi, opinione consentiat. Itaque narrationem probabilem esse dicit, si in ea sint septem illa: *quis*, *quid*, *cur*, *ubi*, *quando*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*. Sed quum omnia hic posuerit, unum non posuit, id est, modum, quod est, *quemadmodum*: et recte modum inter praecepta probabilis narrationis non posuit. Non enim in modo fides fit, sed magis *auxesis* criminis. Et quoniam praecepta haec et ad *coniecturam* accommodata erant, ubi factum negatur, merito modus esse non debuit, quia modus non exeutitur, nisi factum conceditur. Quum autem in *coniectura*, ubi factum negatur, omnino esse non poterit, multo magis alibi modus non erit. Si autem in reliquis *statibus* fuerit, *auxesis* facti erit, non probabilis [narrationis] expositio. Ergo hic videamus septem illa absque solo modo. Persona, si personarum dignitates servabuntur. Causa, si causae factorum exstabunt. Facultas, si fuisse facultates videbuntur. Tempus, si tempus idoneum. Locus, si locus opportunus. Videamus et opinionem, quae his omnibus quoque a Cicerone

11. *quis*, *quid*, *cur*, *ubi* cet.] Huiusmodi circumstantias includit vulgaris ille versus:

Quis, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Capp.

19. *dixit*] Cd. Bas. — *dicit* Edd. Or.

32. *coniecturam*] *Statum* intellige *coniecturalem*, ubi scilicet de facto *quopiam quaestio instituitur*. Capp.

33. *erant*] Cd. Bas. Asc. — *erunt* Cett. Or.

37. ∞ om. *narrationis* Cd. Bas. Or.

addita est: *Si res et ad eorum, qui agent, naturam et ad vulgi morem et ad eorum, qui audient, opinionem accommodabitur.*

Si personarum dignitates servabuntur] Non honores, sed prout quaeque digna sit.

Si tempus idoneum, si spatii satis] Duo sunt tempora; unum per spatium, id est, per intervallum; aliud per opportunitatem. Spatium est unus, alter, multi dies, mensis, menses, anni. Opportunitas est occasio ex hominum actibus facta; ut bellum, pax, ludi, seditio. Hoc est ergo quod ait: *Si tempus idoneum, si spatii satis.* Iam quum ait, *si tempus idoneum*, ostendit tempus esse per opportunitatem.

Illud autem praeterea considerare oportebit, ne aut quum obsit narratio, aut quum nihil prosit, tamen interponatur] Supra docuit, quae in narratione servanda sint et quemadmodum facienda: nunc in ipsam narrationem quattuor praecepta dat. Quaestio est enim, an ubique narrandum sit. Deinde si narrandum, quo loco narrandum. Postremo, si ita narretur, quemadmodum causa postulet. Non ubique narrandum est, inquit. Etenim quum obest narratio, praetereunda est: et quum nihil prodest, praetereunda est. Deinde, inquit, videndum est, quo loco narrandum sit. Saepe enim post argumenta narrandum est, ut Cicero in Miloniana fecit. Postremo secundum causae genus narrandum est, ut quod non est praetereundum, non praetereas: quod praetereundum, praetereas.

Obest tum, quum ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem] Obest, inquit, narratio, si, quum aperis atque insinuas rei gestae qualitatem, necesse habes tibi auditorem reddere infensum. Quod quum contingit, non contexte, inquit, narrare debebis, nec causam omnem indicare: sed singulas causae partes proponere et his statim argumenta supponere, ut res dubia fidem pro agentis accipiat voluntate. Praeterea, inquit, et quum nihil prodest, narratio praeteriri debet. Nihil autem prodest narratio, quum ita ab adversariis causa iudicibus exposita est, ut a nobis aliter narrandum non sit. Denique iam supra diximus interdum non opportuno loco poni narrationem. Verum hoc genus praecepti differt in id tempus, quo de dispositione dicturus est.

Non, quemadmodum causa postulat, narratur, quum aut id, quod adversario prodest, dilucide et ornate exponitur, aut id, quod ipsum adiuvat, obscure dicitur et negligenter] Praevaricatio duobus modis fit. Si utilia nostrae causae cum obscuritate dicamus: aut utilia adversariorum manifeste atque aperte proferamus. Verum haec tunc vitia sunt, si quum id facimus, nihil nobis prodest. Saepe enim prodest, ut tali praevaricatione aliud, quod volumus, obtinere possimus. Nam ut obtineat Davus, ne Chremes det filiam Pamphilo, aperte narrat id, quod contra Pamphilum poterat videri; illum peregrinam amare

30. *et quum*] Cd. Bas. — om. *et* Edd. Or.
33. *interdum non*] Cd. Bas. — *non interdum* Edd. Or.
38. *exponit - - iuvat - - dixit* Cd. Bas. Or.

et filium ex ea suscepisse. Nunc secundum ordinem propositae narrationis ad partitionis praecepta veniamus.

Recte habita in causa partitio illustrem et perspicuam totam efficit orationem] Antequam de praeceptis partitionis dicamus, dicendum videtur quid intersit inter partitionem et divisionem. Partitio est totius causae per partes constitutio: divisio est rerum sub partitione iacentium. Verum hîc hoc animadvertendum est, ut definitionem partitionis non ab eo, quid sit, sed ab eo, quid faciat, collegerit: *Recte*, inquit, *habita in causa partitio illustrem et perspicuam totam efficit orationem*. Narrationis porro definitionem ab eo, quid sit, scimus esse collectam. Narratio est rerum gestarum aut ut gestarum expositio. Dicit itaque partitionem duas habere partes; distributionem et aliam, quae ostendit, quid adversarii confiteantur et quid in contentione versetur. Verum utrarumque harum partium duplex effectus est. Aperit causam et controversiam constituit: aliud est enim, quo aperitur causa, aliud, quo constituitur controversia. Namque aperitur causa et narratione, in qua etiam si intelligitur, quae sit controversia, non tamen ab oratore constituitur. Constituere est enim proponere et dicere, quid in controversia sit. Ergo in narratione aperitur causa, non constituitur controversia. At in partitione tametsi aperitur causa, tamen et constituitur controversia, ut non unum sit, sed utrumque fiat. Nam aperit utique causam, quia partitur: quamquam alio modo aperit quam in narratione. Quum enim dicit: *Dicturus sum de illo;* aperta est causa partitione, hoc est, distributione. Item in alia partitione: quum dicitur: *Illud manifestum est, illud negatur;* utique aperitur causa, sed partitione, ut diximus: in eo tamen constituitur controversia, quum quid in confessione sit, docetur, quid in negatione. Alia autem partitio, quae distributio nuncupatur, potest aperire tantum causam, res enumerando: at quum vel verba iunguntur vel oratio, quae dicat de his esse dicendum, tunc constituitur controversia: *quaestor Verres fuit, legatus, praetor urbanus, praetor Siciliensis.* Haec solum dicere aperire causam est: sed partitione per distributionem. At vero illud adiungere, *quare haec erit quadripertita distributio totius accusationis meae;* hoc est constituere controversiam. Itaque, ut diximus, partitio species habet duas: unam, quae, quid cum adversariis conveniat, docet, et quid in controversia sit; alteram, quae distributionem habet membrorum in reliquam orationem. Illa superior species quum proposuerit, quid conveniat, id ipsum ad se inclinat, ut pro se faciat id, quod adversarius confitetur: postea vero subiungit id, quod sit in controversia. Fecit hoc Cicero pro M. Tullio: *Dicam*, inquit, *vim factam a P. Fabii familia; adversarii non negant.* Hìc proposuit, quod adversarii fateantur. Deinde ipsum pro se fecit, dicendo:

---

2. ∞ *ad partitionem veniamus* Cd. Bas. Os.
4. *dicendum videtur*] ∞ *prius dicendum est* Cd. Bas. Os.
5. *quid intersit inter partitionem et divisionem*] Confer Quintilian. lib. 7. cap. 1. Capp.
16. *aperitur c. et n.*] Cd. Bas. — *aperitur c. in n.* Edd. Os.
40. *Fecit*] Cd. Bas. — *facit* Edd. Os.

Damnum datum esse M. Tullio concedis; vici unam rem. Item adiunxit alteram partem, in qua confessionem docet, quum dicit: *Vim hominibus armatis factam non negas; vici alteram.* Post, quid in controversia sit proponit, quum dicit: *Dolo malo factum negas; de hoc iudicium est.* Sed quoniam non in omni negotio adversarius fatetur, illa altera adhibenda partitio est, quae distributio nuncupatur, ubi totius causae membra ponuntur. Verum haec membra aut ea sunt, quae vere in eodem negotio continentur, ut in Verrinis de quaestura, de legatione, de praetura urbana, de praetura Siciliensi: quam quadripertitam distributionem totius accusationis suae Tullius esse dixit. Item alia distributio de frumento, quam fecit, dicendo emptum, decumanum, aestimatum. Aut si partitio de ipsa causa non sumitur, ea membra ponit orator, quae ipse ingenio invenit et sibi dicenda constituit, non ex negotii factis ad causam sumptis, sed argumentatione oratoris in causa collocatis, ut in Divinatione: *Ego sic intelligo, iudices, quum de pecuniis repetundis quaestio sit, si nomen cuiuspiam deferatur; haec duo in primis spectari oportere, quem maxime actorem velint hi, qui eas iniurias passi sint, et quem minime velint hi, qui eas iniurias fecisse arguantur.* Item pro Sex. Roscio, quum unum crimen sit parricidii ac propterea unum negotium, partitur tamen Tullius non causam, sed orationem; dicendo in crimen, audaciam et potentiam: *criminis confictionem accusator Erucius suscepit; audaciae partes Roscii sibi poposcerunt; Chrysogonus autem potentia pugnat.*

Altera est, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur [distributiva] Partitionis duae partes sunt; una, quae quid cum adversariis conveniat indicat et, quid in controversia sit, demonstrat; altera, quae dicitur distributio: haec eadem duplex; nam aut ea membra continet, quae in causa sunt; aut ea, quae ingenio fingit orator.

Quibus dictis intelligat fore peroratum] Praecipit, ut partitione completa nihil amplius dicamus praeter conclusionem.

Quae partitio, quid conveniat aut quid non conveniat, ostendit] In hac partitione id, quod adversarius confitetur, ad causae nostrae commodum nos docet inclinare debere. Et dat exemplum: si dicat accusator, Matrem occisam ab Oreste filio constat. Iam quum ait: *matrem a filio constat occisam;* id, quod adversarius confitetur, ad se inclinat. Consideratione enim sanguinis non videtur debuisse a filio mater occidi. Deinde si dicat Orestes vel eius defensor: *Constat a Clytaemnestra Agamemnonem maritum occisum;* confessionem adversarii sine dubio ad se inclinat; consideratione enim iuris occidi ab

---

2. *adiunxit*] — *adducit* Cod. Bas. Tum: *quum dicit: sex hominibus armatis non negas* om. v. *factam. Sex* istud ortum ex *VIm.* Or.

17. *quem maxime actorem* cet.] Perperam hic legebatur olim, *auctorem:* sed legendum esse *actorem*, ex ipso Cicerone satis patet; apud quem tamen locus hic cum aliqua verborum diversitate reperitur: quia scilicet Victorinus noster ad sensum magis quam ad verba ipsa respexit. Capp. (*auctorem* etiam Cd. Bas. Or.)

25. *distributiva*] Apud Cic. est *distributa.* Omittit hoc v. Cd. Bas. Or.

32. — *et quid non* Cod. Bas. Or.

uxore maritus non debuit. Iam quid in controversia sit, ex *iudicatione* colligitur, id est, *An recte Orestes matrem occiderit, quum illa patrem occiderit Orestis.* Quare accusatoris talis erit partitio: *Interfectam matrem a filio cum adversario mihi convenit, quum illa occiderit Agamemnonem; an a filio occidi debuerit, quaestio est.* Rei vero talis erit partitio: *Interfectum a Clytaemnestra Agamemnonem convenit: an a filio Clytaemnestra debuerit occidi, quaestio est.*

Quae autem partitio rerum distributam continet expositionem, haec habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem] In omni distributione, sive quam habet orator in membris negotii sive quam in membris, quae ipse format et fingit dicenda, servare debet haec tria, brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas in verbis est: absolutio in toto: paucitas in generibus.

Brevitas est, quum nisi necessarium nullum assumitur verbum] Ut si sic partiamur: *Dicemus de decumano frumento, deinde de empto, postremo de aestimato; nunc dicemus de decumano frumento; deinde, ubi maius est crimen, de eo, quod solet publicis pretiis comparari; postremo, ubi nihil avaritia Verris intactum reliquit, dicemus etiam de aestimato frumento.* Haec itaque superflua verborum in brevitate partitionis vitare debemus, ut animus auditoris non verbis, sed rebus potius occupetur.

Haec in hoc genere idcirco est utilis] In hoc genere, id est, in distributione, brevitas utilis est ad animos auditorum non verbis, sed rebus potius occupandos.

Absolutio est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur] Absolutionem tunc facimus, si omnia, quae incidunt in causam, partientes ponamus. Haec, quae incidunt, omnia nunc speciebus confici possunt, nunc generibus. Quoniam autem specierum maior est multitudo, angustior generum vis et natura (quippe quum genus multas in se species teneat) qui facit partitionem de speciebus omnibus causae incidentibus, absolutionem quidem servat, quod omnes species in partitione proponit; sed peccat, quod specierum latior distributio est, et in partitione amplius quam quattuor partes omnino esse non debent. Ergo ut absolutio in distributione melius servetur, species illae ad genera reservandae sunt, ut paucis generibus, quum species omnes complexi fuerimus, absolutionem conficiamus, quod omnia, et paucitatem, quod genera, quae incidunt in causam, in distributione collocamus: ne aut utile aliquod genus praetereamus aut postea causae (quod est vitiosius) inferamus.

---

4. *adversario*] Cd. Bas. Asc. — *adversariis* Cett. Or.

5. *an a filio occidi debuerit*] In Basileensi editione legitur: *sed an a filio* cet. Capp.

6. *Rei vero*] τοῦ φεύγοντος, ut Graeci dicerent, hoc est illius, qui causam dicit, qui personam accusatam in iudicio defendit. Capp.

27. *de quibus*] Cod. Bas. — *de quibus postea* Edd. Tum Cd. Bas.: *amplectimur in partitione.* Or.

31. *teneat*] Cd. Bas. — *contineat* Edd. Or.

Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur] Tunc, inquit, pauca in partitione collocare debemus, quum quid sit genus, quid sit species, iam scimus, ne cum generibus species implicemus. Itaque si studere volumus paucitati, etiam genera pauca in partitione collocare debemus.

Nam genus est, quod plures partes amplectitur; ut animal: pars est, quae subest generi; ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo animalis pars est. Thebani aut Troiani genus.] Ὄν Graeci substantiae et accidenti genus ponunt: sed non bene; pars enim omnis generi suo similis esse debet. Substantia porro res est, quae aliis rebus subest, capax accidentium qualitatum. Deinde accidens est id, quod in substantiam cadit. Quare, quoniam illud superius ὄν utrumque esse non potest, non recte substantiae et accidenti genus factum est. Ergo, quoniam praecipimus, ut species generi semper similis esse debeat, videamus, ubi hic Cicero quasi videatur errasse; nam posuit hominem respectu duplici, ut ad inferiora genus sit, ad superiora species. Huic animal praeposuit, ut speciem faceret id, quod homo [est]; quum id ipsum genus vellet ostendere, quod homo est, subiecit huic speciem, Troianum, Thebanum. Nonne videtur esse vitiosum, quod quum homo substantia sit, Troianus autem aut Thebanus accidens? Etenim parum recta subiectio est sub eo, quod substantia sit, id, quod est accidens collocari; nam rectum illud praeceptum est in faciendis generibus et speciebus et individuis, rem aut substantialem in omnibus esse servandam aut accidentalem: ut quum in genere sit substantia, et in genere et in specie et [in] individuo sit. Animal namque substantia est; huic quum suppono speciem, substantia esse debet; suppono autem hominem. Item quum suppono homini Ciceronem, substantiam pono; sic factum est, ut in omnibus substantia servaretur. Pari ratione si id, quod genus est, accidens fuerit, etiam speciem accidentis debeo collocare, pariter et individuum. Ut, genus ponam colorem; accidit enim color corpori; huic quum suppono speciem, album vel nigrum, intelligo et hoc quoque accidens esse. Eritque etiam similis ratio, quum sub albo pono hoc album, quod est individuum. Individuum est enim, quod oculis digitoque monstratur. Ergo et *album* et *color* accidentia cuncta sunt, corporis scilicet; quamobrem *Troianus* et *Thebanus* accidentia sunt; accidunt enim substantiae cuilibet, aut homini aut equo. Cicero vero hominem ponit, id est, substantiam: et recte facit, huic genus dando *animal;* namque animal substantia est. Non recte autem, quum homini speciem supponeret, *Thebanum* et *Troianum* supposuit; quoniam haec, ut diximus, accidentia sunt. Sed hoc frustra in quaestionem

5. — *in partitione collocamus* Cd. Bas. Asc.
20. *Troianum*] Sic ter rescribendum erat pro *Romanum* cet., tum ex Cic. ipso tum e seqq. Victorini verbis, ut leguntur in Cod. Bas. St. Ald. Or.
27. *et in specie et* [*in*] *individuo sit*] Sic, sed omisso [*in*], Asc. St. Ald. — *et in genere species et individuum sit* Cd. Bas. Capp. Or.
41. *Troianum*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *Romanum* Capp. Or.

venit: licet enim id, quod accidens est, poni in substantiam cum eo ipso sibi copulato, cui supponitur; ut puta, *homo* (ut diximus) animalis species est: hominis vero species est *Thebanus*, quod est accidens; hic non Thebanum solum audire debeo, sed hominem Thebanum, ut simul cum Thebano et hominem audiendo, faciam id, quod est accidens, substantiale. Quare Cicero recte hominem animalis speciem posuit: et genus Thebani aut Troiani, hominem scilicet. Itaque, inquit, ideo diligentius genera et species generum definire volumus, ut intellectis aperte generibus, quo brevior sit partitio, etiam genera pauca in partitione eadem collocemus.

Nam qui ita partitur; Ostendam propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum omnia incommoda ad rempublicam pervenisse *cet.*] In partitione, quae dicitur distributio, tria dicit semper esse servanda: brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas in verbis est. Absolutio, ut omnia genera, quae in causam incidunt, in partitione ponamus. Paucitas, ut sola rerum genera, quae partium sunt, absque partibus suis in partitione ponamus, et quae genera partes aliorum generum esse non possunt. Nunc itaque de paucitate tractatus est; et dat exemplum vitiosae distributionis, id est, in qua genus et pars eius simul posita sunt. *Nam qui ita*, inquit, *partitur*: „Ostendam propter cupiditatem et audaciam et avaritiam adversariorum"; is, inquit, erravit; etenim paucitatem servare nescivit: si quidem non sola rerum genera posuit, sed et genus et partem generis. Cupiditas enim, genus est: pars cupiditatis, avaritia. Ergo in superioribus, quid faciendum esset, ostendit: nunc, quid non faciendum. Et haec fere bipertita praeceptorum omnium disciplina est.

Hoc igitur vitandum est, ne cuius genus posueris cet.] Hoc igitur vitandum est, ut sciamus nunc illud praecipi, quod faciendum non sit.

Quod si quod in genus plures incident partes, id quum in prima partitione causae erit simpliciter expositum cet.] Genera, inquit, ipsa rerum in partitione ponenda sunt; sed, si cui generi partes suas fuerit necesse supponi. Postquam, inquit, partitionem coeperimus exsequi et ad id genus venerimus, tunc nos partes eius convenit explicare. In partitione tamen partes generi iungere non debemus. In tractatibus quaestionum debemus de generis partibus disputare.

Atque illud quoque pertinet ad paucitatem] Quoniam de paucitate tractatus est: *Atque illud quoque pertinet ad paucitatem*, inquit, *ne plura quam satis est, nos demonstraturos esse dicamus, hoc modo:* „Ostendam adversarios, quod arguimus, et voluisse et potuisse et fecisse"; quum in tertio cuncta sint: deinde, inquit, quum simplex quiddam in controversia sit, nos tamen distributione utamur.

Ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc usum oratorium non tanto opere pertinent] Ostendit partitionum multa

---

12. *avaritiam adversariorum*] = *adversariorum avaritiam* Cd. Bas. primo loco. Or.

40. *hoc modo*] Verbum *inquit*, quod huc e superiori linea perperam intrusum erat, detrudendum curavimus. Capp. (Cd. Bas. ut Edd. ante Capp. Or.)

esse alia praecepta; sed tamen quae ad philosophiam, non quae ad rhetoricam pertineant. Ad philosophiam, inquit, de qua haec ipsa praecepta transtulimus. Ideo, inquit, quia *nihil* horum *in ceteris artibus inveniebamus*. Ostendit haec de partitione praecepta Latinos nunquam habuisse in artibus suis, se primum transtulisse de Graecis.

Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminisse oportebit cet.] Extremum hoc dat in partitione praeceptum: ut quod primum in partitione ponimus, id primum aggrediamur et explicemus; quod secundum ponimus, ut secundo aggrediamur loco; quod tertium, tertio; postremo, finitis per ordinem suum partibus, dictionem omnem extremis *epilogis* concludamus.

Confirmatio est, per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio] Definitio confirmationis, non per id, quod est, sed per id, quod facit. Et quod ait, *Nostrae causae*, commune praeceptum est tam defensoris quam accusatoris. Uterque enim utroque semper utitur, id est, et confirmatione et reprehensione. Scire autem debemus exordium, narrationem, partitionem et conclusionem in omnibus causae generibus vel constitutionibus generali disciplina eadem praecepta retinere: confirmationem vero et reprehensionem per singula causarum genera vel singulas constitutiones diversa et propria semper habere praecepta. Nunc itaque iuxta ordinem partium post partitionem tractat de confirmatione. Et quoniam, ut supra diximus, in singulis causarum generibus vel constitutionibus diversa et propria habet praecepta, quia mora est, ut per singulas species confirmationis praecepta dicantur, generaliter et confuse praecipit, quibus de locis argumentandi rationibus tractis, in omni causarum genere vel in omnibus simul constitutionibus confirmatio effici possit. Et hoc in primo libro agitur: id est, ut in omne genus formamque causarum quaedam communitas argumentationum velut silva ponatur. Secundus autem liber hoc continet, ut in singulis causarum generibus ac formis propria ac certa et diversa praecepta separentur, de primo libro cunctis argumentandi rationibus tractis.

Per quam argumentando cet.] Hoc enim proprium est confirmationis; alioqui et narratio fidem facit: sed non argumentando fidem et auctoritatem et firmamentum. Fides est argumentum, quo crimen probamus, id est, fidem crimini facimus. Auctoritas est argumentum verius atque honestius et cui quasi necesse habeat credi. Firmamentum est creberrima argumentatio.

Omnis res argumentando confirmatur aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum] Omnis res argumentando confirmatur, sed quae in ὑποθέσει est, quae causa dicitur. Cuius causae ista definitio est: *Lis cum certa persona*. Haec quidem omnis res ex illis septem locis argumenta contrahit: *Quis*, *quid*, *cur*, *ubi*, *quando*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*. Verum ex his duo prima omnem vim argumentationis continent, quinque reliqua secundo

---

7. *Extremum*] Cod. Bas. — *Ad extremum* Edd. Or.
30. — om. *in* Cd. Bas.
39. *Omnis - - confirmatur*] Cd. Bas. — *omnes - - confirmantur* Edd. Or.

subiacent. Itaque duo haec prima *quis* et *quid* apertioribus nominibus Cicero et ad opus vicinioribus nuncupat, id est, personam et dictum factumve; quod negotium est. Itaque omnis res confirmatur aut ex attributis personae argumentis sumptis aut ex attributis negotio. Personis autem attributa sunt undecim: nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studium, consilia, facta, casus, orationes. Itaque si haec omnia attributa personae sunt, quae sit ipsa persona, videamus. Nomen esse non potest: quia primum attributum est personae. Homo esse non potest: quia naturae personae attributum est: et natura mortalium in duo dividitur, in homines et in feras. Quae est ergo persona? Illa scilicet quae in pronominibus finitis est; ut *Ego*, *tu*, *ille*, *hic*, *haec*, *hoc*. Itaque ex persona nulla argumentatio potest sumi. Quum enim dixero, *hic*, quod argumentum feci? Ex attributis autem personae sumitur omnis argumentatio, per quae se aperit et quibus impletur ipsa persona attributis suis. Igitur personarum omnium vis probatur nomine unius cuiusque personae.

Nomen est quod uni cuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur] Antequam ad hoc nomen, quod definiendum est, veniamus, prius de significantia nominis dicamus. Nomen hoc, quod sonat nomen, quattuor significantias habet. Una talis est, quae est in appellatione rerum omnium. Verba autem nostra omnia rerum nomina sunt: ut *salio*, *curro*. Utique his omnibus res significantur. Unde multi illum sapientissimum ac beatissimum esse dixerunt, qui rebus nomina imposuit: certe ut sciamus omnes partes orationis, id est, omne quod loquimur, nomina esse rerum. Quum de Sibyllae responsis ageretur (in responsis autem omnes octo partes orationis fuerint, necesse est) ait Virgilius: (*Aen.* Lib. III. 444.) *Foliisque notas et nomina mandat*. Ergo haec una significantia nominis est, quae in omnium verborum appellatione est. Alia nominis significantia talis est, qua unam partem orationis de octo partibus orationis videmus esse signatam, ut *nomen*, *pronomen*, *verbum*. Tertia, nominis proprii; ut hominis, ut deorum. Quarta autem haec quadripertita est, qua una quaeque persona sine alterius communione signatur. Et ut sciamus unam de quattuor hanc esse significationem nominis, sic proposuit, ut ostenderet, quod nomen esset definiturus. *Nomen est*, inquit, *quod uni cuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur*. Ergo ut proprium personae hoc nomen et certum sit, per quattuor tenditur; praenomen, nomen, cognomen, agnomen. Praenomen porro interdum una, interdum duabus, interdum tribus literis continetur: ut C. *Caius*, ut CN. *Cnaeus*, ut SEX. *Sextus*: fuitque nonnulla apud maiores nostros praenominis ratio; nam et Quintum ideo dixerunt, quod quinto fortassis loco natus esset: et Lucium ideo, quia fortasse esset initio lucis exortus. Verum quoniam haec apud nos ratio nihil valet, argumentum de praenomine non quaerimus. Nomen porro maiorum est tractum

22. *nostra omnia*] Cd. Bas. — om. *nostra* Edd. Or.
41. *Cnaeus*] Ald. — *gneus* Cd. Bas. — *Cneius* Capp. Or.

ex familia vel sanguine: ut *Tullius*, *Cornelius*, ex Corneliis. Cognomen autem proprium personae est; ut *Cicero*, ut *Scipio*. Iam agnomen extrinsecus venit, et venit tribus modis: aut ex animo aut ex corpore aut ex fortuna. Ex animo, sicut *Superbus* et *Pius*. Ex corpore, sicut *Crassus* et *Pulcher*. Ex fortuna, sicut *Africanus* et *Creticus*. Quattuor his itaque partibus personae proprium et certum nomen includitur: praenomine, nomine, cognomine, agnomine; ut *Publius* praenomen, nomen *Cornelius*, *Scipio* cognomen, *Africanus*, agnomen. Argumentum autem, si necesse fuerit, in tribus quaeremus, in nomine, cognomine, agnomine. Itaque definitionis istius haec est propositio, *Nomen est cuique personae*. Deinde hinc incipit definitio, *quo suo quaeque*, id est, vocabulo. Sed quod suum est, potest esse commune cum fratribus, cum propinquis: ut *Tullius*. Multi itaque Tullii; quia nomen ex sanguine est. Deinde addit *proprio*. Rursus et vocabulum proprium potest esse commune: ut *Cicero*, proprium vocabulum: sed tamen multi possunt esse *Cicerones*. Itaque addidit *certum*, scilicet quod ex omnibus quattuor constat: quo unius cuiusque personae verum et non nisi eius possit nomen intelligi; et recte *certum nomen;* interdum enim ex libidine et quadam obtrectatione nomen imponitur. Ut illud in Salustio: *Tyrannumque et Cinnam appellantes*. Itaque huiusmodi nomen certum esse non potest. Quotiescunque autem specialiter aliquid volumus includere, his tribus includimus: suo, proprio, certo; ut Tullius: *Eum suis, eum certis propriisque criminibus accusabo*.

Naturam ipsam definire difficile est. Partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius est] Haec ratio est, ut difficilis sit naturae definitio; etenim apud sapientes contentio est, quid prius sit, deus, an natura. Si natura prior est, ergo deus natus est: atqui deus nasci non potuit. Rursus, si deus prior est, nata est natura: quod si nasci potuit natura, incepit esse natura. Itaque naturae difficilis definitio est. Difficilis definitio naturae secundum Platonem vel alios sapientes, inquit; alioqui ostendit posse definiri. Denique sapientes quidam sic definiere naturam: *Natura est ignis artifex quadam via vadens in res sensibiles procreandas;* etenim manifestum est omnia principe igne generari. Plato autem sic definivit: *Natura est dei voluntas*. Et inter ceteras haec magis probanda definitio; nam si deus et natura ita sunt, ut ex his alterum prius non sit (necesse est autem ex primo nasci, quod secundum est) deinde si quod nascitur nec deus est nec natura, recte naturam dixit dei esse voluntatem. Deus enim semper voluerit et velit necesse est. Ita quoniam nasci natura non potuit, si dei voluntas est; ut deus nasci non potuit, nec natura. Illud autem scire debemus, naturam illud esse quod mundum, ultra mundum naturam non esse, sed deum: voluntatem autem dei, qua mundus est, eandem esse naturam. Itaque hic Cicero

---

1. *ex Corneliis*] Deberet esse: *Tullius ex Tulliis*, *Cornelius*. Or.
30. *incepit*] Cd. Bas. — *incipit* Edd. Or.
33. — *alioqui possit definiri ostendit* Cd. Bas.

naturae principalem definitionem omisit: dixit autem esse difficilem. Partes autem eius enumerat, sed *quarum*, inquit, *indigemus*. [Natura; animalis, inanimalis. Animalis; divina, mortalis. Mortalis; hominum, bestiarum. Hominum; animi, corporis, extrinsecus.] Itaque partem illam naturae reliquit, quae inanimalia generat; neque enim eius indiget, qui rhetoricam scribit. Illius autem naturae partes exsequitur, quae motu suo in rebus agit aliquid, id est, quae vivit. Etenim ille, qui rhetoricam scribit, praeceptis suis personam debet includere: persona autem homo; huius itaque naturae indigemus, in qua est homo. Haec igitur natura, quae motu suo in rebus aliquid agit, principaliter in duo scinditur; in divinam naturam et in mortalem. Ac divina quidem natura ad rhetoricam non pertinet, et ideo hanc omisit. Sciri tamen debet, quia loco argumenti saepe rerum divinarum inducitur disputatio; ut illud est: *Quae res faciat, ut vigeamus, quae, ut occidamus*. Sed hoc ad rhetoricam, non tamen ex rhetorica descendit. Itaque confert se ad mortalem naturam: rursusque hanc in duo dividit, in homines et in bestias. Omne, quod extra hominem vivit cum anima et corpore, bestias nominavit. Removeamus itaque et naturam illam mortalem, quae bestiarum est: hancque solam inspiciamus, in qua homines sunt: et de eadem natura circa certam personam inventa dupliciter argumenta capiamus. Etenim ea, quae in hominis sunt natura, nunc tantum naturae sunt; nunc ita naturae, ut et industriae vel artis esse credantur. Tripliciter autem debemus in homine inspicere atque explorare naturam; quae sit natura animi, quae corporis, quae extrinsecus. Verum quae in homine extrinsecus sunt, ea tantum naturae sunt: quae autem in homine animi vel corporis sunt, ea et naturae possunt esse et disciplinae. Itaque primum videamus, quae natura in homine sint. Extrinsecus; ut sexus. Sexus enim tantum naturae est, nec ex disciplina potest aliquando contingere; ita et natio et patria et cognatio et aetas tantum naturae sunt. Natio est, inquit, ut consideres, utrum Graecus sit, an Barbarus; hoc secundum ipsorum Graecorum sententiam, qui absque se reliquos Barbaros appellabant. Patria est, inquit, ut consideres Atheniensis, an Lacedaemonius; Aquileiensis, an Mediolanensis sit. Cognatio, inquit, est, ut consideres, quibus maioribus oriundus sit, unde sanguinem ducat: fitque hinc optimum argumentum, ut illud est in Virgilio: (*Aen.* III. 248.) *bellumne inferre paratis, Laomedontiadae*. Sed et hoc argumentum quasi ex nomine fieri videtur, quod ait, *Laomedontiadae*: quum hic ex natura colligenda nobis insinuet argumenta. Hoc itaque interest,

---

1. — *dimisit*] Cd. Bas. Or.

25. *Natura; animalis - - - corporis, extrinsecus*] Haec omnia absunt a Cd. Bas. St. Ald. et e glossa videntur profecta. Habet Asc. Or.

28. *extrinsecus*] τὸ *extrinsecus* illud significat, quod ab arte, vel disciplina, vel industria nostra nequaquam pendet: sed infra ad lib. 2. ubi *de attributis personae*, pro τῷ *extrinsecus*, dixit, *extra ipsum hominem*. Capp.

28. *in homine sint*] Antea legebatur *sit*; sed perperam, ut vel leviter attendenti patebit. Capp. (Sed praeterea emendandum *quae naturae* genit. sing. Cd. Bas. vitiose: *natura - - sit*. Or.)

29. *nec*] — *non* Cd. Bas.

quod in nomine ex sono ipso nominis colligimus argumentum; ut ex *Verre*, quod *everrat* provinciam. In natura autem non ex nominis sono, sed ex eius actu vel moribus, cuius nomen est, colligimus argumentum. Etenim quum dicimus *Laomedontiadae*, in sono nominis nihil est; in actu autem Laomedontis perfidiae positum est argumentum. Aetatem autem, inquit, inspicere debemus, utrum puer sit, an grandior, an senex: ut cuicunque aetati crimen quod agitur, aut convenire aut non convenire doceamus. Haec de his, quae extrinsecus sunt, quae tantum naturae sunt. Nunc venit ad ea, quae corporis et animi sunt et quae tam naturae quam disciplinae esse possunt. Etenim interdum per se multum valet natura, interdum tenuis et infirma est: disciplina enim vel usu saepe mutatur. Enumerat itaque, quae ista sint veluti communia, ut consideremus, utrum aliquis valens an imbecillis sit; longus an brevis; formosus an deformis; velox an tardus; haec omnia corporis sunt: quae facile videmus saepe hominibus ex natura, saepe ex arte contingere. Deinde, inquit, debemus inspicere memor an obliviosus sit; comis, officiosus, prudens, patiens, an contra: haec rursus omnia animi sunt: quae similiter videmus tam ex natura nobis quam ex arte provenire. Verum cuncta ista, inquit, quae animi et corporis sunt, quamquam saepe ex disciplina vel arte contingant, tamen qualia vel quanta sint, non nisi in sola natura considerare debemus. Ea autem, quae industria comparantur, in habitu rectius considerabimus.

In victu considerare oportet, apud quos et quo more et cuius arbitratu sit educatus] Victus hominis est omne illud tempus a pueritia usque ad id, quod agit; itaque considerare debemus, non apud quos natus sit (quod naturae est), sed apud quos sit educatus, unde incipit victus. *Apud quos*, inquit: interest enim inspicere illorum vitam, apud quos educatus sit: ex his enim vivendi potuit capere disciplinam. Sed quia homines interdum, non ut volunt, educant, aliqua necessitate compulsi, (quippe et severiores saepe dissolutius et dissolutiores saepe severius educant) recte quaerendum dicit non solum apud quos educatus sit, sed etiam *quo more* educatus sit. Deinde, inquit, inspicere debemus, ad cuius arbitrium sit educatus, id est patris, patrui, cognati, an alienioris. Animadvertamus itaque, ut victus a primis annis usque ad aetates alias protendatur; ut dixit, primo quaerendum, quemadmodum sit educatus; hoc, *quemadmodum*, in tria divisit; *apud quos*, *quo more*, *cuius arbitratu*. Deinde educatus puer solet discendas literas sortiri easdemque liberales. Itaque qui liberales literas discit, duplices habere debet magistros, qui faciant virum bonum et qui faciant dicendi peritum et his duobus plenum oratorem. Recte ergo etiam hoc quaerendum, *quos habuerit artium liberalium magistros*, *quos vivendi praeceptores*. Itaque non, utrum habuerit magistros, utrum

---

20. *animi*] Cd. Bas. — *animae* Edd. Or.
42. *habuerit*] bis Cd. Bas. — *habuit* Edd. Or.
43. *quos artium magistros*, *quos vivendi praeceptores*] Nota discrimen inter magistrum et praeceptorem. Capp.

vivendi praeceptores, sed quos habuerit, quaerendum. Deinde etiam hic animadvertendus ordo est, postquam literas quis didicerit et certam vivendi acceperit disciplinam, tunc necesse est, ut habere incipiat amicos; sed quaerendum est, *qualibus amicis utatur:* amicus enim mihi esse non potest nisi similis mei. Deinde *quo in negotio*, *quaestu et artificio sit occupatus*, quaerendum; necesse est enim, ut in vita nostra aliquid agamus, quo nos occupemus. Et hic actus in vita aliquid agentium triplex est; nam aut negotium est, ut mercatura, ut militia, ut agricultura et cetera; aut quaestus est, ut praeco, ut parasitus, ut scenicus aut similia; aut artificium, ut artem scilicet aliquam plene cognitam aut exerceas aut tradas, ut orator, ut rhetor et alia huiusmodi. Alioqui scire aliquid perfecte et exercere nolle habitus est; deinde aliquid non plene scire, neque id quodcunque exercere affectio est; verum unius cuiusque rei et habitus et affectus si exerceatur et in actu sit, victus est. Animadvertendum, inquit, etiam *quomodo rem familiarem administret*, *qua consuetudine domestica sit;* ex rebus enim privatis et domesticis, quemadmodum quis in re publica vivat, facile possumus agnoscere.

In fortuna quaeritur servus sit, *an liber*] Hoc quasi naturae esse magis videtur, ut servus quis, an liber sit: servi enim saepe nascuntur: sed ut taceamus, ut multi saepe ex fortuna servi sint, etiam illos qui nascuntur, ex fortuna servos esse manifestum est. Etenim ex captivis primum servi facti sunt: captivitas bello; in bello, non nisi incerta fortuna; itaque servum esse fortunae est. Hoc etiam in fortnna considerandum, *pecuniosus sit*, *an tenuis; privatus*, *an cum potestate*. Sed quia non uno modo capimus potestatem, recte addidit, *si cum potestate*, *iure*, *an iniuria*. Hoc etiam fortunae est, ut videamus, *utrum felix*, *clarus*, *an contra sit*. Considerare etiam debemus, non utrum liberos habeat, quod naturae est, sed *quales liberos habeat*, ut est illud in Virgilio: (*Aen.* III. 480.) *Vade*, *ait*, *o felix nati pietate*. Non nato felix, sed nati pietate; itaque in eo fortunam inspexit; quippe: *Vade*, *ait*, *o felix*, inquit; facit enim fortuna felicem. Quod si, inquit, is, cuius victus quaeritur, mortuus erit, non de morte, sed de mortis eius genere quaeretur: alioqui mors naturae est.

Habitum autem appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem] Habitus, inquit, iste est alicuius rei sive in animo sive in corpore non natura coepta, sed usu corroborata et plena perfectio; scire enim plene aliquid habitus est, iam si id volueris exercere, victus est. Videamus itaque habitum

---

5. *quo in*] Cd. Bas. — om. *in* Edd. Or.
12. *habitus*] ἕξις. Capp.
14. *affectio*] διάθεσις, vulgo dispositio. Capp.
Ibid. *et affectus*] Mallem legere *affectio*, sicut supra et infra legitur. Capp.
38. *non natura*] Cd. Bas. — *a natura* Edd..; pro *coepta* (*cepta*) fortasse leg. *accepta* vel ex Cic. *data*. Or.
40. *victus est*] Quid sit hoc in loco τὸ *victus*, vide ad Libr. 2. ubi *de attributis personae*. Capp.

qualem esse dicat: *Ut virtutis*, inquit; hic habitus animi. Virtus autem quadruplex, iustitia, temperantia, fortitudo, prudentia. Sed tunc habitus, si virtutem ita teneamus acceptam, ut nunquam a semel comparata recedamus. Nam si frequenter sua cuique reddamus et aliquando rapiamus, iam iustitiae habitum per intemperantiam non tenemus; similiter et circa reliquas virtutes: ita enim est habitus definitus, *Habitum appellamus animi aut corporis constantem et absolutam aliqua in re perfectionem.* Absoluta, ut plena sit; constans, ut semper eadem sit neque aliquando a se recedat, et tunc est vere habitus. Deinde: *Aut artis*, inquit, *alicuius perceptionem;* ut puta, Ego rhetoricam plene quidem novi, sed exercere nolo. Itaque licet non exerceam, in eo tamen, quod rhetoricam plene novi, habeo oratoris habitum: ita et in ceteris artibus plena perceptio habitus est.

Aut quamvis scientiam] . [Ars duplex est; in scientia, in actu; scientia artis, non artis.] Inter scientiam et artem hoc interest. Ars quidem duplex est, una in scientia, alia in actu. Verum scientia rursus duplex est: est scientia artis, est non artis; neque enim aurum, gemmas probare artis est, aut scire quot milia hominum in illo sint populo, quanto spatio haec urbs ab illa distet; haec itaque scientia est, sed non artis. Sed quoniam et artis est quaelibet, inquit, scientia, si plena in nobis fuerit, habitus nuncupatur. Sed hucusque de habitu animi. Deinde, inquit, et corporis aliqua commoditas studio et industria comparata habitus dicitur; ut si corpus palaestra roboremus, si velocitatem nobis exercendi studio comparemus. Verum et animi et corporis habitum Cicero in bonis collocavit: quippe habitum dixit esse virtutem aut artis perceptionem, deinde aliquam corporis commoditatem. Ita et Aristoteles omnem habitum in bonis posuit, quum secundum definitionem possit et in malis habitus esse. Nam si demus semper operam, ut nihil intelligamus, studio stulti sumus: erit hic habitus industria comparatus; et rursus, si exercitium corporis devitemus, studio imbecilles sumus; erit aeque hic habitus corporis industria comparatus. Sed nescio quo modo recte habitus malorum non est positus neque a Cicerone neque ab Aristotele; nam si hoc ipsum nomen inspiciamus et eius sonum, videamus *habitum* dictum esse ab eo quod *habere* voluerimus. Natura autem nostra talis est, ut nunquam mala velimus: malorum ergo esse habitus non videtur; est tamen. Nam et Catilina habitu malus fuit, id est, malitiam industria sibi comparavit.

Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio; ut laetitia, cupiditas, metus, molestia; morbus, debilitas et alia, quae genere in eodem reperiuntur] Habitum esse diximus sive in animo sive in corpore alicuius rei perfectionem. At contra, sive in animo sive in corpore alicuius rei inchoatio est affectio, quae subito aliqua ratione nascitur, mox recessura: ut si quid

1. — *ut virtutem* Cd. Bas.

8. *Absoluta*] Cod. Bas. — *Absoluta est* Edd. Or.

13. *Ars - - artis*] Absunt haec a Cod. Bas. St. Ald. et e glossa videntur profecta. Asc. sic: *Ars. Scientia actus artis et non artis.* Or.

nobis boni nuntietur et laeti esse incipiamus; si quid videamus, et id ipsum concupiscamus; vel aliquid timere si incipiamus et moleste ferre, istae omnes animi sunt affectiones: deinde corporis, si subito in morbum incidamus; si aliquid in nobis debilitetur, sed ad tempus, post autem sanetur. Hae itaque erunt affectiones corporis et reliquae eis similes.

Studium autem est animi assidua et vehemens cet.] Studium est, inquit, ad aliquam rem assidua et vehemens animi cum magna voluntate occupatio. Alioqui assidua et vehemens esse non potest, si in ipso opere non habuerit voluntatem. Et dat res, non quae studium sint; sed quarum studium sit: *ut philosophiae*, inquit, non philosophia, aut *poëticae*, aut *geometriae*, *literarum;* non poëtica, aut geometria, literae. Itaque si quid vehementer et cum magna voluntate volumus, studium est. Deinde si id, quod volumus, aliqua ex parte consequimur, affectio est. Sin autem quod plenum et perfectum est, tenemus, habitus est. Quod si hoc ipsum *plenum* agendo exercere voluerimus, erit victus. Ita unum qualitate diversa in multa attributa convertitur.

Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi vera excogitata ratio] Duo semper sunt, unde dubitamus et unde consilium est. Aut enim ut faciamus aliquid, quaerimus; aut ut non faciamus. Ita et leges, quae consilio scribuntur, duo semper haec continent: aut fieri iubent aut fieri prohibent. Sed quia quum de re aliqua dubitamus, incerta quaedam ratio in ancipiti cogitatione versatur; postquam id ipsum statueris, erit excogitata ratio: et ideo excogitata, quia fuerat iam ante cogitationem ratio, quod *consilium* est.

Facta autem et casus et orationes tribus ex temporibus considerabuntur] Ex his quoque non minima colligimus argumenta, ut de factis personae argumenta capiamus, de dictis, de his, quae ei acciderunt: ut damnum, ut morbus, ut orbitas et reliqua similia. Verum haec per tria, inquit, tempora debemus inspicere; tunc enim de futuro argumentum possumus facere, si ita et ante fuisse doceamus: ut puta, Quia hoc fecit, hoc facit, etiam hoc facturus est: Quia hoc passus est, hoc patitur, hoc etiam passurus est: Quia hoc dixit, hoc dicit, hoc etiam dicturus est. Hucusque autem attributa personae.

Ac personis quidem haec videntur esse attributa. Negotiis autem quae sunt attributa cet.] Septem sunt quidem (ut diximus) elementa, unde omnis argumentatio capitur ad unam quamque rem; *Quis*, *quid*, *cur*, *quando*, *ubi*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*. Horum duo prima omnia continent. Nihil autem aliud quaeritur, nisi quis fecerit et quid factum sit. Atque haec ipsa Cicero propriis et

---

9. *Studium est - - occupatio*] Exciderunt haec e Capp. Or.

12. *poëticae - - poëtica*] Cd. Bas. Asc. — *poëtriae - - poëtria* Cett. Tum *literae* Asc. pro Cett. *litera*. Or.

26. *cogitationem*] Cd. Bas. — *cogitata* Edd. Or.

33. *hoc facit*, *etiam hoc*] Cd. Bas. = *hoc facit etiam*, *et hoc* Edd. Fortasse *hoc facit*, *hoc etiam*. Or.

38. *unam quamque*] Cod. Bas. — *quamcunque* Edd. Or.

apertioribus et ad rem vicinioribus nominibus appellavit: *Quis* enim, personam dixit; *Quid*, negotium vocavit. Ac personae quidem, quam in pronomine posuimus, quae essent attributa, iam dictum est: nunc antequam dicamus, quae negotio attributa sint, quid sit ipsum negotium, videamus. Negotium est factum, de quo quaestio est: verum hoc factum nunc in facto est, nunc in dicto, nunc in cogitatu. Omne hoc itaque factum, de quo quaestio est, negotium appellatur. Ac factorum quidem genera tria sunt. Est factum illud, de quo quaestio est: est factum, quod in negotio est, quo illud factum, de quo quaestio est, probatur; atque hoc factum tribus temporibus consideratur; *ante*, *in*, *post*. Est et tertium genus facti, quod extra negotium est, ex quo ad id factum, de quo quaestio est, trahitur argumentum: ut, Cluentii factum est *iudiciale* de veneno, quod occiderit Oppianicum: deinde extra hoc negotium facta eius alia ad argumentum, quod proponitur, trahuntur; quod multos ante veneno necarit. Hoc tertium factum in attributis parsonae accipimus, facta, casus, et orationes. Tria itaque genera factorum sunt; factum est, de quo quaestio est; factum, quo id factum, unde quaestio est, probatur; factum extra negotium, sed ad negotium. Itaque factum illud, de quo quaestio est, negotium appellatur. Huic negotio quattuor principaliter attributa subiecit: unum, quod in ipso negotio est, quae *continentia cum ipso negotio* appellavit; id est, quibus illud factum, de quo quaestio est, probatur, et quae ab ipso negotio videntur nullo modo posse separari: secundum attributum est, in quo illa, quae in gestione negotii sint, necesse est videre; aliud est enim ipsum negotium, aliud illa, quae in gestione negotii continentur: ut puta, *Occidit*, negotium est. In ipsius autem negotii gestione illa sunt: *Illo tempore occidit*, *In illo loco occidit*, *Fuit occasio, ut occideret*, et reliqua, quae in gestione negotii continentur: tertium attributum est, quod *adiunctum negotio* nominatur; hoc neque negotium neque in gestione negotii, sed extra negotium est: hoc ab oratore sumitur, cuius assumptione res illa, de qua quaestio est, aut similis aut dissimilis demonstrabitur. Itaque omnia exempla attributa negotio sunt: sed quoniam extrinsecus veniunt, *adiuncta negotio* nominantur: quartum attributum est negotio, quod gestum negotium consequitur. Hoc quoque extrinsecus est; non enim in negotio vel in gestione negotii continetur, sed, an post negotium contigerit, consideratur: ut puta, factum Milonis hae res consecutae sunt; ut, de eodem facto legem novam Senatus tulit; caedem, quae in Appia via facta esset, contra rem publicam factam esse iudicavit. Haec omnia non in negotio neque in gestione negotii sunt, sed gestum negotium consequuntur. Et quoniam scimus, quot attributa negotio sint, nunc in singulis, quae nobis sint ad argumentum ducenda, videa-

---

17. *factum est*] Cod. Bas. — om. *est* Edd. Or.

18. *factum, quo id*] Legebatur olim, *quod:* sed legendum esse *quo* satis, patet ex illis antecedentibus: *Est factum quod in negotio est, quo illud factum de quo quaestio est, probatur.* Capp. (Habet Cod Bas. *quo id.* Or.)

42. *sint*] Cd. Bas. — *sunt* Edd. Or.

Ib. *sunt, nunc* cet.] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *sunt, vel quae sint in singulis, nunc quae nobis.* Capp. Or.

mus. Ac primo illa consideremus, quae *continentia cum ipso negotio* appellantur; sine quibus negotium et quae sine negotio esse non possunt. Haec itaque quinque sunt: Summa ipsius negotii, summae causa et facti tria tempora, *ante*, *in*, *post:* quod factum inter genera factorum secundum esse memoravimus. Summa negotii talis est, ut parentis occisio. *Patrem enim occidit*, negotium est: negotii summa est, [ut] parentis occisio. In hoc de ipsis nominibus, de pronuntiatione fiet argumentum, si cum quadam admiratione dicamus: *Occidisse patrem Sextus Roscius dicitur!* Deinde causa illa est, ut puta: *occidit, quia inimicus fuit;* aut contra: *quia inimicus non fuit, non occidit.* Iam post causam facta considerare debemus, quibus illud factum, de quo quaestio est, asseramus. Haec facta per tria tempora (ut saepe iam dictum est) dividuntur, ut consideremus quid ante factum sit, quid in re ipsa factum sit, quid postea factum sit; ut, Milo quid ante fecit? In senatu fuit; domum venit; calceos et vestimenta mutavit; profectus est. Deinde quid fecit in re ipsa? Ad Albanum pervenit; impetus in illum factus est; tum ille reiecit penulam; de rheda desiluit; se defendit; Clodius occisus est. Postea quid fecit? Profectus est Lavinium; flamines creavit; propter invidiam Romam cito noluit reverti. Ergo his factis factum probatur, aut defenditur illud, quod in quaestione est, id est, Milo Clodium occidit. Necesse est itaque haec quinque in eodem negotio, de quo quaestio est, contineri. Frustra enim aliquid factum obiicimus, immo nec factum est, nisi eius summam dicamus, nisi causam eiusdem facti doceamus, nisi quid ante, quid in re, quid postea factum sit, demonstremus. Recte ergo *continentia cum ipso negotio* nominata sunt.

Deinde causa eius summae, per quam et quamobrem et cuius rei causa factum sit, quaeritur] Multae quidem causae sunt. Nam, ut omnia ista nascantur, quae in mundo sunt, necesse est causa praecedat: et hoc ipsum negotium, de quo quaestio est, causa dicitur. Verum haec causa hominis circa factum duplex est: aut enim propter rem aliquam iam ante animo praevisam quodcunque facimus: et erit causa, quae ratiocinatio dicitur: aut subito necessitate aliqua praesentis temporis in factum aliquod praecipitamur: et erit causa, quae impulsio dicitur: et quaecunque causa ex confessione veniam meretur, impulsio est. Harum nunc utramque causam Cicero hic tetigit: *per quam et quamobrem*, inquit, *et cuius rei causa factum sit*, *quaeritur*. *Quamobrem* ratiocinatio est; *cuius causa* impulsio est.

In gestione autem negotii, qui locus secundus erat de iis, quae cet.] De septem elementis, persona iam dicta est: remanserunt sex: quae negotio attributa sunt; *Quid*, *cur*, *quando*, *ubi*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis;* ex his rursus duo, *quid* et *cur*, id est, factum illud triplex, et facti causam *continentia cum ipso negotio* esse monstravimus. Reliqua quattuor in gestione negotii sunt; *Ubi*,

---

2. *sine quibus negotium*] subauditur, *esse non potest.* Capp.
19. *flamines*] Immo *flaminem.* Or.
21. *quaestione*] Cd. Bas. St. Ald. — *gestione* Capp. Or.

quando, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*. Addidit Cicero quintam, *occasionem*, de qua post dicemus. Quinque itaque res secundo attributo subdidit, locum, tempus, occasionem, modum, facultatem; et recte haec *in gestione negotii* esse dixit. Illa enim superiora quinque, *summa negotii*, *summae causa*, *quid ante factum sit*, *quid in re factum sit*, *quid postea factum sit*, negotium, id est, factum illud, de quo quaestio est, probant. Quod si negotium probant, in gestione negotii non sunt. Verum in gestione negotii necesse est, ut haec rursus quinque sint, locus, tempus, occasio, modus, facultates. Etenim quum dicimus: *Milo in senatu fuit; domum venit; postea profectus est;* gestio negotii est quidem, sed in ipsa negotii gestione *tempus* ostendimus; id est, Milonem hora undecima profectum. Deinde quum dicimus: *Venit ad Albanum; impetus in illum factus est;* gestio quidem negotii est, sed in ipsa negotii gestione et *occasionem* ostendimus, quod necesse habuerit iter illuc facere: et *locum* ostendimus, quod de loco superiore impetus in illum factus sit: et *facultates*, quod Clodius habuit armatos. Ergo gestio negotii sine his quinque esse non potest: loco, tempore, occasione, modo, facultatibus. Quod si sine his quinque negotii gestio esse non potest, recte haec in gestione negotii considerare debemus.

Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum] Ut sciamus, quem locum considerandum praecipiat, qui sint alii loci, videamus: ac primo secundum Lucretii ceterorumque sententiam *inane* totum locus est; quod *inane* patet rebus occupaturque ab elementis, igni, aëre, aqua, terra. Ergo haec elementa in loco sunt, id est, in inani. Sed rursus ipsa elementa loci sunt: ut ignis, sideribus locus est: aër, avibus: aqua, natantibus: terra, gradientibus vel his omnibus, quae in eadem nascuntur. Itaque et terra omnis locus est: et rursus in terra locus est; qui locus nobis non ex eo, quod locus est, considerandus est: sed ex eo, qualis sit, ut ex opportunitate eius aliquid in eo aut fieri potuisse aut fieri non potuisse doceamus. Hoc itaque sit praeceptum in loco, qualitatem eius atque opportunitatem nos inspicere atque aestimare debere. Necesse est enim nos ubicunque esse: sed illud ubi sumus, quale sit, considerandum est. Atque haec opportunitas loci per multa consideranda est: nam et magnitudo loci inspicienda est, utrum ibi tot milia hominum ceperit: deinde intervallum inspiciendum est; ut in Quintiana, septingenta milia passuum biduo esse decursa. Et quoniam intervalli duo genera sunt, *longinquitate*, inquit, *et propinquitate:* deinde considerandum, semotus locus, an celebris sit: deinde natura ipsius loci videnda, tumulosus, declivis,

5. *summae causa*] Asc. St. Ald. — *summa causa* Capp. — *summa causae* Cd. Bas. cfr. infra Cap. 85., ubi omnes: *causam ipsius summae*. Or.

9. *facultates*] h. l. (ut mox) Cd. Bas. — *facultas* Edd. Or.

34. — *existimare* Cd. Bas.

Ibid. *necesse est nos ubicunque esse*] Id est alicubi, in quopiam loco. Sic paulo post: *necesse est quemcunque locum et quodcunque tempus fuisse*, id est aliquem locum, aliquod tempus. Capp.

planus, saxosus, palustris, silvestris: quae sit praeterea vicinitas eius loci, in qua natura sit, ut ideo ibi aliquid fieri potuerit vel non potuerit, quod vicinia talis sit vel omnis regio. Etiam hoc, inquit, in loco considerare debemus, sacer an profanus sit, publicus an privatus, alienus an ipsius de quo agitur: quod si ipsius non erit, etiam hoc videndum, an aliquando ipsius fuerit. Ex his igitur tot opportunitatibus loci multa ad negotium colligere possumus argumenta.

Tempus est autem id, quo nunc utimur cet.] Tempus generaliter definire difficile est: quia tempus semper fuerit necesse est sive ante mundum sive post mundum sive cum mundo. Multi enim natum mundum, multi natum non esse contendunt. Ergo hoc tempus generale, quia nec initium nec finem habet, aeternitas est, quam Graeci *αἰῶνα* appellant. Verum quoniam hoc tempus definiri difficile est, illud definit, quo nunc utimur. *Tempus est*, inquit, *pars quaedam aeternitatis*, aut annuum aut diurnum aut nocturnum spatium significans. Ex cursu enim siderum certis temporibus certum nomen impositum est. Septem stellae septem circulis contra caelum volvuntur: quae quum singulae ad id signum, unde profectae sunt, fuerint reversae, certum tempus includunt. Quod si omnes septem simul ad ea signa, unde profectae sunt, revertantur, tunc fit illud tempus, quod *annus magnus* dicitur: et necesse est omnia rursus per ordinem suum, quae ante nata sunt, renasci. Ergo si ad exordium suum simul omnes stellae revertantur, *annus magnus* dicitur. Singularum autem cursus habet tempus suum: sed omne tempus certis vocabulis non tenetur. Nam Saturni cursus habet tempus; sed tempus ipsum non habet nomen. Item Iovis, Martis, Veneris atque Mercurii. Solis vero cursus quum se expleverit, annus est: Lunae quum se expleverit, mensis est. Iam vero et Sole supra terras posito, diem vocabimus: et Sole sub terris posito, noctem. Horarum autem duodecim haec esse origo memoratur. Quodam tempore Hermes Trismegistus, quum esset in Aegypto sacrum quoddam animal Serapidi dicatum, quod in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem dimensum esse coniecit: et exinde hic horarum numerus custoditur. Deinde alii dicunt ex quadratura caeli, quae secundum musicam rationem in duodecim partes dicitur esse divisa, horas duodecim esse nominatas. Aquam enim per totum diem exceperunt tenuissima caverna defluentem, et hanc maiores nostri in duodecim partes diviserunt: ex his partibus horis numerum imposuerunt. Sed iam tempus est, ut ad rationem temporis revertamur: quod tempus, id est, hoc quo nunc utimur, spatium accipiamus; quod aut in multis annis sit aut in anno, aut in mensibus aut in mense, aut in diebus vel die, aut in noctibus

---

8. *est autem*] Cd. Bas. = *autem est* Edd. Or.
10. *sive post mundum*] Praebet haec Cd. Bas. — om. Edd. Or.
31. *Serapidi dicatum*] Asc. — *Serapi dedicatum* Cett. Or.
33. *dimensum*] Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *divisum* Capp. Or.
36. *tenuissima caverna*] An potius legendum *tenuissimo caverno*, id est, foramine? Nam Veteres Glossae: *cavernum*, *τρύπημα*, aliae: *τρώγλη foramen*, *cavernum*. Et sane hic agitur de clepsydris, quae ad horarum distinctionem ex tenuissimo foramine aquam emittebant. Capp.

vel nocte, aut in horis vel hora vel momento. Verum hoc tempus nostrum philosophi in duo tempora diviserunt; in praeteritum et futurum. Praesens autem esse negaverunt: quod in eo, quod praesens dicimus, si quid iam ex parte aliqua confectum est, praeteritum sit; si quid mox perfici habeat, futurum sit. Ita Virgilius: (*Aen.* I. 234.) *Tot iam volventibus annis*; quod enim volvitur, non stat: quod non stat, praesens non habetur. Oratores autem tempus nostrum in tria tempora dividunt: praeteritum, praesens et futurum. Ac praeteritum tempus in tria tempora dividunt; in illud tempus vetus atque obsoletum et perantiquum, deinde in illud, quod, licet vetus sit et a nostra memoria remotum, tamen in literis continetur; postremo in illud, quod gestum est nuper et cuius de his qui vivunt plerique meminerunt. Praesens vero tempus in duo dividunt, in praesens et magis praesens. Magis praesens tempus est, ut: *Nunc, nunc insurgite remis.* (Virgil. *Aen.* V. 189.) Hoc est, quod ait: *Et item quae instent in praesentia et quum maxime fiant.* Instans enim tempus praesens est, ut ait Iuno ad Iuturnam, quum iam fata Turnum tenerent: *Atque instantibus eripe fatis.* (*Aen.* X. 624.) Denique ut sciamus illam praesentia fata dixisse, addidit postea tempus, quod magis praesens esset: *Si quid praesentius audes.* (*Aen.* XII. 152.) Praesens ergo tempus duo tempora habere dixerunt, praesens et magis praesens. Futurum autem tempus in duo diviserunt; in ocius et serius; id est, in id, quod mox futurum est, et in id, quod tardius futurum est. Atque haec tria tempora cum partibus suis hic in hoc attributo, quod de tempore est, continentur.

Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda] Tempus esse diximus spatium, quod in annis, mensibus, diebus, noctibus horisque versetur. In hoc, inquit, communiter tempore longinquitatem eius debemus inspicere: in qua longinquitate duo oportet attendere: utrum in illo spatio huius negotii magnitudo potuerit impleri et utrum tot simul res potuerint effici. Quod enim in rebus difficile est, aut numero aut magnitudine sit necesse est.

Occasio est autem pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem] In illa mensura temporis ex motu caeli facta ex actibus nostris vel ipsius mundi qualitas proveniens occasionem parit faciendi aliquid vel non faciendi. In tempore enim mensura ac spatium consideratur: in occasione qualitas temporis, ex qua opportunitas nascitur faciendi aliquid vel non faciendi. Hoc itaque inter se distant tempus et occasio: genere autem similia sunt. Verum haec occasio, ut diximus, ex actibus nostris vel ipsius mundi parit nobis ad aliquid opportunitatem. Verum haec occasio vel opportunitas in tria genera distribuitur, publicum, commune, singulare. Publicum est, inquit, quod ad totam pertinet civitatem; si aut bellum sit aut ludi aut aliquis dies festus. In hac itaque publica occasione est opportunitas aliquid faciendi vel non faciendi. Commune est, inquit, quod ex actibus mundi provenit; ut si messis sit, calor,

---

9. ∾ *vetus obsoletum* Cd. Bas.
16. *ut*] Cd. Bas. Asc. — *quum* Cett. Or.

si vindemia, frigus. Singulare est autem, inquit, quod uni cuique potest provenire privatim; ut si nuptiae sint, sacrificium, funus, convivium, somnus. Et recte in privata occasione somnum etiam posuit. Non enim ex necessitate temporis, sed ex corporis atque animi ratione dormitur; interdum enim lassi aut maesti per diem dormimus: interdum solliciti atque occupati nocte vigilamus. Triplex itaque occasio: publica, communis, privata. Ex his occasionibus multa possumus colligere argumenta.

Modus autem est, in quo, quemadmodum et quo animo factum sit, quaeritur] Modum Cicero diligenter inspexit atque ita definivit, ut nemo unquam. Namque modum in duobus inspiciendum docet, in modo facti et in animo facientis; ut si dicas: *Clam est quidem modus facti, quod quasi res occulte geratur: verum in eo est et animus facientis insidiosus, latens atque instructus dolis.* Ita in eo, quod *clam* dicimus, et modus et animus invenitur. Similiter omnes modi ex modo facti et ex animo inspiciendi sunt. Verum in ipso animo duo rursus debemus inspicere, prudentiam et imprudentiam, id est, utrum aliquid consilio, an animi impulsu feceris. In his enim causa facti quaeritur, quam duplicem esse supra diximus circa facientis voluntatem; ratiocinationem scilicet et impulsionem. Ita ratiocinatio erit prudentia animi, impulsio vero imprudentia. Verum hi erunt ex prudentia modi, *clam*, *palam*, *vi*, *persuasione*. Haec omnia prudenter admissa sunt; id est, ut res fieret, consilium ante praecessit. Imprudentia porro ad *purgationem* iungitur: quae pars *veniae* est; cuius *purgationis* partes tres sunt inspiciendae; inscientia, casus, necessitas. In his quoque modis factum quidem manifestum est, sed animus invenitur invitus. Adiungitur ad imprudentiae modos etiam affectio, quam paullo ante personae diximus attributam: quam affectionem esse diximus animi aut corporis repentina de causa permutationem. Verum hic quoniam in modo animus attendendus est, animi solas circa affectionem posuit commutationes, id est, molestiam, iracundiam, amorem. Itaque his affectionibus animi imprudentes in factum impelluntur; et recte *imprudentes:* quippe affectio est repentina animi commutatio. Ergo quod repentinum est, prospici non potest: si prospici non potest, imprudentia est.

Facultates sunt, aut quibus facilius fit aut sine quibus aliquid confici non potest] Facultates Cicero duplici qualitate definivit duasque illis potentias dedit: ut sit primum genus facultatum illud, sine

---

1. *sit, calor, si vindemia, frigus.*] Cd. Bas. — *sit, si vindemia; si calor, si frigus* Edd. Or.

18. *feceris*] Cd. Bas. — *fecerit* Edd. Or.

24. *ad purgationem*] In praecedentibus docuit speciem quamdam *qualitatis assumptivae* vocari *concessionem*, cuius duae sint partes, *purgatio* et *deprecatio*. Capp.

Ibid. *veniae*] Ab aliis rhetoribus dicitur *status venialis*, *deprecativus*, et *deprecatio;* a Graecis συγγνώμη. Capp.

25. *inscientia*] Cd. Bas. — *inscitia* Edd. Or.

34. *non potest*] Perperam legebatur antea *non prodest.* Capp. (Rectam lect. habent Cd. Bas. Asc. St. Ald. Or.)

quo aliquid fieri non potest; aliud, quo aliquid facilius compleatur. Etenim haec duo prima proponamus; *fit*, *non fit*: iam ex eo, quod fit, rursus duo descendunt; *facile fit*, *difficile fit*. Ita in duobus ponitur facultas; in genere, id est, in eo, quod fit; et in specie, id est, in eo, quod facile fit. Illud autem, quod difficile fit, ita potest argumentis torqueri, ut illud videatur esse, quod non fit: et idcirco in hoc non sunt positae facultates. Dupliciter igitur facultates esse teneamus; primo illas, sine quibus aliquid fieri non potest; deinde illas, quibus aliquid completur et facile completur: ut si quis velit rhetoricam addiscere, prima erit ei addiscendi facultas, sine qua effici non potest; id est, animus, ingenium, instrumenta artis ipsius et magister: deinde erunt illae facultates, quibus facilius fit, si sit doctus et benevolus magister. Ita et ad mortem facultas, sine qua fieri non potest, venenum; qua facilius fit, venenum cum poculo. Si autem in pane detur venenum, pars illa est, quae difficile fit; quae ita potest argumentis torqueri, ut pars illa videatur esse, quae non fit: quod quidem Cicero pro Cluentio disputavit, quum negavit in pane dari venena potuisse. Hoc autem scire et tenere debemus, etiam tempus et locum et cetera praeter modum facultates esse posse; si generaliter considerentur, non ex specie vel ex opportunitatibus suis. Necesse est enim et quodcunque tempus et quemcunque locum fuisse, quum aliquid factum est. Alioqui facultas prima non erit faciendi, nisi ista sint. Ita Cicero in Rosciana: *Non potuit*, inquit, *occidere patrem Roscius*, *quoniam absens fuit;* hic argumentum a loco fecit. Deinde ait: *Age nunc videamus reliquas facultates*. Ergo iam et locus facultas est: sed facultas, si generaliter consideretur: at si opportunitas eius fuerit inspecta, tunc ex loco argumenta sumentur.

Adiunctum autem negotio id intelligitur, *quod maius et quod minus et quod simile erit* cet.] *Attributa negotio* iam duo transacta sunt; continentia cum ipso negotio et illa, quae in gestione negotii continentur. Ac prima quidem cum attributis suis persona transacta est, id est, *quis:* deinde *quid et cur*, continentia cum negotio demonstravimus: deinde *ubi*, *quando*, *quemadmodum*, *quibus adminiculis*, in gestione negotii posita docuimus. Item septem illa prima elementa in duobus negotio attributis videmus inclusa: nec iam amplius videtur relictum, quod in aliis duobus negotio attributis ad argumentum considerare debeamus, id est, in iis, quae *adiuncta negotio* nominantur et in iis, quae gestum negotium consequuntur. Verum et in his eadem septem, quae et in superioribus, considerare debemus: nec aliquod negotium sine his septem elementis unquam poterit inveniri, ut quivis homo sine lineamentis suis. Itaque quum in nostro negotio ex omni circumstantia argumenta ceperimus et fides in aliquo claudicarit, ex alienis argumenta sumenda sunt: quae quum assumuntur, aut

4. *in eo*] Cd. Bas. — *in toto* Edd. Or.
10. *addiscere* - - *ei addiscendi*] Cd. Bas. — *discere* - - *ei ad discendum* Edd. Or.
26. — *ac si* Cod. Bas. Or.
34. *illa*] Excidit e Capp. Or.

fidem faciunt aut augent. Verum haec quum aliena sint, id est, extra nostram causam, videndum est, qua nostro negotio parte copulentur: quae copulatio respectus dicitur; quem respectum Graeci *σχέσιν* dicunt. Etenim, quum etiam ista aliena a negotio septem illa elementa contineant, quae in nostro negotio continentur, non possunt sibi omnia convenire. Sed quaedam in hoc, quaedam considerare debemus in alieno negotio, quae per *σχέσιν* nostrum negotium respiciant: ut praeviso et praecognito copulationis genere ad argumentum nostri negotii, facta collatione, copulentur. Verum huius respectus novem modi sunt; scilicet, ut sit adiunctum negotio nostro et quod maius est et quod minus, quod simile, quod aeque magnum, quod disparatum, quod contrarium, et genus et pars et eventus. Haec itaque novem omnia †toni et puncta sunt, id est, ad aliquid; itaque quasi semper in binis sunt; et recte. Nisi enim ad aliquid nullus potest esse respectus. Itaque quum dicimus *maius*, tunc intelligimus maius, si minus consideremus. Rursus tunc intelligimus minus, si maius consideremus. Ita et reliqua ex aliorum collatione cognoscimus. Verum nunc videamus, quemadmodum hos respectus negotiorum considerare debemus.

Maius et minus et aeque magnum ex vi et numero et ex figura negotii sicut ex statura corporis consideratur] Haec tria, id est, maius et minus et aeque magnum, tribus modis considerare debemus, vi, numero, figura. Vis est, quae singulis nominibus verbisque constat et persona: omnis enim res et omne dictum factumve habet vim suam. Etenim si dicas *parricidium*, statim quantum hoc sit et in qua vi sit, animo aestimamus: ita homicidium, adulterium et reliqua, facile quid sint, quum fuerint audita, cognoscimus. Similiter et personae habent vim suam. Etenim quum dixeris *Ciceronem*, statim ex boni viri consideratione, quae in illo vis sit, agnoscimus. Deinde quum dixeris *Catilinam*, ex consideratione pessimi hominis statim, quae in illo vis sit, agnoscimus. Numerus est quum minus ac maius non ex vi, sed ex rerum vel ex personarum numero demonstramus. Figura est, quae in toto negotio consideratur, id est, per omnia illa septem elementa: ut consideres, quid factum sit, quis fecerit, ubi fecerit, quando fecerit, quemadmodum fecerit, et reliqua: quae, inquit, figura totius negotii ita est, ut corporis statura; in qua statura omnia lineamenta corporis continentur. Itaque ut melius intelligamus, notum proponamus exemplum; illud scilicet, quod Cicero suo negotio adiunxit. Nam quum Catilinam diceret occidendum, ex adiuncto, quid maius vel minus esset, argumenta collegit: quod utique maius et minus et aeque magnum ex vi, numero, figura iamdudum

---

8. — *cognito* Cd. Bas.

13. *toni et puncta sunt*] Haec non satis intelligo, immo et suspecta habeo. Capp. (Equidem corrupta credo e Graecis: v. c. *τῶν πρός τι sunt*. Gar. Ed. sic habet: *toni et puncta sunt τοῦ πρός τι*. Cd. Bas.: — *toni et puncti* (sic) *sunt*. Tum idem: — *quasi in binis semper sunt*. Or.)

17. — *cognovimus* Cd. Bas.

25. *animo aestimamus*] Perperam legebatur olim *animi*. Capp. (*Animo existimamus* Asc. St. Ald. Sed Cd. Bas. *animo aestimamus*. Or.)

diximus approbandum. Ita et Cicero: *An vero vir amplissimus P. Scipio pontifex maximus Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam [vero] orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?* Hic ex vi rerum intelligimus minus esse statum rei publicae quam orbem terrarum: deinde similiter ex vi intelligimus minus esse labefactare quam vastare. Ita ex vi personarum, quum Gracchus et Catilina nominantur, Catilina magis timendus agnoscitur. Praeterea ex numero intelligimus maius esse duos consules quam Scipionem. Hic figuram non posuit totius negotii; id est, quemadmodum occiderit Gracchum Scipio, ubi occiderit, quando occiderit, unde occiderit. Verum haec, quia nihil proderant, praetermisit atque uno verbo conclusit, quod ait *interfecit;* cuius verbi considerata vi, maius esse intelligimus interficere quam ex urbe eiicere. Verum in aliis exemplis et ex figura debet comparatio fieri, ut maius aliquid minusve demonstres; si dicas: *Illud tunc factum est, ibi factum est, ita factum est, propterea factum est*, et reliqua, quae in elementis principalibus continentur.

Simile autem ex specie comparabili aut ex conferenda atque assimulanda natura iudicatur] Quum facimus argumentum ex adiuncto negotio per similitudinem, in ea similitudine qualitas consideranda est. Superiora enim maius et minus et aeque magnum ex quantitate cognoscimus. Nec putemus hoc esse par, quod simile. Etenim par ex mensura definita et ex comparata utriusque quantitate cognoscimus: simile autem non in eo, quantum sit, sed in eo, quale sit, attendimus. Ita non ex mensura fit simile, sed ex vultu et superna quadam facie declaratur. Simile itaque duobus modis considerare debemus; in specie formarum et natura rerum. Et scriptores quidem artium simile genus ponunt sub similia tria; εἰκόνα, id est, imaginem; παραβολήν, id est, collationem; παράδειγμα, id est, exemplum. Per imaginem simile fit, quum ex simili specie vultus vultibus comparamus: ut, *Os humerosque deo similis.* (Virgil. *Aen.* I. 593.) Per collationem simile facimus, quum rerum diversarum conferimus et copulamus non speciem, sed naturam: ut, *Qualis mugitus, fugit quum saucius aram Taurus.* (*Aen.* II. 223. 224.) Aut,

Poenorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tunc demum movet arma leo. (*Aen.* XII. 4. 5. 6.) Hic enim

Virgilius, ut probaret Turnum rebus omnibus fractis non deiectum, sed iratum magis, quia vix hoc creditur, negotio suo fidem fecit ex adiuncto negotio, per similitudinem, quae sit in parte naturae. Sic, inquit, et leo magis irascitur, postquam fuerit vulneratus. Per exemplum autem tunc simile facimus, si in exemplo ipso qualitas ostendatur. Saepe enim exemplum in quantitate versatur, id est, in vi vel numero

---

3. *vero*] ∞ omittunt Cd. Bas. Asc. Or.
29. *εἰκόνα*] Legebatur olim εἰκων, (etiam Cd. Bas) sed perperam, ut patet ex consequentibus. Capp.

vel figura. Invenitur tamen et qualitas in exemplo; ut Cicero, quum circa bellum causarum similium comparat naturas, ait: *Ut Helena*, inquit, *Troianis, sic tu, Antoni, huius belli semen fuisti.*

Contrarium est, quod positum in genere diverso, ab eodem, cui contrarium esse dicitur, plurimum distat, ut frigus calori, vitae mors] Aristoteles opposita genus posuit; *contrarium, disparatum, ad aliquid*, sub oppositis. Contrarium porro Aristoteles sic definivit: *Sub eodem genere species multum inter se diversae*, hac ratione, ut omnia ad unum illud genus referantur, quod supra omnes res principales Graeci ponunt, id est, τὸ ὄν, quod Latini *ens* vocant, id est, quod esse possit. Verum contraria tribus modis inveniri possunt: quum aut sub eodem genere species multum inter se distant: aut quum sub singulis generibus diversis species etiam diversae sunt: aut quum duo genera inter se diversa sunt. Itaque hic Cicero in diversis generibus posita contraria demonstravit, frigus et calorem. His autem genus *qualitas;* sed diversa. Deinde similiter sub diversis generibus species longe inter se diversas posuit, id est, vitam et mortem. Vitae autem genus, bonum: mortis, malum. Itaque contraria sunt, quae se e regione spectant et quae ex diverso posita plena sunt. Sub disparato autem Aristoteles duas species posuit, privantia et negantia. Privantia sunt, ut caecitas, infelicitas. Visio et felicitas habitus sunt. Caecitas et infelicitas id agunt, ut prima id, quod habuerunt, non habeant. Nunquam enim caecitas fiat necesse est, nisi visio ante tollatur: nec est infelicitas, nisi prius felicitas excludatur. Idcirco ergo haec privantia nominata sunt, quod primorum privationem secunda demonstrent. Negantia porro sunt, quae negatione separantur; ut *sapit, non sapit; sedet, non sedet.* Negatio hic illud agit, ut primum neget, non tamen constituat secundum. Nam quum ait, *non sedet*, solum sedere negat: non tamen constituit, utrum stet, an ambulet; sed sufficit ei negare, quod sedeat. Hic autem Cicero in disparato sola negantia posuit, id est *sapere, non sapere:* esse tamen inter disparata et privantia nosse debemus.

Genus est, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas] Notum est quid sit genus, id est, sub quo multae sunt partes. Partes autem sunt ea, quae sub genere sunt. Verum quum de his facimus argumentum, ex adiunctis negotio facimus argumentum. Quoties autem de genere quaestio est, ex specie faciendum est argumentum: [quoties de specie quaestio est, ex genere faciendum est argumentum;] ut Cicero, quum pro Roscio ageret, id est, speciem suscepisset, (Roscius enim ad filium species est:) argumentum fecit ex genere,

---

1. *in exemplo*] Cd. Bas. — *sine exemplo* Edd. Or.

4. *ab eodem*] Emporius Rhetor in sequentibus legit *ab eo.* Capp. Item Cod. Bas.

6. *genus*] Id est, tamquam genus quoddam. Capp.

7. *sub oppositis*] Hoc est, tamquam totidem species sub suo genere. Capp.

19. *se e regione*] Sic Cd. Bas. St. Ald. — *sese regione* Capp. Or.

31. *esse tamen inter* cet.] Id est, intercedere quoddam discrimen. Capp. (Minime vero; hoc dicit: „*etiam privantia esse annumeranda disparatis.*" Or.)

38. [*quoties de - - est argumentum*] Omittit haec Cd. Bas. Recte. Or.

quum dicit tam feros mores in filium cadere non potuisse; filius enim genus, Roscius species est. Ita et quum de genere quaestio est, ex specie colligendum est argumentum: ut si quaeratur, An omnes matres ament filios suos: et tu ex specie facias argumentum: *Adeo omnes matres non amant filios suos, ut Medea filios suos etiam occiderit;* ita et in reliquis.

Eventus est exitus alicuius negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat eventurum[*que*] *sit*] Eventum illum accipiamus, qui uni cuique rei naturaliter videtur adiunctus, qui rem suam, postquam res ipsa contigerit, necesse est consequatur: et tunc vere de eventu facere possumus argumentum, si ipse eventus certus sit. Alioqui si eventum illum accipiamus, qui ex casu venit, fieri inde non potest argumentum, quod adiunctum negotio esse possit. Facis itaque de eventu argumentum, si eum, quem probaveris insolentem, futurum spondeas arrogantem. Ita insolentiae eventum arrogantiam doces: quam rursus arrogantiam ad odium causam esse demonstras.

Quare hoc in genere, ut commode, quid eventurum sit, ante animo concipi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est] Ut, inquit, ex eventu facile possimus argumenta colligere, primo ipsi nobiscum pertractare et considerare debemus, quis unius cuiusque rei esse soleat eventus: et ut sciamus naturalem eventum, non fortuitum, nobis considerandum, denique *quid quaque ex re soleat,* inquit, *evenire.* Consuetudo perpetua est: quod perpetuum est, fortuitum esse non potest. Ergo considerandus nobis erit in rebus singulis certus et naturalis eventus.

Quarta autem pars est ex iis, quas negotiis dicebamus esse attributas, consecutio] Negotio quattuor esse diximus attributa; dictum iam de tribus attributis est. Ostendimus, quae essent continentia cum ipso negotio, in gestione negotii, adiuncta negotio: nunc de iis dicendum est, quae gestum negotium consequuntur. Quod quidem quartum attributum videtur cum ea parte pugnare, quae in primo attributo est post negotium; scimus enim quinque esse in primo attributo, summam negotii, causam ipsius summae et factum triplex; ante negotium, in negotio, post negotium. Hoc extremum factum, quod est post negotium, videtur simile esse huic attributo, de quo nunc agimus, quod dicitur consecutio. Nam utrumque post negotium est: sed hoc distant, quod supra post negotium facta illius consideranda sunt, de quo agitur et qui aliquid fecisse memoratur: hic autem facta consideranda sunt, sed extranea. Itaque consideranda sunt, quae gestum negotium consequantur. Haec in duobus semper debemus attendere, in personis et in natura gesti negotii. In personis sic, si animadvertamus, quid de gesto negotio homines fecerint aut senserint aut indicaverint: ut de facto Milonis, ut de lege Clodii. In natura ipsius negotii sic, si res illa facta sit, cui necesse sit eventum aliquem esse coniunctum:

8. *eventurumque*] ∞ *eventurum* Cd. Bas. Recte. Or.

37. *supra post negotium*] Antea pessime legebatur: *supra negotium, post negotium.* Emendationem nostram firmavit editio Basileensis, quam postea consului. Capp. (Recte itidem Cod. Bas. et Asc. Or.)

ut parricidium furor necesse est consequatur: et rursus parricidam veri simile non sit dormisse; haec enim gestum negotium consequuntur: quae non in personis animadversa sunt, sed in natura gesti negotii. In his itaque duobus et Cicero animadvertenda dixit ea, quae gestum negotium consequuntur. Ac primo de personis.

Primum, inquit, *quod factum est, quo id nomine appellari conveniat*] Utique hoc consequitur; res enim prima est, deinde nomen. Homo autem necesse est nomen rei ponat: ita Cicero de nomine constituendo disputat in Divinatione, *Non tam*, inquit, *haec accusatio quam defensio est existimanda.*

Deinde, inquit, *eius facti qui sint principes et inventores, qui denique auctoritatis eius et inventionis comprobatores atque aemuli*] Haec quoque post rem sint necesse est. Neque enim potest inveniri, nisi quod latet. Est porro quod latet animadvertendum: itaque qui fuerint illi, qui primi illud fecerint, unde nunc agitur: qui deinde factum probaverint ac secuti sint. Si optimi sunt, laudas factum: si pessimi, reprehendis. Ut Cicero in Divinatione dicit *semper homines nobiles accusasse et eos cum magno commodo rei publicae magnam semper gloriam consecutos.*

Deinde, inquit, *ecquae de ea re aut eius rei sit lex*] Lex etiam consequitur. Lex enim semper in re, quia res talis visa est, constituitur. Verum quod ait *de ea re*, totum est: quod ait *eius rei*, pars est. Interdum enim totum factum aliqua lege aut damnatur aut absolvitur; interdum pars facti. Deinde quod ait, *consuetudo*, *actio*, *iudicium*, *scientia*, *artificium*, et haec omnia gestum negotium consequuntur. Nam et consuetudo rei iam ante gestae est: et rursus rem gestam solet aliqua actio consequi vel iudicium, ut praeiudicium natum esse videatur. Deinde necesse est ante aliquid fieri, ut ex eo scientia consequatur vel artificium. Verum haec omnia, et in personarum actibus providenda sunt et in negotii ipsius natura. Idcirco ait:

Deinde quid ex natura eius evenire vulgo soleat, an insolenter et raro] Ait negotii ipsius animadvertendam esse naturam, id est, qui soleat eventus factum istud consequi. Sed hic eventus ab illo eventu, quem in adiunctis negotio demonstravimus, hoc distat, quod ille eventus naturaliter certis rebus affixus est et rem suam quadam vi ac necessitate consequitur. Hic autem eventus interdum necessarius et naturalis est: ut, parricidium furor necesse est consequatur. Interdum varius et commutabilis: ut, amor noceat necesse est; et ut, non noceat, necesse est. Saepe enim malum eventum amor habet, saepe bonum. Denique ut ostenderet Cicero eventum istum ex natura negotii ita esse

---

6. — *primo* Cd. Bas. Asc.

8. *nomen rei*] Cod. Bas. — *rei nomen* Asc. — *ei nomen* Capp. — *nomen* Steph. Ald. Or.

11. *sint*] Cod. Bas. Asc. — *sunt* Cett. Or.

15. *unde*] Pro τῷ *de quo*. Capp.

31. *Deinde quid ex natura eius*] Hinc emendandae vulgatae editiones (etiam Verburgiana) ubi perperam legitur: *deinde natura eius evenire vulgo soleat.* Capp. Sed Cd. Bas.: — *deinde natura eius rei evenire* h. l. et mox. Utrobique idem: *et raro.* Priore loco Edd. *ac raro.* Or.

considerandum, ut scias et in contrarium posse converti. *Deinde*, inquit, *quid ex natura eius evenire vulgo soleat, an insolenter et raro. Vulgo*, id est, passim, frequenter. Ergo firmius argumentum est, si de quo agimus, eventus frequentius consequatur, si dicas: *amor magis nocet*. Praeterea hoc sciamus interesse inter istum eventum et illum superiorem, quod hic totius negotii eventus est, ille vero unius cuiusque rei. Ait enim supra: *Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est. . . . . Postea homines id sua auctoritate comprobare, an offendi in iis consueverint.* Et hic eventus, qui naturam negotii consequitur, qualis apud homines habeatur, id est, bonus an malus, attendendum est. Ita et supra dixit attendendum, qui homines primum fecerint, qui deinde comprobaverint; non enim ex eo, quia aliquid consequitur, argumentum est: sed quia aut bonum aut malum est quod consequitur; id est, non quia est, quod consequitur, sed quia tale est. Ita semper non ex re, sed ex qualitate fit argumentum.

Et cetera, quae factum aliquod similiter confestim aut ex intervallo solent consequi] Interdum enim vicinus, interdum tardior est eventus: ut puta si quem voluero occidere, vicinus est eventus, ut mox me oderit. Deinde si trado alicui disciplinam, tardior hic eventus: primo enim fortassis offenditur; deinde amat ac diligit.

Deinde postremo attendendum est, num quaedam res cet.] Dat postremum breve et commune praeceptum, utrum aliquid honestum sit, an utile, in iis esse considerandum, quae gestum negotium consequuntur. Verum quae sint partes honestatis atque utilitatis, in *deliberativi* praeceptis se demonstraturum promittit.

Omnis autem argumentatio, quae ex iis locis, quos commemoravimus, sumetur, aut probabilis aut necessaria debebit esse] Ait supra, quum de confirmatione loqueretur: *Huius*, inquit, *partis certa sunt praecepta, quae in singula causarum genera dividentur.* Verumtamen non incommodum videtur quandam silvam atque materiam universam ante permixtam et confusam exponere omnium argumentationum. Tria nobis in confirmatione traduntur; materia, argumentum, argumentatio. Materiam nobis iam tradidit; id est, locos, de quibus argumenta caperemus, quos locos divisit in attributa personae et in attributa negotio. Attributa personae undecim esse dixit; negotio quattuor: atque horum omnium partes enumeravit ac tradidit. Nunc itaque dicturus est de argumento. Nec nos confundat, quod pro argumento argumentationem ponit. Antiqui genus ponebant argumentationem; sub argumentatione vero argumentum et argumentationem. Itaque hoc verbo communiter utebantur, ut pro argumento recte argumentatio diceretur. Verum antequam dicamus, quae genera sint argumentorum, dicamus prius, quid considerare et conferre debeamus, ut argumenta faciamus. Secundum Aristotelem decem categoriae sunt, id est, decem res, in quibus omnia, quae in mundo sunt, continentur.

31. — *dentur* Cd. Bas. Sed cfr. supra C. 61. *praecepta separentur.* Oa.
46. — *omnia sunt, quae in mundo continentur* Cd. Bas. Oa.

Harum rerum una *substantia* est: reliquae novem *qualitates*; id est, quae *substantiae* accidant. Itaque quum res nuda est, nihil aliud quam res est. Tunc autem ex ea possumus facere argumentum, si eius qualitatem inspiciamus. Itaque omnia verba vel nomina habent res suas: habent et qualitates; quae qualitates quum sibi conveniunt, faciunt argumentum: ut puta ponamus *occidit*. . . . *Occidit* res est: huius rei quae sit qualitas, attendamus; id est, quaedam asperitas, quaedam immanitas. Deinde ponamus *inimicum*. Rursus *inimicus* res est: eius rei porro qualitas similiter aspera atque crudelis. Itaque quoniam utraque sibi haec qualitas convenit, factum est argumentum. Ita duae similes qualitates quum fuerint copulatae, faciunt aliam qualitatem; id est, „*occidit, quia inimicus fuit*": quae qualitas est, ut argumentum probabile esse videatur. Ita si dicamus: *Occidit*, *quia gladio percussit;* argumentum est, quia utriusque rei qualitas est similis. Alioqui, quum in eo, quod est *occidit*, iam nota sit et res et qualitas rei, deinde ponas *virgam*, cuius res et qualitas nota est: quoniam similes sibi non sunt istae qualitates, coniunctae in unum, non faciunt argumentum; si dicas: *percussit virga* et *occidit*. Semper itaque non res, sed qualitates rerum debemus attendere atque conferre, ut argumenta faciamus. Argumentorum porro genera duo sunt, probabile et necessarium. Probabile est, quod veri similitudine fidem facit: ut puta, *Quia inimicus fuit*, *occidit*. Verum de probabili post dicemus. Nunc autem de argumento necessario disputabimus.

Necessarie demonstrantur ea, *quae aliter ac dicuntur nec fieri nec probari possunt*, *hoc modo:* Si peperit, cum viro concubuit] Necessarium est, inquit, quod aliter ac dictum est nec fieri nec probari potest: necessarium argumentum ad fidem cogit ac trahit; probabile autem irrepit atque persuadet. Necessarium porro tale est argumentum, si ea proferas, quorum talis sit natura, ut sic fieri necesse sit; si dicas: *Si natus est*, *morietur*. *Si peperit*, *cum viro concubuit*. Haec necesse est, ut se consequantur: quod si necesse habes credere, necessarium factum est argumentum. Illud tamen scire debemus, argumentum necessarium paene non esse solumque esse inter homines probabile. Nempe nobis necessarium videtur ex vero constare. Nam si probabile ex veri simili, ex vero necesse est necessarium. Inter homines autem verum latet totumque suspicionibus geritur. Ergo necessarium non potest esse argumentum. Sed tantum inter homines potest necessarium, quantum secundum opinionem humanam valet. Alioqui secundum Christianorum opinionem non est necessarium argumentum: *Si peperit*, *cum viro concubuit*. Neque hoc rursus: *Si natus est*, *morietur*. Nam apud eos manifestum est sine viro natum, et non mortuum. Ergo necessarium illud argumentum est, quod iam opinione persuasum est. Atque ut scias hoc necessarium

---

33. An *penes nos non esse*? cfr. C. 89. *necessarium inter homines non est.*

36. *totumque*] Sic Cod. Bas. St. Asc. Ald. — *totum* Capp. Or.

42. *natum*] Intellige natum esse Christum Dominum ex Beata Virgine Maria. Capp.

Ibid. *non mortuum*] Enochum videlicet, Eliam cet. Capp.

non esse omnino necessarium, ostendit Cicero etiam hoc in hominibus persuaderi, quum ait: *Necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur nec fieri nec probari possunt.* Ergo si probantur, iam non erunt necessaria: quicquid enim probatur, potuit et non credi. Itaque necessarium argumentum teneamus illud, quo facile populo persuadet orator. Hoc necessarium tribus modis fieri docet; quos modos in genere dictionis ponit: hic enim iam dictio est. Superius in materia locos posuit, de quibus conducta ad argumentationem dictio nasceretur. Fieri itaque necessarium argumentum docet, aut per complexionem aut per enumerationem aut per simplicem conclusionem.

Complexio est, in qua utrum concesseris, reprehenditur] *Complexio* forma dictionis est posita in rationibus necessariis. Verum *complexio* duplici latere constat; unde quicquid fuerit electum, necesse est, ut contrarium sit. In *complexione* itaque duo sunt genera proponendi, nunc per simplex, nunc per necessarium. Simplex hoc modo: *Si hoc est, cur illud facis? Si illud est, cur hoc facis?* deinde per necessarium sic: *Aut hoc concedas necesse est aut illud.* Itaque hic exemplum *complexionis* considerare debemus factum per simplex: *Si improbus est*, inquit, *cur uteris? sin probus, cur accusas?* Ita et in Verrinis Cicero: *Aut amicos*, inquit, *confiteri Siculos necesse est aut inimicos: si amici sunt, credamus testibus; si inimici sunt, inviti pecunias contulerunt.*

Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis una reliqua necessario confirmatur] Enumeratio quoque forma dictionis est, posita in rationibus necessariis: verum in enumeratione multa ponuntur, et exclusis multis unum, quod reliquum est, confirmatur, ut puta, *Si hoc non est, si illud et illud non est, restat igitur, ut istud sit.* Ita in Verrinis: *Si neque Carbo attigit neque Sulla vidit neque in aerarium relatum est, restat igitur, ut tu, Verres, pecuniam sustuleris.* Verum enumeratio duobus modis fit; quum aut multis rei rebus exclusis unam, quae reliqua est, confirmas; aut quum rei rebus exclusis contrarium confirmas. Multis rei rebus exclusis una, quae reliqua est, confirmatur; ut supra ipse Cicero contra Hermagoram: *Nam aut nullum causae genus est aut iudiciale solum aut et iudiciale et demonstrativum et deliberativum.* Hic multa enumeravit: sed exclusis duabus rebus reliquam tertiam confirmavit. Nullum, inquit, causae genus esse non potes dicere, qui artis praecepta das: unum esse non potes dicere; quia hoc et hoc: *relinquitur ergo*, inquit, *ut omnia tria genera causarum sint.* Ergo hic multis rei rebus sublatis postrema est confirmata. Deinde omnibus rei

---

5. — *quod* Cod. Bas. Asc.

11. *per complexionem . . . complexio est*] Dilemma, δίλημμα, vulgo appellant. Capp.

17. *Itaque*] Cd. Bas. — *Ita* Edd. *hic*] Asc. — *hoc* Cett. Or.

31. *exclusis*] Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *relictis* Capp. Or.

38. *potes - - das - - potes* Cd. Bas. — *potest - - dat - - potest* Edd. Or.

39. *ut omnino tria*] Antea legebatur *omnia:* sed emendavimus ex ipso Ciceronis contextu. Capp. Nos e Cdd. *Libr. de Inv.* 1. §. 12. restituimus *omnia.* Or.

40. *postrema*] Sic Cod. Bas. Asc. St. Ald. — *postremo* Capp. Or.

rebus exclusis contrarium sic concluditur, ut hic ipsum exemplum positum est: *Necesse est*, inquit, *aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum aut metus aut spei aut alicuius amici gratia: aut, si horum nihil est, ab hoc non esse occisum.* Itaque hic res est *occisio*; huius rei omnes res sustulit, id est, causas occidendi: postremo contrarium concludit: *Si igitur horum nihil est, non occidit.*

Simplex autem conclusio ex necessaria consecutione conficitur] Et in hoc necessarium est argumentum, sed in una re positum: et ideo simplex conclusio nominatur; ut puta: *Si illo tempore, quo vos me istud fecisse dicitis, ego trans mare fui; relinquitur, ut id ego non fecerim*, [*sed*] *nec potuerim facere.* Hic itaque simplex res est, in superioribus vero duplex; in complexione scilicet et enumeratione. Et *complexio* quidem a parte duas res continet: *Aut hoc est*, inquit, *aut illud: si illud est, cur facis, si hoc est, cur non facis?* Enumeratio etiam quamquam multas in se res habeat collocatas, duplex tamen est. Ea enim omnia, quae tollis, quamvis multa sint, in una tamen parte ponuntur: in altera id, quod concludis, sive aliquid de rebus sit sive contrarium rei; ut supra docuimus.

Atque hoc diligenter videre oportebit, ne quo pacto cet.] Praeceptum dat, ut necessaria argumenta non sola dicendi specie faciamus, id est, ne complexio vel enumeratio in solo genere dicendi posita esse videatur, sed ut rationes ipsae et res necessariae sint, et hoc genere dicendi proferantur triplici; scilicet aut per complexionem aut per enumerationem aut per simplicem conclusionem.

Dictum itaque de necessario argumento et quale sit et quot modis dictionis proferatur. Nunc de probabili incipit disputatio. Quod ut melius intelligamus, propter vim expositionis haec prius nobis etiam pictura cernatur:

- Argumentum
  - Necessarium
    - Complexio.
    - Enumeratio.
    - Simplex conclusio.
  - Probabile, aut id
    - Quod fere fieri solet
    - Quod in opinione positum est
    - Quod in se habet ad haec quandam similitudinem vel per
      - Contrarium.
      - Par.
      - Ad aliquid.

Probabile autem est id, quod fere fieri solet aut quod in opinione positum est aut quod habet in se ad haec quandam similitudinem, sive id falsum est sive verum] Dictum est de necessario

---

5. *aut metu aut spe*] Legebatur olim *metus aut spei:* sed Ciceroniani contextus lectionem secuti sumus. CAPP. (Rursus restitui Cdd. lectionem e Cic. nostro. OR.)

11. *sed*] om. Cd. Bas.

13. — *aperte*] Cd. Bas. Asc. Sed *a parte* h. l. significat, *quamque separatim.* OR.

36. Secutus in his sum St. Ald. Paullo aliter ex interpolatione Capp., ubi vide, si tanti est. Cd. Bas. h. l. in ima margine exhibet eam *picturam*, quae apud nos est in fine C. 89. OR.

argumento et de eius modis, scilicet tribus: nunc de probabili argumento dicamus, in quo solo virtus omnis fidei continetur. Ut supra enim diximus, necessarium inter homines non est; praesertim quum etiam ipsum probetur. Probabili itaque solo omnis fides nititur, adeo ut Graeci officium et finem oratoris sic definierint, πιθανῶς πρὸς πίστιν λέγειν, id est, *probabiliter ad fidem dicere*. Probabile autem per se ipsum non potest definiri neque in praeceptum quoddam exprimi: sed probabile erit argumentum pro moribus patriae, populi, temporis. Neque enim omnibus unum atque idem probabile est: aliud enim iustum Romanis, aliud Barbaris videtur. Itaque ut probabilia argumenta faciamus, primum nobis patria inspicienda est, in qua sumus, et eius patriae inspiciendi mores. Deinde inspicienda est civitas, quae pars patriae est: omnis enim civitas habet proprios mores. Deinde inspiciendum est tempus: tempora enim saepe mutantur. Postremo etiam eius, apud quem dicimus, cognoscenda natura est, ut secundum mores eius probabilia argumenta faciamus. Itaque haec praecedunt, antequam probabilia argumenta proferamus. Verum ipsum probabile argumentum primo in tria dividitur; id est, in id, quod fere solet fieri, et in id, quod in opinione positum est, et in id, quod habet ad haec quandam similitudinem. Deinde in quattuor, signum, credibile, iudicatum, comparabile. Verum illa tria res sunt, quibus probabile conficitur argumentum: illa autem quattuor, quae sequuntur, rerum harum trium effectus sunt. Primo itaque illa tria videamus, in quae probabile dividitur argumentum. Per id, quod fere solet fieri, probabile argumentum sic fit, si ea ad fidem colligas, quae in actus consuetudine versantur: ut puta, *Si mater est, diligit filium: si avarus est, negligit iusiurandum.* Ita et Terentius meretrices malas, avaros lenones, tristes senes, edaces parasitos esse commemoravit. Haec itaque ad fidem dicta sunt per id, quod fere solet fieri. Deinde per id, quod in opinione positum est, probabile argumentum sic fit: si ad fidem non ea, quae in usu sunt agendi, sed ea, quae in opinione sunt posita, colligamus; si dicas inferos esse et impiis apud inferos poenas; si dicas omnes, qui philosophentur, contra deos facere. Multi enim credunt, quod philosophi contra deos faciant. Etenim si deos asserunt et me forte stultum esse dicunt, quoniam me talem deus esse voluit, contra deos faciunt, quum me reprehendunt. Deinde in re publica quum bella aut pax ex dei voluntate contingant, ipsi autem multa cupiunt persuadere; contra deos faciunt, si id non agendum asserunt, quod deorum voluntate contingit. Ergo, ut diximus, ex iis, quae in opinione sunt posita, probabile colligitur argumentum; si dicas inferos esse, vel non esse; deos esse, vel non esse; mundum natum, mundum non esse natum. [Istae opiniones δόγματα dicuntur; δόγμα enim Graece opinio et δόγματα

---

24. *fere*] — *vere* bis Cod. Bas. Tertio loco is quoque *fere*. Or.
37. *multa*] Aspectabas *contraria*, *alia*, bellum pro pace cet. Or.
42. δόγματα] Editum fuerat Latinis literis *dogmata:* sed ex antecedentibus et consequentibus patet scribendum fuisse characteribus Graecis δόγματα. Capp. (Graece scripta sunt in St. Ald. Quae [ ] inclusi absunt a Cd. Bas. A St. Ald. absunt vv. *et* δ. *o. nuncupantur*. Or.)

opiniones nuncupantur.] Adeo manifestum est omnia, quae in mundo aguntur, argumentis probabilibus persuaderi; quando etiam philosophorum persuasionibus ex opinione nomen impositum est, ut δόγματα dicantur. Tertium illud est, ut doceamus, quemadmodum probabile fiat argumentum ex eo, quod habet ad haec quandam similitudinem, id est, per similitudinem; ut puta: *Si is, qui patriam prodit, poenam meretur; ille, qui patriam defendit, praemium meretur.* Verum hic ex altero alteri fides fit, et sic quasi fuerat nominandum: sed Cicero non quemadmodum fieret argumentum, sed unde fieret, indicavit, quum ait: *Aut quod habet ad haec quandam similitudinem; ad haec*, id est, ad superiora, ad id, quod fere solet fieri, et ad id, quod in opinione positum est. Etenim hoc argumentum tertium, ubi ex altero alterum probamus, nunc tale potest esse, ut fere soleat fieri; nunc tale, ut in opinione positum esse videatur, ut fere soleat fieri: *Si is, qui patriam prodit, poenam meretur; ille, qui patriam defendit, praemium meretur.* Ut in opinione, sic: *Si impiis apud inferos tormenta praeparata sunt, innocentibus quies praeparata est.* Itaque hoc, quod habet ad haec quandam similitudinem, id est, similitudo, tribus modis probabile efficit argumentum; aut per contraria aut per paria aut per eas res, quae sub eandem rationem cadunt. Per contraria sic: *Nam si iis, qui imprudenter laeserunt, ignosci convenit, iis, qui necessario profuerunt, haberi gratiam non oportet.* Hic contraria sunt prodesse et nocere: sed ipsa contraria non faciunt argumentum, nisi habeant inter se aliquam similitudinem; hic itaque animorum similitudo est. Nam si ille imprudenter obfuit, hic necessitate profuit: neque ille voluit obesse, neque hic voluit prodesse. Ergo si ignoscitur ei, qui non voluntate, sed imprudentia laesit, et illi gratia non habenda est, qui non voluntate profuit, sed necessitate. Per paria sic, quum non ex contrariis rebus, sed ex similibus per naturam probabile colligimus argumentum; ut puta: *Nam ut locus in mari sine portu navibus intutus est, sic animus, qui sine fide est, amicis non potest esse portuosus.* Ex his autem, quae sub eandem rationem cadunt, probabile facimus argumentum, quum ea sibi conferimus, quae ad aliquid sunt; ut puta locare conducere, emere vendere. Haec verba ad se invicem spectant: itaque ex unius rei ratione alterius rei rationem probare debemus, ut puta: *Nescio quis, qui patre vendente emit filium, iniquam rem dicitur fecisse;* hic facis argumentum probabile. Nam si is, qui vendidit, rem iniquam fecit, et hic, qui emit, rem iniquam fecit. Deinde quod Cicero posuit exemplum: apud Rhodios portorium, res vilis, utilis erat, et Hermocreon vir amplissimus id conduxit portorium: defenditur, quod rem turpem non fecerit. Facis itaque argumentum per eas res, quae sub eandem

---

17. *praeparata*] Cd. Bas. Asc. — *parata* Cett. Or.
28. *qui non voluntate - - habenda est*] Exciderunt haec e Capp. Or.
34. *conducere*] Perperam legebatur olim: *locare*, *concedere*, *conducere*. Nostram emendationem adstruit etiam Basileensis editio. Capp. Item Cod. Bas. et Asc. Or.

rationem cadunt. *Nam si Rhodiis turpe non fuit locare, ne Hermocreonti quidem turpe est conducere.* Sive autem, inquit, vera sint sive falsa ea, unde facimus argumentum, nihil ad nos; dummodo ad fidem faciendam probabilia esse videantur. Falsum est, sed veri simile, si dicas: *Non occidit Medea filios: quippe mater filios numquam potuisset occidere.* Hic falsum est, quod asseris: tamen fecisti argumentum probabile per id, quod fere solet fieri, ut Medea filios non occidisse credatur. Aut si dicas: *Quia multus in calceis pulvis fuit, ex itinere regressus est.* Verum est autem argumentum probabile, si dicas: *Quoniam cicatrix est, vulnus fuerit necesse est.* Nunc autem ut probabilis argumenti omnes partes scire possimus, haec nobis quoque animadvertenda pictura est:

Probabile	Signum / Credibile	Ante negotium. In negotio. Post negotium.
	Iudicatum	Religiosum. Commune. Approbatum.
	Comparabile	Imago. Collatio. Exemplum.

Omne autem, ut certas quasdam in partes tribuamus, probabile, quod sumitur ad argumentationem, aut signum est aut credibile aut iudicatum aut comparabile] Supra diximus probabile argumentum in tres partes dividi; in id, quod fere solet fieri; in id, quod in opinione positum est; et in id, quod habet ad haec quandam similitudinem: sed has tres partes, ipsas res esse diximus, de quibus probabile fit argumentum. Verum in his tribus [rebus] haec rursus quattuor collata sunt; id est, quod ex illis rebus conficitur, aut signum dicitur aut credibile aut iudicatum aut comparabile. Atque ut sciamus haec quattuor illis tribus esse connexa, id quod fere solet fieri, nihil aliud habet in se nisi aut signum aut credibile. Deinde id, quod in opinione positum est, nihil in se habet nisi iudicatum. Postremo id, quod habet ad haec quandam similitudinem, nihil aliud habet nisi comparabile. Videamus itaque haec quattuor in illis tribus esse: nec haec tantum sibi copulata sunt; sed omnia, quae in argumento sunt probabili,

1. *ne*] Cd. Bas. — *nec* Edd. Or.
4. *sed*] Asc. — *sine* Cd. Bas. — *sive* Cett. Or.
6. *Hic*] Cd. Bas. Asc. — *hoc* Cett. Or.
7. *fere*] Excidit e Capp. Or.
16. Perperam legebatur olim { *Religiosum. Commune. Iudicatum.* } quod ex ipso Ciceronis contextu emendavimus. Capp. (Rectam lect. habent St. Ald. Ceterum in hac quoque pictura secutus sum St. Ald. Abest h. l. a Cd. Bas. Or.)
22. *tribuamus*] Cd. Bas. Asc., ut Turic. in Cic. — *distribuamus* Cett. Or.
28. *rebus*] ∞ om. Cd. Bas.

etiam argumentis attributis personae et attributis negotio constat esse connexa. Nam quattuor negotio diximus esse attributa; continentia cum ipso negotio et in gestione negotii, adiuncta negotio, quae gestum negotium consequuntur. Itaque in continentibus cum ipso negotio et in gestione negotii signum est. In iis, quae gestum negotium consequuntur, indicatum est. In iis autem, quae adiuncta sunt negotio, comparabile est. In attributis vero personae credibile est. Ita videmus et locos argumentorum et res et exitus certis rationibus sibi esse copulata. Nulla itaque videatur esse confusio, quod probabile argumentum iamdudum in tria divisimus, nunc in quattuor: quia id, quod fere solet fieri, duo in se continet, signum et credibile: quod in opinione positum est, unum habet in se, id est, indicatum: quod habet ad haec quandam similitudinem, similiter in se unum continet, id est, comparabile. Itaque probabile argumentum in quattuor partes nunc dividitur. Nam aut signum est aut credibile aut indicatum aut comparabile.

Signum est, quod sub sensum aliquem cadit et quiddam cet.] Quinque sensus sunt in homine; visus, auditus, odoratio, sapor et tactus. Itaque quidquid sub hos sensus cadit, quum ad argumentum fuerit attractum, signum est: quod signum per se non ad se valet, sed ex eo aliud proficiscitur, id est, aliud asseritur: ut puta si agatur, an nescio quis ex itinere venerit, et asseras eum venisse; nam in calceis eius multus pulvis est. Pulvis hic signum est; et signum, quod sub sensum oculorum cadit. Aut si dicas: *quia cruentus est, hominem occidit.* Deinde si dicas: *seditio facta est; nam tumultus auditus est.* Hic tumultus signum est; sed signum, quod sub aurium sensum cadit; ita et reliqua similia. Verum hoc argumenti genus, id est, signum, non satis ad fidem valet: sed alterius firmioris argumenti indiget ad probationem. Ita probabile quidem est argumentum, sed non validum; semperque hoc argumento *coniectura* tractatur: et ideo aut aliud firmius argumentum aut testimonium requirit. Sed quod paullo ante dixi, signum esse in eo, quod fere solet fieri; utique quum dico: *ex itinere venit; nam multus in calceis pulvis est:* et, *hominem occidit; nam cruentus est;* argumentum facio ex iis, quae fere solent fieri. Nam et qui ex itinere venit, solet fieri, ut pulverulentus sit; et qui hominem occidit, solet fieri, ut cruentus sit. Ex signo vero in omnia tempora circa factum facere possumus argumentum: ut puta, *Occidisti hominem, quia cruentus es;* et hic cruor signum est, *Occidisti autem hominem*, tempus praeteritum. Deinde, *Occidis hominem: nam vulnus infigis; vulnus infigis*, signum est; *occidis hominem*, tempus praesens. Deinde, *Occidere vis hominem: nam armatus incedis;* hic *armatus incedis* signum est; *occidere vis hominem*, tempus futurum. Ita signum ad omne tempus argumentum est.

Credibile est, quod sine ullo teste auditoris opinione firmatur]

---

17. *odoratio*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *odoratus* Capp. Or.
18. *ad arg.*] Asc. — om. *ad* Cett. *ac tractum* Asc. Or.
28. *ad probationem*] Cod. Bas. — *approbatione* Edd. Or.
29. *coniectura tractatur*] Id est *status coniecturalis*, seu quaestio, ut aiunt, de facto. Capp.

Credibile est, inquit, argumentum, quod per se ipsum fidem facit neque ad probandum desiderat testem, sed facile quum prolatum fuerit, apud opinionem et sententiam iudicis persuadetur. Hoc credibile in eo esse diximus, quod fere solet fieri; et rursus in attributis personae. Ita in exemplo, quod subdidit Cicero, utrumque videamus: *nemo est*, inquit, *qui non liberos suos incolumes et beatos esse cupiat.* Utique et solet fieri, ut nemo sit, qui non amet liberos suos; et attributum personae est, id est, fortunae, quod liberi nominantur; et quod ait, *nemo est.*

Iudicatum est res assensione aut auctoritate aut iudicio alicuius aut aliquorum comprobata] Iudicatum in iis posuimus, quae gestum negotium consequuntur. *Iudicatum:* inquit, *est res* cet. Iam et hic in tria divisit iudicatum. Nam assensio in religione est; auctoritas in communi; iudicium in approbato. In tria enim iudicatum divisit; in religiosum, in commune, in approbatum. Religiosum est, inquit, si quid de re aliqua iurati iudices iudicarunt: et ideo religiosum, quia iurati iudicaverunt, quod assentiri nos necesse est. Animadvertamus tamen, ut iudicium gestum negotium semper consequatur.

Commune est, quod omnes vulgo probarunt] Commune est, inquit, quod ex more vulgi iusti auctoritatem tenet: ut necesse sit maioribus natu assurgi, ut supplicum misereri: haec ut sequamur, habemus vulgi auctoritatem. Deinde hoc etiam animadvertamus, quod consuetudo quaecunque rem semper aliquam consequatur. Inter id, quod fere solet fieri, et commune hoc interest: id, quod fere solet fieri, ex quadam natura est; commune iudicato stringitur.

Approbatum est, quod homines, quum dubium esset, quale haberi oporteret, sua cet.] Approbatum est, inquit, quod quum dubium esset circa qualitatem bonam malamve, ad unam partem homines inclinaverunt. Ut, inquit, quum sororem Horatius occidisset et de facto eius populus esset incertus, tamen absolutus est. Deinde: ut Tiberius Gracchus, quum censor insciente collega quosdam senatu movisset et de eius facto dubitaretur, postea tamen eius factum populus approbavit: nam eum consulem fecit. Ita religiosum et commune et approbatum, quia in iudicato sunt, gestum semper negotium consequuntur.

Comparabile autem est, quod in rebus diversis similem aliquam rationem continet] Dictum est iam de signo, de credibili, de iudicato: restat extremum, ut de comparabili dicat. Comparabile est, quod res inter se diversas aliqua ratione coniungit. Haec comparatio, id est, similitudo, partes habet tres; imaginem, quam Graeci εἰκόνα appellant; collationem, quam Graeci παραβολήν appellant; exemplum, quod Graeci παράδειγμα appellant. Imago est oratio circa res diversas,

---

29. *quum sororem* cet.] Prius hoc exemplum non exstat hodie in Tulliano contextu. Capp.

31. *ut Tiberius Gracchus*] Posterius hoc exemplum paullo aliter ipso in Cicerone legitur. Capp.

32. *quosdam senatu movisset*] Perperam legebatur olim *in senatu* (etiam Cd. Bas.) (Asc. et) Basileensis editio habet *e senatu*, non male. Capp. (Immo male. Or.)

aut corporum aut naturarum comparans similitudinem: ut, *Os humerosque deo similis;* ut

Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus. Collatio est oratio, quae res inter se diversas ex simili comparatione coniungit: ut est istud,

Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est
Seditio. Exemplum est, quo rem aliquam alicuius hominis aut negotii auctoritate vel casu aut hortamur aut dehortamur. Hortamur sic: ut,

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus. Dehortamur sic,
-at non viderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu considere in ignes? Haec quidem nos exempla grammaticalibus artibus supposuimus. Cicero autem tunc se exempla iis, quae sunt in comparabili, suppositurum esse promittit, quum coeperit de elocutione tractare. Nunc autem de inventione tractatus est.

Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus est: nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonstratus est] Ea omnia, quae ad confirmationem pertinebant, demonstrata sunt: ita, inquit, ut rei ipsius natura flagitabat. Sed hic confuse omnia prolata: singillatim se autem circa singulas causas traditurum esse praecepta in secundo libro promittit.

In praesentia tantummodo numeros et modos et partes cet.] Numerum accipimus attributa personae undecim, negotio quattuor. Deinde genera argumentorum duo: necessarium, probabile. Modos autem accipiamus, id est, in necessario argumento, complexionem, enumerationem, simplicem conclusionem. Deinde in probabili argumento, id, quod fere solet fieri, quod in opinione positum est, quod habet ad haec quandam similitudinem. Partes autem accipiamus, signum, credibile, iudicatum, comparabile et ea, quae sub his sunt.

Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit] Possunt quidem omnia iam argumenta ex his locis, quos praecepimus, inveniri: sed haec ipsa argumenta debemus, inquit, artificiosa dictione distinguere: quia et suave et necessarium est. Itaque nunc pauca de dialectica ad rhetoricam translaturus est: habebitque locum de syllogismis, ad quos capiendos et tenendos lectorem vehementer hortatur; ut ipse ait: *Quod non rei solum magna utilitas est, sed praecipiendi quoque summa difficultas.* Diximus itaque argumentum probabile in quattuor dividi: signum, credibile, iudicatum, comparabile. Credibile esse diximus in attributis personae. Signum esse diximus in negotio duobus attributis, in continentibus cum ipso negotio et in

---

4. *inter*] Cd. Bas. — *in* Edd. Or.
14. *tunc*] Cod. Bas. Abest ab Edd. Or.
24. *numeros*] so *numerum* Cd. Bas. Asc. Mox pro *accipimus* fortasse ut post modo leg. *accipiamus*. Or.
27. *in necessario argumento*] Deerat in editis praepositio *in*, quam restituimus ex editione Basileensi. Capp. (Habet etiam Cod. Bas. Or.)

gestione negotii. Comparabile esse diximus in adiunctis negotio: iudicatum vero in iis, quae gestum negotium consequuntur. Itaque omne argumentum factum ex attributis personae credibile dicetur. Deinde omne argumentum factum ex continentibus cum ipso negotio et ex iis, quae in gestione negotii sunt, signum dicetur. Deinde omne argumentum factum ex iis, quae negotio adiuncta sunt, comparabile dicetur. Postremo omne argumentum factum ex iis, quae negotio adiuncta sunt et negotium consequuntur, iudicatum dicetur; sed quum probabile fuerit. Alioqui omnibus attributis tam personae quam negotio et necessarium esse poterit argumentum, cuius tres partes esse diximus; complexionem, enumerationem, simplicem conclusionem.

Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda est aut per ratiocinationem] De materia et argumento iam dictum est. Nunc tertium illud est, ut de argumentatione dicamus, quae pertinet ad elocutionem et quam Cicero ex dialectica sumptam in rhetoricam posuit latiorem. Argumentatio est itaque artificium non inveniendi, sed dicendi. Haec duobus modis fit: aut per inductionem aut per ratiocinationem. Ita et Aristoteles in argumentatione duo esse dixit, ἐπαγωγὴν καὶ συλλογισμόν. Atque Aristoteles breviter ac strictim omne exemplum inductionem esse dixit: quod animus auditoris ab eo, quod non dubium est, ad credendum id, quod dubium est, inducatur. Duo itaque sunt genera argumentandi, inductio et ratiocinatio. Verum inductione philosophi utuntur: et hic nunc ad exemplum inductio philosophica inducitur ad hoc, ut intelligamus, quid sit inductio vel quemadmodum fiat. Post autem praecipiet, qualis inductio possit esse oratoris.

Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est] Generaliter hic inductionem definivit: qua definitione ostendit ubique nos inductione uti posse, et in philosophica et in oratoria et in quacunque contentione verborum: etiam in fabulis. Nam ubique necesse est persuadere: et ideo personam certam hic non posuit, sed hoc ait: *Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est. Eius*, inquit, id est, sive ille philosophus sit sive iudex sive orator sive amicus sive inimicus. Inductio itaque sic facienda est, ut primo proponamus illa, quae extra negotium sunt; sed tamen quae ad negotium per similitudinem spectant: et talia, inquit, illa esse debent, quae proponimus, ut necessario is, cum quo agis, ita esse fateatur atque consentiat. Quod quum consenserit, tunc paullatim ad id, unde dubitabatur, descendis et iis, quae supra concessa sunt, simile esse confirmas. Dat ergo nunc exemplum philosophicum. Aeschines Socraticus fuit, id est, discipulus Socratis. Is multa scripsit: quodam etiam loco inducit Socratem referentem — nam is erat mos discipulis, ut ingenio proprio reperta ad magistros referrent et quasi ab eis inventa ponerent — inducit, inquam, Aeschines Socratem referentem quid esset, quemadmodum esset locuta Aspasia cum uxore Xenophontis vel cum ipso Xeno-

9. *Alioqui omnibus*] Cd. Bas. — *Alioqui in o.* Edd. Or.
16. *latiorem*] Cd. Bas. cfr. Cap. 100. *latior et expolitior.* — *laxiorem* Edd. Or.
44. *esset, quemadmodum*] Cd. Bas. — *esset, vel q.* Edd. Or.

phonte; nam Xenophon et eius uxor frequenter discordabant. Persuadet ergo Aspasia, ut in gratiam revertantur. Aspasia autem peritissima fuit philosophiae. Hac itaque inductione usam inducit Aspasiam apud Aeschinem Socrates. Interrogavit, inquit, Aspasia Xenophontis uxorem: *Si*, inquit, *vicina tua aurum melius habeat, quam tu habes, cuius habere mavis, tuum an illius?* Respondit illa, inquit, *Illius.* Deinde, inquit, *Si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum mavis, an illius?* Tunc, inquit, Xenophontis uxor inducta similitudine superiorum, quoniam sententiam mutare non poterat, tacita erubuit. Postea, inquit, Aspasia convertit se ad Xenophontem ipsum et similiter cum illo instituit inductionem: *Dic mihi*, inquit, *Xenophon, si vicinus tuus equum aut fundum meliorem habeat, quam tu habes, tuumne malis, an illius? Illius*, inquit. *Quid si*, inquit, *uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utrum illius malis?* Tacuit, inquit, Xenophon. Tunc, inquit Aspasia: *Quoniam id mihi solum uterque vestrûm respondere noluit, quod solum volueram responderi, ego dicam, quid uterque vestrûm cogitet. Nam et tu*, inquit, *Xenophon, uxorem optimam cupis, et tu virum optimum. Quare nisi et tu vir optimus fueris et tu femina lectissima, id est, nisi in gratiam regressi fueritis, semper et tibi uxor lectissima et tibi vir optimus deerit.* Hic itaque inductio hoc egit, ut Xenophon et uxor eius ab iis, quae velle se negare non poterant, ad id etiam, quod dubium habebant, per similitudinem deducerentur.

Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est] Socrates, inquit, in disputationibus suis inductione frequenter utebatur: propterea, inquit, quod optimum ducebat, ut non a se rebus prolatis, sed confessionibus suis adversarius vinceretur.

Hoc in genere praecipiendum nobis videtur primum, ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi] In inductione, inquit, tria semper spectare debemus. Primo, ut similitudines tales proponamus, ut eas sit necesse concedi: nam illud dubium esse non debet, unde alteri fidem volumus facere. Deinde, inquit, illud, quod confirmamus, ei rei, quam proposuimus, simile esse debet: ne nihil egerit propositio, si illud dissimile est, cuius causa proposuimus. Tertio, inquit, id agere debemus, ut nemo intelligat, quo spectet similitudinis propositio; ne quum quispiam intellexerit se ex confessione propositionis etiam illi rei fidem facere, quam negavit, aut non respondeat aut male praveque respondeat. Si autem nesciat, quo tendat similitudinis propositio, securus confitetur: qua confessione etiam illud, quod negabat ante, ita ut tu vis, concedit esse. Quum

6. *habes, cuius habere mavis, tuum, an illius?*] Cd. Bas. Capp. ex *habes, illiusne, an tuum malis?* St. Ald. Or.
14. *meliorem habeat*] Perperam editum fuerat *habeas*. Capp. (Rectam lect. habent Cd. Bas. St. Ald. Or.)
15. — *tuumne mavis an illius* et supra bis *mavis* pro *malis* Cd. Bas. Or.
21. *Hic*] Cd. Bas. Asc. — *haec* Edd. Or.
25. *modo*] — *more* Cd. Bas.

autem, inquit, haec diligenter in facienda inductione servaveris, ut et propositio similitudinis concedatur et illud propositioni simile sit, cuius causa similitudo proposita est, et nemo videat, quo propositio illa contendat; officio tuo per ista diligenter impleto, rursus debebis responsionem contendentis attendere. Unum autem de tribus faciat necesse est: nam aut tacebit aut confitebitur aut negabit. Ad haec singula dat praecepta, quid in his singulis tu facere debeas: et primo a difficiliore parte incipit. Si, inquit, negabit ita esse illud, unde contentio est atque illud, quod in propositis concessisque similitudinibus continetur, duo (inquit) facere debemus: aut illas res, quas ante concessit, similes docere huic rei esse, de qua contentio est: aut, si pernegabit, alias inducere similitudines. Sin autem (inquit) confitebitur, habita argumentatio concludenda est. Deinde (inquit) si tacebit, duo facies: aut responsionem de eo elicies: aut si respondere noluerit, quia genus confessionis est taciturnitas, concludenda est argumentatio. *Ita*, inquit, *hoc genus argumentandi tripertitum semper est. Prima*, inquit, *pars constat ex una similitudine pluribusve. Altera ex ea re, quae in contentione versatur et quam nobis concedi volumus. Tertia ex conclusione, quae aut confirmat confessionem, aut quid ex ipsa confessione conficiatur, ostendit;* ut in hoc ipso exemplo confessionem tacentium confirmat Aspasia: *Et tu*, inquit, *mulier, virum optimum vis habere: et tu*, Xenophon, *uxorem habere lectissimam maxime cupis.* Deinde ex hac confessione quid conficiatur ostendit: *Quare*, inquit, *nisi hoc perfeceritis, ut neque vir melior neque femina lectior in terris sit; profecto semper id, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis; ut et tu maritus sis quam optimae et haec quam optimo viro nupta sit.*

Sed quia non satis alicui videbitur dilucide demonstratum, nisi cet.] Dedit supra philosophicae inductionis exemplum: dat nunc in rhetorica, Non quo, inquit, diversa praecepta sint, sed ne quis forte praeceptum in philosophia datum, in rhetorica videre non possit. Exemplum autem nunc ponit apud Graecos pervagatum; cuius exempli huiusmodi thema est. Epaminondas imperator, quum ei successum fuisset, retinuit apud se exercitum aliquot amplius diebus, quam ex lege oportebat: illis ipsis diebus Lacedaemonios funditus evertit ac vicit. Accusatur, quod contra legem exercitum retinuerit. Proponitur autem hic tacita exceptione lex illa: *Qui successori ex lege exercitum statim non tradiderit, poenas solvat.* In hoc themate potest quidem esse *compensativus status* principalis: *Feci, sed profui*: verum secunda conflictio in *scripto et voluntate* consistit. *Scripto* utitur accusator, qui dicit a verbis legis recedi non oportere: *voluntate* utitur Epaminondas, qui dicit legem iubere quidem exercitum tradi, sed si nihil urgeat. Alioqui si rei publicae causa paucis diebus

28. *alicui videbitur*] Cd. Bas. = *vid. alicui* Edd. Or.

39. *compensativus status*] Unus est e *statibus qualitatis assumptivae*. Alias vocant *comparativum* et *comparationem*; Graece *ἀντίστασιν*. Capp.

40. *in scripto et voluntate*] Qui primus est legalium *statuum*. Graeci vocant *περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας*. Capp.

retineatur, nullam poenam subesse retinenti. Itaque hic inductionem potest facere accusator ille, qui contra sententiam legis scripta defendit; et similitudinem non extra causam, sed ex eadem causa facit. Si, inquit, Epaminondas id, quod ait legis scriptorem sensisse, ad legem suis verbis addat, id est, damnandum esse, qui exercitum non tradat, praeter eum, qui rei publicae causa retinuerit; hoc si addat, numquid pati potestis? Non opinor. Deinde si hoc idem legi additum vos vestra auctoritate ad populum feratis, numquid id populus patietur? Non patietur. Ergo, inquit, quod addi ad legem per verba non potest, id tamquam additum sit, sequi non debetis. Quod si, inquit, sententiam scriptoris neque Epaminondae neque vestris literis videmus colligi posse, multo magis illud re ipsa et iudicio vestro mutari non potest, quod ne verbo quidem mutari potest. Verum hoc scire debemus, in dialogis sermonem esse, non dictionem; dictionem autem esse oratoris in civilibus causis. Idcirco autem ait: *Aut aliter hoc in sermone atque in dicendo sit utendum.* Sermo, philosophi; dictio, oratoris: oratio autem potest et ad dialogum convenire, si sit paullo splendidior elocutio: proprium tamen oratoris est. Deinde notare debemus omnes magistratus praetores appellatos; ut hic: *Quod Epaminondas Thebanorum imperator ei, qui sibi ex lege praetor successerat . . .;* quum imperatori succedere debeat imperator.

Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet] Argumentationum duae partes sunt, inductio et ratiocinatio. De inductione iam dictum est: nunc de ratiocinatione tractatus est, id est, de syllogismis. Verum ut ad genus speciem referamus, syllogismus non argumenti nomen est, sed argumentationis; ita ut inductio non inveniendi modus est, sed forma dicendi. Quamobrem sic definivit ratiocinationem, id est, syllogismum: *Ratiocinatio est*, inquit, *oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet.* Et in hac definitione multa communia esse possunt cum inductione. Nam quod ait, *oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens*, tam ratiocinationis est quam inductionis. Hoc autem proprium ratiocinationis, quod ait: *Quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet.* Inductio enim non per se cognoscitur neque sua se vi et ratione confirmat: sed ut fidem faciat probandae rei, similitudines ante praecedunt. Recte itaque ratiocinatio definita est, id est, oratio, quae ex confesso argumentum continens non similitudine, sed per se cognoscitur et sua se vi et ratione confirmat. Verum quod diximus ex confesso argumentum continens, non similitudine: nisi enim quis confiteatur, quia inimicus fuit, non erit argumentum; *Si inimicus fuit, occidit:* sed

12. — *illud rei effectu seu re ipsa* Cd. Bas. Videtur tamen interpolatio. Or.
14. *sermonem esse, non dictionem*] Vide quid discriminis intercedat sermonem inter et dictionem. Capp.
19. *magistratus praetores appellatos*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *magistratus et praetores imperatores appellatos* ex interpol. Capp. Or.
38. *oratio*] Cod. Bas. Asc. — *ratio* Cett. Or.

si confiteatur *inimicum*, argumentum probabile fit: *Si igitur inimicus fuit, occidit.*

Hoc de genere qui diligentius considerandum putaverunt, quum idem cet.] Ratiocinatio est igitur oratio per se cognita ac sua vi et ratione firmata, ex re confessa sumptum ad fidem proferens argumentum. Verum, ut diximus, haec oratio est pertinens ad syllogismos. Syllogismorum autem multi quinque, multi plurimas partes, multi (inquit) tres esse dixerunt: sed utrorumque, inquit, rationes debemus inspicere, quia et brevis inspectio est et oratori res necessaria. Opus quidem, inquit, utrorumque consimile est. Nam alterutrum et propositionem habet et approbationem propositionis et rursus assumptionem et approbationem assumptionis et conclusionem. Verum, inquit, qui syllogismum in quinque partes dividunt, has singulas partes numerant; ut propositio una pars sit, approbatio propositionis altera; ita et in assumptione et approbatione assumptionis, ut quinta pars sit conclusio. Illi autem, qui tres partes in syllogismis esse contendunt, propositionem et approbationem propositionis unam partem numerant: rursus assumptionem et approbationem assumptionis alteram partem numerant: tertiam vero conclusionem. Ita utrorumque opus simile, sed in membris operis numerus diversus. Iam vero quinquepertiti syllogismi sive tripertiti in ipsis libris exempla poterimus agnoscere. Verum quaedam praecepta in his partibus posita intelligamus. Propositio, inquit, generalis in suo esse debet et id, quod assumendum in se est, necessario continens. Approbatio eius multis verbis et diversis rationibus facienda est. Assumptio vero ex vi propositionis capienda est; ut haec assumptio est: *Nihil autem melius quam omnis mundus administratur.* Haec assumptio ex vi propositionis assumpta est: quae est enim propositio? *Melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur.* Deinde, inquit, etiam assumptionis approbatio multis rationibus facienda est. Extrema conclusio est, quae quattuor modis fit; quos modos alio in loco ostendemus, quum de bipertito syllogismo coeperimus habere tractatum.

Quinquepertitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem] Qui (inquit) quinquepertitam dicunt esse argumentationem, hoc afferunt, quod supra ostendimus; id est, separari propositionem ab approbatione sua et rursus assumptionem ab approbatione sua.

Qui autem tripertitam esse dicunt] Illi, inquit, qui tripertitam argumentationem esse contendunt, eodem modo quidem tractant argumentationem. Nam et propositiones habent et approbationes et rursus assumptiones cum approbationibus suis: sed haec bina connectunt et reddunt singula; ut propositionem cum approbatione sua simul iungant

---

11. *alterutrum*] Cod. Bas. — *alteruter* Edd. Or.

21. — *cognoscere* Cd. Bas.

26. *Nihil autem melius quam* cet.] Legebatur olim: *nihil autem melius consilio*, *quam cet.* sed attendenti facile patebit perperam intrusum fuisse τὸ *consilio*. Capp. (Habet *consilio* etiam Cod. Bas.; sed si est a Victorino ipso, sane is corrupit Ciceronis ratiocinationem. Or.)

35. *separari propositionem ab approbatione*] Perperam editum erat *parari*. Capp. (*Separari* etiam Cod. Bas. Asc.)

et rursum assumptionem et approbationem eius unum efficiant. Negant autem recte neque propositionem neque *assumptionem* dici, nisi fuerit approbata; tuncque esse aiunt propositionem argumentationis, si approbata sit: sin autem approbata non sit, esse quidem propositionem, sed argumenti, non argumentationis; in qua argumentatione latior et expolitior elocutio est. Itaque qui hoc contendunt, negant esse amplius quam tripertitam argumentationem. Ab his Cicero dissentit et contra disputat; probatque illorum sententiam, qui dicunt quinquepertitam argumentationem. Itaque hoc Cicero secundum artem testibus et argumentis probat. Testibus sic: *Quam omnes*, inquit, *ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime secuti sunt.* Nam quemadmodum (inquit) superius argumentationis genus, id est, inductionis, Socrates maxime et omnes Socratici tractaverunt; ita hoc genus argumentationis, id est, ratiocinatio quinquepertita, ab Aristotele et Theophrasto vel Peripateticis frequentatum atque tractatum est. Sed quia orator rhetoricam scribens importune paene philosophos ad testimonium vocat [quia de dialectica iste tractatus est, recte philosophos sibi adhibet, qui rhetoricam scribit;] adiungit etiam multos oratores elegantissimos atque artificiosissimos iudicatos, qui usi sunt hac argumentatione quinquepertita; *deinde*, inquit, *a rhetoribus iis*, *qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt.* Itaque testibus probavit non errare illos, qui asserant quinquepertitam argumentationem: sed quia poterat dici Ciceroni: *Etiam illi*, *quos commemoras*, *erraverunt;* ostendit se exemplum illorum non temere secutum probatque argumentis suis non errare eos, qui quinquepertitam argumentationem; errare autem eos, qui tripertitam esse contendant. Itaque haec est quaestio: *Utrum tripertita*, *an quadripertita*, *an quinquepertita sit argumentatio.* Cicero multis syllogismis suis nunc quinquepertitis, nunc tripertitis, probat quinquepertitam esse argumentationem. Et primo asserit propositionem et approbationem inter se esse diversas; in qua assertione primo argumenti, deinde exempli est syllogismus. Dehinc simili ratione asserit assumptionem et approbationem eius inter se esse diversas; in qua rursus assertione primo argumenti, deinde exempli est syllogismus. Itaque postquam probavit propositionem et assumptionem ab approbationibus suis longe esse separatas, concludit commode partitos esse eos, qui quinquepertitam dixerint argumentationem.

Quinque igitur partes sunt eius argumentationis, *quae per ratiocinationem tractatur*] Illius autem argumentationis, quae per inductionem tractatur, tripertita est argumentatio. Verum hoc in primis tenere debemus, argumentum nunc vicinum esse quaestioni, nunc a quaestione longinquum. Argumentum enim prolatum nunc ipsi quae-

---

3. *fuerit*] Asc. — *fuerint* Cett. *fuerint approbatae* volebat Capp. Or.

17. *quia de dialectica*] Haec verba, quae parenthesi conclusimus, adscititia prorsus atque a Victorini contextu videntur aliena. Nam sententiam continent, quae Victorino plane contradicat. Capp. — *verum quia - - adhibet; et quia rh. scribit, adiungit et m. o. el.* Asc.

18. *etiam multos oratores el.*] Cod. Bas. — *et multos or. etiam el.* Edd. Or.

36. *dixerint*] Cod. Bas. — *dixerunt* Edd. Or.

stioni prodest, nunc ei rei, quae vicina est quaestioni. Itaque argumentum nunc vicinum est quaestioni, nunc loco tertio, nunc quarto, nunc quinto nascitur. Aristoteles autem dixit etiam loco decimo posse fieri argumentum. Sed quum saepe argumentum tam longe a quaestione sit, hoc tantum syllogismi est, ut id, quod longe a quaestione est, eidem quaestioni dicendi ratiocinatione coniungat. Ac vicinum argumentum tale est: *Quoniam hic inimicus fuit, occidit:* longe a quaestione argumentum tale est: *Inimicus occidit.* Hoc quia generale est, primo disserendum est, utrum inimicus semper occidat: quod postquam asserueris, non statim probas hunc occidisse: sed ad hoc proficit, ut rursus doceas hunc inimicum fuisse: quod postquam asserueris hunc inimicum fuisse, tunc demum redis ad quaestionem: *Ergo hic, quia inimicus fuit, occidit.* Deinde longe petitum argumentum etiam illic licet animadvertere, ubi Cicero redarguit Hermagoram non recte sub *qualitate* posuisse *deliberationem* et *demonstrationem*, ubi primum docet genera esse causarum: quod si genera sunt causarum, partes generis causae esse non posse; et si partes generis causae esse non possint, multo magis partes partium esse non posse. Postremo redit ad quaestionem: *Male igitur* deliberatio *et* demonstratio *sub* qualitate *ponuntur.* Itaque argumentum nunc longe a quaestione est, nunc vicinum est quaestioni. Deinde debemus hoc animadvertere, argumentum quodcunque sumimus, utrum in genere sit, an in specie: si in genere, sine dubitatione proponere debemus; deinde approbare eandem propositionem; tertio loco speciem assumere; quarto loco assumptionem speciei multis rationibus approbare; postremo concludere. Huius syllogismi subiiciamus exemplum illud ipsum Epaminondae:

Omnes leges, iudices, ad commodum rei publicae referre oportet, cet.] Haec propositio est generalis sine ulla dubitatione. Deinde approbat eandem propositionem: *Ea enim virtute et sapientia maiores nostri fuerunt*, cet. Tertio loco species assumitur: *Ergo in hoc quoque iudicio desinite literas legis perscrutari*, cet. Quarto loco approbat assumptionem: *Considerate. Quid magis utile fuit Thebanis, quam Lacedaemonios opprimi* cet. Postremo concludit: *Quod si leges omnes*, cet. Hoc autem argumentum longe a quaestione petitum cognoscimus facile: argumentum vero, quod in specie est, semper cum dubitatione proponitur; *Si hoc est, illud igitur non est: Aut hoc faciamus, aut illud faciamus.* Verum, quum in propositione *si* est, *κατὰ συνημμένον* dicitur: quum in propositione *aut* est, *κατὰ διεζευγμένον* dicitur. Argumentum igitur, quod in specie est, debet semper cum dubitatione proponi: huius propositionis facienda est approbatio: deinde assumptio eiusdem speciei facienda est per eandem

---

17. *et si partes* cet.] Legebatur antea *ut si partes:* sed ex tota serie orationis liquet τὸ *ut* hoc in loco ferri non posse. Immo superius illud verbum *docet*, satis ostendit legendum esse *et.* Capp. (*ut* etiam Cod. Bas. Asc.)

27. *commodum*] Cod. Bas. — *commoda* Edd. Or.

28. *quum in propositione si est* cet.] In Basileensi editione legitur: *quum in propositione si est dicitur, propositio hypothetica dicitur. Argumentum igitur* cet. quae tota lectio ferri nequit. Capp. (Lectio Ed. Basil. est etiam in St. Ald. Rectam habet Cod. Bas. Or.)

speciem; sed per confirmationem: cuius assumptionis facienda est approbatio: tunc erit postrema conclusio. Talis in Miloniana oratione syllogismus est: *Si*, inquit, *doceo causas fuisse Clodio*, *ut occideret Milonem*, *probo insidiatorem*. Hanc propositionem approbavit: *Et si boni ne magno quidem emolumento impelluntur ad fraudem*, *improbi saepe parvo*. Deinde ipsam speciem assumit per confirmationem: *Habuit autem causas Clodius*. Hanc rursus assumptionem multis rationibus approbat: postremo concludit: *Quare si habuit causas Clodius*, *ut occideret Milonem*, *constat insidiatorem fuisse*. Ergo quoties argumentum in genere fuerit, species assumenda est: quoties argumentum in specie fuerit, ipsa species assumenda est, sed per confirmationem. Hoc autem tenere debemus, in propositione vim totius argumentationis consistere. Sive autem in genere sive in specie sit propositio, ex ipsa tamen semper generatur assumptio. Docuit itaque quinquepertitam argumentationem per exemplum Epaminondae. Deinde docuit quadripertitam argumentationem duobus modis: nunc propositionis approbatione, nunc assumptionis approbatione sublata. Deinde docuit tripertitam argumentationem, utraque approbatione sublata. Nunc quaestio est, an sit bipertita argumentatio: *Si peperit*, *virgo non est: peperit autem*. Multi dicunt esse bipertitam argumentationem hac ratione: si, inquiunt, approbationes saepe, quia manifestae sunt, subtrahuntur, cur non et conclusio, quum manifesta est, subtrahatur? ut sit bipertita argumentatio per propositionem et assumptionem; *Si peperit*, *virgo non est: peperit autem*. Cicero hanc illorum sententiam reprehendit dicitque semper argumentationem concludendam esse, nec unquam tamen utendum esse manifesta conclusione. Tunc autem hoc fieri posse, si conclusionum genera cognoscamus. Sunt autem quattuor: quarum conclusionum una talis, quum breviter ἀνακεφαλαίωσιν facimus propositionis et assumptionis; et post adiungimus id, quod ex omni argumentatione conficitur. Dat autem ipse exemplum: *Quod si leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit*, *hic autem saluti rei publicae profuit; profecto non potest eodem facto et saluti communi consuluisse et legibus non obtemperasse*. Secunda autem conclusio talis est, ut argumentatio ex contrario concludatur; et dat exemplum: *Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere*, *quorum perfidia toties deceptus sis*. Propositio enim huius syllogismi talis est:

Qui saepenumero nos per fidem fefellerunt, *eorum orationi fidem habere non debemus*] Hoc postquam probatum est, ita con-

---

7. *Deinde - - - Clodius*] Exciderunt haec e Capp. Or.

11. *quoties arg. - - ass. est*] Exciderunt haec e Capp. Or.

16. *per exemplum - - argumentationem*] Exciderunt haec e Capp. Or.

29. *quum breviter ἀνακεφαλαίωσιν* cet.] In Basileensi editione legimus: *cum breviter conclusionis* cet. quam lectionem nemo criticus tolerare possit. Capp. (Rectam lect. habent Cd. Bas. St. Ald. Or.)

32. ∞ *fuit*] Cd. Bas. Asc.

33. ∞ *pacto*] Cd. Bas.

39. *orationi fidem habere*] Male editum fuerat *oratione*. Capp. (Recta lectio est in Cd. Bas. Asc. St. Ald. Or.)

cludi oportuit: *Igitur Karthaginiensibus fidem non habere debemus:* sed contrarium potius in conclusione constituit: *Summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis.* Tertia conclusio talis est, ut id solum, quod ex omni argumentatione conficitur, inferamus; et dat exemplum: *Urbem igitur diruamus.* Quarta conclusio talis est, quum non id, quod conficitur, in conclusione ponimus; sed id, quod eam rem, quae conficitur, consequatur; et dat exemplum: *Si peperit, cum viro concubuit: peperit autem.* Hic conficitur: *Cum viro igitur concubuit.* Sed hoc in conclusione, quia manifestum est, non ponit: sed illud ponit, quod manifestum ipsam conclusionem consequitur: *Igitur fecit incestum.* Etenim si cum viro concubuit, id consequitur, ut fecerit incestum. Antiqui autem quemcunque hominum coitum *incestum* appellabant.

Quare in longis argumentationibus cet.] Dat praeceptum, ut sciamus, qua conclusione una quaeque argumentatio concludenda sit. Quoties, inquit, longa fuerit argumentatio; aut propter memoriam ἀνακεφαλαίωσιν facere in conclusione debemus; aut si erunt in memoria, quae supra dicta sunt, argumentatio nobis ex contrario concludenda est. Verum longa argumentatio non partibus, sed mensura partium constat; id est, non quinquepertita aut quadripertita argumentatio longa est: sed in quacunque argumentatione, quoties latiores fuerint approbationes, tunc longae erunt argumentationes. Ita et quinquepertita argumentatio ex modo approbationum brevis poterit inveniri. Quare, inquit, quaecunque argumentatio longa fuerit, duobus modis concludenda est; aut per conductionem, id est, ἀνακεφαλαίωσιν, aut per contrarium. Quoties autem brevis fuerit argumentatio, hoc solo, quod conficitur, concludenda est. In illis vero argumentationibus, quae exitum manifestum habent, consecutionem ponere in conclusione debemus.

Si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt cet.] Reprehendit etiam illos, qui ex una parte dicunt fieri posse argumentationem: *Hi*, inquit, *errant de nominis ambiguitate.* Nam argumentatio duas significationes habet, et argumenti et argumentationis. Quare quum dicunt: *Si peperit, cum viro concubuit; inventum proferunt, non expolitionem*; id est, argumentum proferunt, non argumentationem. Sed talis argumentatio esse non potest, nisi quum expolita profertur oratio. Eodem modo, inquit, et illi errant, qui dicunt aliquando subtrahi posse nunc propositionem, nunc assumptionem: nam quoniam utraque harum movet auditorem, neutra necesse est subtrahatur expolitioni. Itaque magno opere studendum

---

13. *incestum*] Quasi videlicet *incastum*, ἄναγνον. Capp.

17. ἀνακεφαλαίωσιν] In Basileensi editione legitur *conductiones;* non male. Capp. (Contra Cd. Bas.)

26. *id est*, ἀνακεφαλαίωσιν] In Basil. edit. legimus *id est* συναγωγήν, quae lectio nulli videtur esse reprehensioni obnoxia. Capp. (Ut nos, Cd. Bas.)

27. — *quo* Cd. Bas.

35. *expolitionem*] Quam Hermogenes *de inventione* ἐργασίαν et ἐπεξεργασίαν videtur appellare. Capp.

est: quia inventio cunctis oratoribus communis est. Sed ipsi oratores dicendi modo aut optimi sunt aut mediocres aut infimi.

Variare autem orationem magno opere oportebit] Propter fastidia, varia (inquit) uti oratione debemus; ut nunc per inductionem argumentemur, nunc per ratiocinationem. Deinde in ratiocinationibus ut nunc quinquepertitam, nunc quadripertitam, nunc tripertitam faciamus argumentationem. Deinde, ut non semper prima sit propositio, sed aliquando assumptio prima sit. Haec, inquit, ut melius inspiciamus, aut scribamus ipsi et nos exerceamus: aut si id piget facere, ea, quae supra posita sunt exempla videamus et in ipsis hanc exerceamus varietatem. Illud autem praecipit, syllogismos omnes in dialectica contineri; hos paucos inde derivatos, qui oratori convenire videbantur. Denique isti non syllogismi, sed *epichiremata* dicuntur.

Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut infirmatur aut levatur] Iam de quattuor partibus orationis dictum est; id est, de exordio, de narratione, de partitione, de confirmatione. Nunc secundum ordinem de reprehensione tractandum est. Reprehensio est oratio, quae post nostram confirmationem adversariorum confirmationem reprehendit. Haec duo agit; aut omnino tollit, quod adversarius dixit, aut infirmat ac levius reddit. Verum ipsa reprehensio ex illis locis argumentorum capitur, ex quibus confirmatio; id est, ex attributis personae et attributis negotio: materia enim argumentorum communis est tam confirmanti quam reprehendenti. Et quum tria sint data confirmationi, materia, argumentum, argumentatio, materiam non reprehendimus, quae vera, nuda atque communis est: sed argumentum aut argumentationem reprehendimus. Et quoniam in confirmationem vel reprehensionem communiter hactenus praecepta tradidimus, debemus scire certos modos reprehensionis. Sunt autem quattuor principales modi; si aut sumpta reprehendamus aut conclusionem aut genus argumentationis; aut si haec tria nullo modo reprehendi poterunt, quod extremum est, facere debemus; ut aliud contra argumentum firmum aut firmius proferamus. *Sumpta* sunt, quaecunque nobis ad fidem sumimus. Ad fidem autem sumimus argumentum. Ergo argumenta *sumpta* sunt. Et quoniam argumentum non nisi ex confesso fit, recte ea, quae ex confessis argumenta sumimus, *sumpta* dicuntur. Sunt autem *sumpta* semper quattuor probabilia, tria necessaria. Probabile etenim argumentum in quattuor dividitur, credibile, signum, comparabile, iudicatum. Necessarium in tria dividitur; complexionem, enumerationem, simplicem conclusionem. Itaque quia septem argumenta septem *sumpta* sunt; de quibus argu-

5. *ut nunc per inductionem argumentemur*] Perperam legebatur olim: *ut nunc per inductionem* [*argumentationem*] *argumentemur*. Capp. (Falsam lect. habet etiam Cod. Bas. Or.)

9. *scribamus*] Sic correxi pro *inscribamus* Cd. Bas. Asc. St. Ald. Capp. Or.

13. *epichiremata*] Quaenam sint illa ἐπιχειρήματα vide apud Quintilian. lib. 5. Capp.

15. — *allevatur* Cd. Bas.

20. *ac levius*] Sic Asc. St. Ald. *aut levius* Cd. Bas. Capp. Or.

25. — om. *vera* Cd. Bas. Asc.

mentis quum adversarius quodcunque sibi ad fidem sumpserit, tu continuo certis modis poteris reprehendere; quos modos a Cicerone traditos in singula *sumpta* reprehendenda diligenter debemus attendere atque retinere.

Quod pro credibili sumptum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit, hoc modo: Nemo est cet.] Enumeravit septem esse *sumpta*. Nunc docet unum quodque *sumptum* quot modis reprehendi possit: et a probabili argumento incipit, in quo quattuor continentur, credibile, signum, comparabile, iudicatum. Itaque, inquit, si aliquid ab adversario pro credibili argumento fuerit prolatum, quinque id modis possumus reprehendere: si aut, inquit, quod solidum ac primum est argumentum, ipsum falsum esse doceamus: aut si ex contraria quoque parte credibile esse monstremus: aut si omnino erit incredibile: aut si in eo id, quod paucorum est, omnium esse dicatur: aut si id, quod raro contingit, fieri omnino denegetur. Falsum est, quod in re falsum est et quod omnino aliter esse contendimus; sicut ipse ait: *Nemo est, qui non pecuniam quam sapientiam malit.* Hoc itaque falsum est: ut etiam si unus fuerit inventus, qui sapientiam malit, argumentum adversarii falsum esse dicatur. Ex contrario quoque credibile erit, si quid ab adversariis pro credibili prolatum, nihilominus credibile sit, si convertatur; ut puta: *Quis est, qui non officii cupidior sit quam pecuniae?* Hoc utique ab adversario pro credibili prolatum est, quod conversum nihilominus credibile est; si dicas: *Quis est, qui non pecuniae cupidior sit quam officii?* Ergo credibile reprehenditur, quod ex contraria parte conversum, nihilominus credibile potest videri. Incredibile autem dicetur, quod ab hominum opinione dissentit. Et hoc interit inter falsum et incredibile, quod falsum in ipsa re est: incredibile vero in opinione. Itaque (inquit) incredibile est, ut puta si avarus dicatur mediocris officii causa maximam pecuniam contempsisse: hoc itaque apud opinionem hominum credi non potest. Quando enim avarus maximam pecuniam contemneret mediocris officii causa, qui ob parvam pecuniam saepe officia magna contemnit? Inter falsum et incredibile hoc interest; quod falsum et credibile esse potest et incredibile: deinde, quod incredibile est, verum esse potest et falsum. Sed verum duplex est; nunc id, quod vere gestum est; nunc id, quod vere gestum esse quibusdam rationibus approbatur. Itaque saepe, quod verum est, quia falsum esse non potest, incredibile est. Verum est enim, quod Simon volavit: sed tamen incredibile est. Deinde si dicas: *Uno die duas controversias perscripsi*, quum non perscripseris; in re quidem falsum: sed tamen,

---

8. *et a probabili argumento*] Editum erat olim: *ita probabili argumento* sed Basileensis editionis lectionem secutus sum. Capp. Rectam lect. habent etiam Cod. Bas. Asc. Or.

14. *incredibile*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *credibile* Capp. Or.

17. ∾ *quin pec.* Cd. Bas.

21. *sit*] Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *fit* Capp. Or.

22 = *cupidior quam pecuniae sit* Cod. Bas. Asc.

38. Simon Magus, de quo eiusmodi praestigiae referuntur in Clementinis. Or.

quia fieri potuit, credibile est. Rursus credibile argumentum reprehendi potest, si quod paucorum est, omnium esse dicatur; ut puta: *Qui pauperes sunt, iis non officium magis quam pecunia cordi est.* Hoc quia generaliter dictum est, reprehendi potest: nam possunt aliqui pauperes inveniri, quibus officium magis cordi sit, quam pecunia. Nec nos moveat, quod in argumento credibili, quod quidem ex personis fieri diximus, exemplum de loco posuerit: credibile enim argumentum, id est, probabile, maxime quidem personarum est: sed fit etiam ex attributis negotio; id est, ex loco, tempore et reliquis. Itaque sub hoc modo reprehensionis duo exempla posuit; unum a persona, aliud a loco. Illud autem, quod tertium videtur, exemplo illi, quod sub extremo modo positum est congruum, non tertium est exemplum, sed secundi conclusio; ut primum exemplum a personis sit: *Qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia;* secundum exemplum a loco sit: *Qui locus desertus est, in eo caedem factam esse oportet: in loco celebri homo occidi qui potuit?* Itaque hoc praeceptum tenere debemus, quod ex attributis personae maxime credibile argumentum conficitur: esse tamen et in factis credibile; signum autem non nisi ex factis confici. Scire tamen debemus ex attributis personae fieri et necessarium argumentum; si dicas: *Pedibus aeger quinquaginta millia qui potuit ambulare?* Postremo credibile argumentum potest reprehendi, si id, quod raro fit, nunquam fieri posse dicatur; ut puta: *Nemo est, qui puellam praeteriens adamet.* Hoc rursus quia generaliter dictum est, potest reprehendi. Nam frequenter et semel visa puella potest adamari; ut in Eunucho adamat Chaerea; et in Virgilio:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

His itaque quinque modis credibile poterit reprehendi: si aut perspicue falsum esse ostendatur, aut conversum ex contraria parte nihilominus credibile sit; aut si incredibile demonstretur; aut si, quod paucorum est, omnium esse dicatur; aut si, quod raro fit, id nunquam fieri posse dicatur.

Quod autem pro signo sumetur, id eisdem ex locis, quibus confirmatur, infirmabitur] Dixit quot modis credibile possit reprehendi, nunc transit ad signum: si, inquit, ab adversario aliquid pro signo proferetur, id eisdem [ex] locis reprehendi potest, quibus confirmatur. Verum quoniam in definitione signum esse dixit, quidquid in sensus cadit; maxima signa sunt et quae in controversiis frequentius necesse est inveniri, oculorum et aurium; oculorum, *pallet, pulverulentus est, cruentus est;* aurium vero, *hoc dixit, hoc locutus est.* Itaque praeter haec signa, quae oculis digitoque monstrantur, omne factum ac dictum signum est: quae facta et dicta negotio attributa sunt; id est, continentia cum ipso negotio. Quae facta et dicta tripliciter considerantur, ante negotium, in negotio, post negotium. Itaque quum ex iis, quae negotio attributa sunt, argumenta sumpse-

---

9. *et*] Cd. Bas. — *vel* Edd. Or.
16. — *esse factam* Cd. Bas.

rimus, signum est; id est, ex iis, quae continentia cum ipso negotio sunt et quae in gestione negotii continentur. Deinde si ex iis fecerimus argumentum, quae personis attributa sunt, credibile erit: et hoc ideo argumentum dicetur, ut quasi argumentum a personis fiat, signum a negotiis: et ideo Cicero in Caeliana: *Argumentis agemus, signis luce omni clarioribus crimina refellemus.* Igitur si adversarius, inquit, aliquid pro signo protulerit, eisdem ex locis reprehendere debemus, quibus confirmatur. Et quoniam ignoratur, quibus ex locis signum confirmari debeat, id ipsum docet: confirmatur autem quattuor modis. Primo, inquit, signum ipsum manifestum esse debet; id est, ut quum dixeris *pallet*, vere palleat. Deinde ut postquam constiterit esse signum, constet rursus eius rei esse signum, de qua agitur; ut si dicas: *Occidit, nam cruentus est.* Et quoniam diximus factum omne signum esse; in facto autem et facta et dicta sunt; confirmamus (inquit) signum, si aut id factum dicamus, quod non oportuerit, aut id non factum, quod oportuerit. Sed quia interdum per ignorantiam provenit, ut aut id non faciamus, quod oportet, aut id faciamus, quod non oportet; tunc autem gravius delictum est, si faciamus, quae non facienda sunt, aut non faciamus, quae facienda: quia in eo, quod facimus faciendum vel non faciendum, inest scientia delinquentis: scit enim quia aut faciendum est, aut non faciendum; idcirco postremum illud addidit ad confirmationem signi, ut non modo aliquid fecerit aut non fecerit; sed etiam scierit faciendum esse aut non esse faciendum.

Postremo, inquit, *scisse eum, de qua quaeritur, eius rei legem et consuetudinem*] Itaque quattuor modis signum confirmamus. Primum, ut verum sit: deinde, ut eius rei, de qua agimus, signum sit: deinde, ut doceamus aut id factum esse, quod non oportuerit; aut id non factum, quod oportuerit; postremo etiam scisse eum, utrum fuerit faciendum vel non faciendum. Haec quattuor confirmando signo attributa sunt: quorum si adversarius quodlibet ad confirmandum protulerit, tu id quinque modis reprehendes. Dicere enim debebis (inquit) aut non esse signo; id est, si dicatur: *Homicidium fecit; nam pulverulentus est: utique ad homicidium pulvis signo esse non potest;* aut parum magno esse signo — etenim non modo signum proferendum est, sed et plenum signum: unde illud in Terentio: *Iam scio magnum signum;* — aut a se potius quam ab adversariis stare: si dicatur: *scelus fecit; nam erubuit:* quum tu contra possis dicere: *Immo scelus non potuit facere, quia erubuit;* aut omnino falso dici;

---

1. *ex his*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. Omittit *ex* Capp. Supra quoque *ex* inserui cum [ ] Cfr. etiam in seqq. Or.

3. ∞ *personae* Cd. Bas.

5. *Caeliana*] scil. §. 2.. Sic correxi pro *Caeciliana* Cd. Bas. Asc. St. Ald. Capp. Or.

18. Fortasse: *si scientes faciamus.* Or.

19. Immo: *quod non facimus faciendum vel facimus non faciendum.* Or.

32. *signo*] Scripsi bis e Cic. propter seq. lectionem Cod. Bas. pro *signum* Edd. Or.

34. *magno esse signo*] Cd. Bas. Asc. — *magnum e. signum* Cett. Or.

si dicatur nescio qui pallere, quum non palleat; aut in aliam quoque suspicionem duci posse demonstrabitur; si dicatur: *Quia pallet, occidit hominem;* quum sit pallor et aegritudinis. Itaque si quid ad confirmandum signum fuerit prolatum, his quinque modis reprehendi oportebit. Quod quidem se in secundo libro de *coniecturali* causa signatius tractaturum esse promittit. Comparabile argumentum ex similitudine consistit: quod ut reprehendas, id, quod adversarius simile esse vult, tu contra dissimile debebis asserere. Dissimile autem aliquid, an simile sit, octo rebus ostenditur; genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Verum in his animadvertere debemus, quid adversarius comparet ac simile esse persuadeat: quod postquam perspexerimus, illud ipsum nos dissimile debemus ostendere, quod adversarius simile esse contendit. Alioqui stultum est, ut, quum adversarius res inter se esse dicat similes per naturam, nos eas aut magnitudine esse dicamus dissimiles aut genere aut loco vel ceteris. Sed id, quod simile esse dicitur in natura, nos contra in eadem natura dissimile debemus ostendere. Quod rursus dicitur simile esse in persona, nos in eadem persona dissimile esse doceamus. Octo itaque modis dissimile aliquid necesse est comprobari; genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Generis triplicem significationem scimus esse. Est autem genus, id est, sanguis aut patria: est genus, sub quo plures partes continentur: est genus rerum qualitas. Hic itaque genus duo illa significat: sub quo sunt species et illud, quod qualitatem designat. Genus illud, sub quo species sunt, ita ad similitudinem ducitur, ut in hoc exemplo: *Si iis, qui imprudentes laeserunt, ignosci oportet, iis, qui necessario profuerunt, gratiam haberi non oportet.* In his enim ambobus unum genus est voluntas absens; cuius species sunt imprudentia et necessitas. Itaque haec specie diversa, genere ad similitudinem referuntur; id est, quia in utroque absens voluntas. Illud autem genus, quod qualitatem significat, confertur, quum utile utili, honestum honesto conferimus; ut puta: *Tam hoc utile, quam illud; tam hoc honestum, quam illud.* Tertium illud genus, quod aut sanguinem ostendit aut patriam, ad locum referri oportebit. Natura autem confertur ita, ut in hoc exemplo, in quo populi natura cum maris comparatur: *Ut mare* (inquit) *quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari; sic P. R. sua sponte esse placatum, hominum seditiosorum vocibus, ut violentissimis tempestatibus, concitari.* Vim saepe esse diximus singulorum verborum simplicem significationem; hoc est illud nescio quid, quod intelligimus, quum dictum fuerit *sacrilegium.* Iam magnitudo erit ipsius vis exaggeratio; ut puta: *Sacrilegium atrox.* In loco illam, quae iam abunde tractata est, qualitatem loci inspiciamus. Tempus itidem suis inspectum semper partibus conferamus; ut,

---

1. *qui*] Cd. Bas. *quis* Asc. — *quem* Cett. Or.
5. *de coniecturali causa*] Sive de *coniecturali statu*, in quo videlicet quaestio est de facto. Capp.
9. *an simile*] Sic scripsi pro *aut s.* Or.
29. — *adversa* Cod. Bas.

si opportunitas est, opportunitatem; si spatium, spatium conferamus. Persona autem omnino manifesta est. Opinio vero est iudicium populi. Haec ita conferetur, si dicamus: *Sic de illa re iudicatum est, sic de hac iudicatum aut iudicandum est;* aut *Aliter de illa re iudicatum, aliter de hac iudicatum aut iudicandum est;* ut si pro nobis est, confirmetur: si contra, mutetur opinio.

Ac si quo in numero illud, quod per similitudinem affertur et quo cet.] Hoc non quasi alius aliquis modus conferendi est (ne quis forte credat) sed opinionis expositio: quae quidem unam partem tenet solam, id est illam, quum ab adversariis coniuncta dissolvimus.

Sin iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur, laude cet.] Et ad hoc nihilo minus confirmandum ipse nobis indicat confirmationem. Nam quattuor modis dicit confirmandum nobis esse iudicatum, quibus utique sublatis infirmari posse declarat; hoc est, laude eorum, qui iudicarunt; similitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum est; et non modo non esse reprehensum iudicium, sed ab omnibus approbatum: et si difficilius et maius esse doceamus illud iudicatum, quod afferatur, quam id, quod instet. Quum enim afferimus iudicatum, ut id nostrae causae prosit, necesse est primo a laude eorum, qui iudicarunt id, quod iudicatum proferimus, ordiamur: per iudicantium enim auctoritatem, iudicati auctoritas confirmatur. Deinde ut id, quod iudicatum proferimus, simile ei, quo de agitur, esse monstremus: tum enim nos iudicatum adiuvabit, si huic simile demonstretur. Verum haec similitudo octo illis similiter partibus facienda est; hoc est, genere, natura, vi, magnitudine, loco, persona, tempore, opinione: et omnino hoc iam tenere debemus, quamcunque similitudinem his nobis partibus esse faciendam. Deinde tertio modo iudicatum confirmamus, si ostendamus ipsum iudicatum non esse reprehensum, et non modo non reprehensum, sed etiam ab omnibus approbatum; ut hi iudices de hoc negotio similia sperare cogantur. Extremum illud, si difficilius et maius iudicatum, quam id, quo de agitur, esse doceamus: nunquam enim iudex in minore negotio facere dubitabit id, quod iam iudicatum in maiore perspexerit. His itaque locis iudicatum confirmatur: iisdem conversis infirmatur; id est, ut iudices vituperes; ut negotiorum dissimilitudinem doceas; ut reprehensum iudicium illud demonstres, et ut illud iudicium minus ac facile, hoc vero difficile ac maius ostendas. Deinde doceas, quae vitia in adversario perscrutari atque invenire debeamus; id est, ne forte illud iudicatum, quod affertur, huic negotio nihil prosit; et ne illud proferatur iudicium, in quo iudices contraxisse constet offensam. Tertio illud considerandum, ne quum pro nobis similia sint

---

11. *Sin*] Cod. Bas. — *si* Edd. Or.

16. In toto loco secutus sum Cod. Bas. Asc. — *est: commemorando non modo* cet. ut nos nisi quod *etsi* pro *et si* et abest *illud.* Capp. — *est: commemorando non modo — approbatum: et demonstrando id difficilius – – esse iudicatum* cet. Ald. Or.

23. *agitur*] Cd. Bas. — *agatur* Edd. Or.

29. *non esse reprehensum*] Perperam legebatur antea: *non modo esse reprehensum.* Capp. (Recte Cod. Bas. Asc. Or.)

multa iudicia, ab adversario unum aliquod dissimile proferatur, statimque frangetur, quod quasi probabile pro probabili profertur. Nam id, quod vere probabile est, nullo modo aut difficillime poterit infirmari. Hoc est, quod ait: *Ex contrariis locis, si res aut vera aut veri similis permittet, infirmari oportebit.*

Quae vero sicuti necessaria inducentur, ea si forte cet.] Transit a probabili ad necessarium argumentum: quod necessarium argumentum si necessarium rebus ipsis fuerit, nulla ratione poterit reprehendi: sin autem non rem, sed modum ac formam necessariae argumentationis habuerit, reprehendetur. Novimus itaque tribus modis fieri necessariam argumentationem; per complexionem, per enumerationem, per simplicem conclusionem. Complexio est, in qua utrum concesseris, id contra te futurum est. Haec, ita ut diximus, si omnino necessaria est, non poterit reprehendi: sin autem solam formam necessariae argumentationis tenebit, duobus modis reprehendetur; aut per conversionem, aut per alterius partis infirmationem; quos modos facile poterimus agnoscere, si ipsa necessariae argumentationis forma ponatur: *Si veretur, quid eum accuses, qui probus est? Si non veretur, quid accuses, qui id parvi auditu aestimet?* Hoc per conversionem sic reprehendimus, ut cancellato veluti respectu primam propositionem ad secundae propositionis dimittamus eventum; deinde secundam propositionem ad primae propositionis subrigamus eventum: ita tamen ut eventibus negatio adiuncta copuletur hoc modo: *Si veretur, accuses; quia id non parvi auditu aestimat.* Deinde, *Si non veretur, accuses; quia non probus est.* Ita conversione eventuum accusandum esse asserunt, quem adversarius dixerat non accusandum. Accusatio autem hic non publica est, sed privata obiurgatio. Unius vero partis huiusmodi reprehensio est, quum ex propositis duobus unum quodque frangitur. Altero enim infirmato vacillat alterum: *Si veretur, accusa: facile enim verecundus ab errore flectetur.*

Enumeratio vitiosa intelligitur, si aut praeteritum quiddam dicemus quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod cet.] Enumeratio pars necessariae argumentationis est: haec cuiusmodi sit, supra diximus. Verum quum ab adversario proponetur, duobus modis poterit reprehendi; si aut aliquid praetermissum esse in enumeratione doceamus, quod pro nobis sit; aut si omnia quidem enumerata sunt, sed in his aut contrarium ponimus et falsum esse monstremus; aut confitemur aliquid ita esse et ostendamus esse pro nobis. Primus itaque modus est, ubi aliquid praeteritum demonstramus, quod prolatum nostrae causae proficit: ut est illud de equo, quem post adversarii enumerationem ex hostibus captum esse memoravit; id est, ex praeda, quae propria cuique fuerit, non quae confusis omnibus fuerit communiter distributa. Alter est modus reprehensionis in

5. — *permittat* Cod. Bas.
8. — *si re necessarium* Cod. Bas.
20. *cancellato*] Hoc est, inverso, commutato cet. Capp.
34. — *adversariis* Cd. Bas.
42. *confusis*] Sic Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *confuse* Capp. Or.

enumeratione, in quo duo respicimus; utrum aliquid contrarium poni possit; an aliquid confiteamur ex iis, quae adversarius enumeravit, propterea quod honestum est. Contrarium ponimus, si, quum adversarius equum neget hereditate venisse, nos hereditate venisse doceamus. Confitemur autem aliquid, quod honestum sit; ut si adversarius dicat: Aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es; nos dicamus, amico nos morem gessisse: quod utique in confessione turpe non est; maxime si ea, quibuscum hoc positum est, consideremus. Ita in reprehensione enumerationis aut praetermissum aliquid ostendimus, quod tamen illatum pro nobis sit; aut ex omnibus, quae posita sunt, nunc aliquid per contrarium refutamus, nunc, quia pro nobis est, confitemur.

Simplex autem conclusio reprehenditur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere] Haec quoque si ex utroque, quo constat, id est, si ex proposito et adiuncto erit necessaria, reprehendi omnino non poterit. Est autem huiusmodi: *Si dies est, lucet: Si natus est, morietur.* Utique hoc ita necessarium est, ut frangi omnino non possit. Tunc autem simplex conclusio poterit reprehendi, si ostenderis adiunctum non cohaerere proposito: ut puta, *Si mater est, diligit. Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur.* Utique hoc, quum adiunctum consideras, necessario cohaerere non posse, necessarium esse non poterit; eritque potius probabile. Ita necessarium per se constat: probabile multis asseritur argumentis. Hoc autem: *Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur;* multis asserendum est argumentis. Quod vero multis asseritur argumentis, necessarium non est. Recte igitur huiusmodi reprehensa conclusio est, si formam necessariam, rem vero probabilem continere monstretur. Verum haec cuncta praecepta de dialectica traxit, quae magna et difficilis est; de qua, si facultas fuerit, postea tractaturum se esse promittit.

Quum igitur ex iis, quae sumuntur, aliquid non conceditur, sic infirmabitur] Omnem argumentationem quattuor modis dixit posse reprehendi; si aut sumpta reprehendamus; aut conclusionem; aut si genus ipsum argumentationis vitiosum esse monstremus; aut si contra firmum argumentum, aliud nostrum aeque firmum aut firmius opponamus. Itaque iam *sumptorum* dicta reprehensio est. Sin autem, inquit, reprehendi *sumpta* non poterunt, tunc erit reprehendenda conclusio. In conclusione itaque hoc animadvertendum est principaliter, ne quum in propositione aliud sit aut esse possit, aliud concludatur: hoc itaque vitium erit dicentis. Vitium porro aut apertum aut obscurum. Atque apertum in conclusione vitium erit, si, quum res alia in propositione

---

1. ∞ *in qua* Cod. Bas.
7. *amico nos morem*] *nos* inserit Cod. Bas. — om. Edd. Or.
18. *hoc ita necessarium est, ut frangi omnino non possit*] Vide tamen paulo supra, ubi docet hancce conclusionem (*si natus est, morietur*) non esse omnino necessariam; sed Victorinus noster hic loquitur de rerum ordine mere naturali. Capp.
24. *aliquando*] — *semel* Cd. Bas. Asc. Or.

teneatur, alia omnino res in conclusione ponatur; ut puta si agitur: *An nescio qui ad exercitum sit profectus*, et contra eum quis sic velit argumentari: *Si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses: non es autem ab iis visus; non es igitur ad exercitum profectus.* Hic utique apertum vitium est. Nam propositio tenet: *Si venisses ad exercitum;* conclusio: *Non es igitur ad exercitum profectus;* quum iuxta propositionem debuerat concludi: *Non igitur ad exercitum venisti.* Hoc itaque apertum vitium. In obscuro autem duo nobis attendenda sunt: ne aut ambiguitate propositionis aut oblivione fallamur. Ambiguitas in propositione talis est: *Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis.* Nam omnino qui pecuniam non habet, indiget pecuniae: et ille, qui habet, sed habere maiorem desiderat, indiget pecuniae: indigere enim voluntatis est. Haec itaque propositio ambigua est: *Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis.* Huius propositionis quamcunque ab adversario propositam conclusionem alterius rei interpretatione poteris reprehendere: ut si in conclusione mendicos posuerit, tu dicas eos, qui pecuniae indigeant, non te mendicos intellexisse: sed eos, qui quum haberent, maiorem tamen pecuniam vellent. Deinde si ille huiusmodi homines in conclusione posuerit, tu contra in propositione dicas te intellexisse mendicos. Ita adversarii conclusionem, propositionis visa ambiguitate, subvertes. Deinde aliud obscurum vitium est, quum obliviscimur, quid in propositione sit positum, et aliud in conclusione conficitur; ut puta: *Si ad illum hereditas veniebat, veri simile est ab illo necatum.* Hic veri similitudo posita est. Deinde hanc propositionem pluribus verbis approbant: scilicet ut memoria propositionis ex animis auferatur. Post assumunt: *Ad illum autem hereditas veniebat.* Postremo inferunt conclusionem: *Ille igitur occidit.* Utique in hac conclusione oblivio nostra tentatur. Supra enim positum est: *Veri simile est ab illo necatum;* hic post approbationem longissimam propositionis non concludit: *Veri simile est igitur ab illo necatum*, quod probabile est; sed: *Ille igitur occidit;* quod necessarium est quodque a probabili propositione dissentit. Itaque diligenter debemus attendere, ut conclusionem adversarii aut ambiguitate propositionis convertamus: aut quia meminimus, quid in propositione sit positum, eandem conclusionem falsam esse doceamus.

Ipsum autem genus argumentationis vitiosum his de causis ostendetur, si aut cet.] Tertius reprehensionis modus est, quum ipsum genus argumentationis vitiosum esse monstratur. Verum hoc tenere debemus, quod *sumpta* sola nuda et generaliter patentia modis suis reprehenduntur. Genus autem argumentationis in causa et in specie positum considerare debemus: quod quidem *sumptis* suis et forma dictionis, quantum in se est, integrum est: sed quum in causa positum, quid operetur attendimus, tunc in eo vitia possumus invenire.

2. *qui*] Cd. Bas. — *quis* Edd. Or.
4. *ab iis visus*] Cod. Bas. — *visus ab his* Edd. Or.
11. *indigetis pecuniae*] Cod. Bas. Asc. = *pec. ind.* Cett. Or.

Itaque ipsum genus argumentationis duobus modis vitiosum est; quum aut in ipso vitium erit, aut quum ad id, quod instituit, non accommodabitur. In ipso vitium esse quattuordecim modis possumus invenire. Deinde non accommodari ad id, quod instituit, duodecim modis possumus deprehendere: quae omnia Cicero, partim quia aperta sunt, solis propositionibus; partim quia obscuriora sunt, etiam exemplis proposuit et explicavit. Nos eadem persequi, immo repetere longum ac superfluum est.

Quartus modus erat reprehensionis, per quem contra firmam adversarii argumentationem aeque firma aut firmior ponebatur] Quarta reprehensio pertenuis est, et defectis omnibus, extrema necessitate ponenda. Nam et *sumpta* vera esse concedimus et conclusionem recte habitam fatemur et ipsum genus argumentationis vitiosum non esse concedimus: sed contra firmam adversarii argumentationem, nos quoniam nihil possumus reprehendere, aliam argumentationem aeque firmam aut firmiorem proponimus. Verum hoc in *deliberativo* genere causae usu provenit; quum aut utile aliquid adversario concedimus: sed nos aut utilius aut honestius aliquid demonstramus; aut honestum aliquid adversario concedimus, sed nos honestius aliquid aut necessarium esse monstramus. Verum nunc transit ad conclusionem, id est, sextam eandemque extremam partem totius orationis. Quo loco Hermagoras degressionem supponit, id est, orationem, in qua praeter controversiam causae aut laus nostra aut adversarii vituperatio contineatur; aut quae ad aliam rem transitum faciat, non per argumentationem, sed per amplificationem. Hanc Tullius non partem orationis vult esse, sed in omnibus orationis partibus insertari ac subiici posse declarat: ut certis locis post rem aliquam probatam aut amplificationem aliquam subiicias aut laudem aut vituperationem. Itaque non degressionem sexto loco, sed conclusionem Tullius ponit.

Conclusio est exitus et determinatio totius orationis] Conclusio est, inquit, finis ac terminus orationis; sed totius orationis. Nos *epilogos* accipiamus. Huius conclusionis partes sunt tres, enumeratio, indignatio, conquestio. Verum hoc distant, quod indignatio et conquestio tantum animos movent, diverso tamen exitu; nunc vero iracundia contra adversarios commovetur, nunc misericordia circa nos: enumeratio vero et animos movet et fidem facit. Nam quum repetit quae dicta sunt, fidem; quum vero omnia coacervat et colligit, animos movet. Haec enim enumeratio non semper uniformiter ea, quae dicta sunt, colligere debebit: ne quum odiosum, tum etiam (quod maxime contrarium est) fieri ex arte videatur. Itaque supra dictorum repetitio varianda est. Variatur autem modis tribus; si aut eas res, quas ante dixisti, breviter perstringas et colligas, quod quidem factu facile est; aut si in memoriam audientium revoces, quas partes in partitione proposueris et quibus rationibus unam quamque partem confirmaris; aut si interroges iudices, quid amplius velint cognoscere, quum hoc et hoc docuerimus, quum hoc et hoc planum fecerimus. Atque haec nunc

---

32. — *Hoc epilogos* Cod. Bas.

per nostrarum argumentationum repetitionem vel confirmationem, nunc etiam per adversariorum argumentationum reprehensionem. Deinde haec ipsa enumerationum genera non semper a nostra persona facienda sunt: sed nunc a nostra, nunc a supposita, nunc a re. A nostra persona quemadmodum accipiat orationem, in promptu est. Suppositae autem personae accommodatur oratio, si dicas: *Nam quid si legis scriptor assistat et quaerat a vobis, quid dubitetis, quid possitis dicere, quum vobis hoc et hoc sit demonstratum?* Rei etiam sic accommodatur oratio, si aut lex aut locus aut urbs aut monumentum aliquod accipiat orationem per enumerationem hoc modo: *Quid si leges loqui possent, nonne haec apud vos quererentur?* cet. Verum etiam in his enumerationibus, quae aut suppositae personae aut rei dantur, ita ut in nostra persona, illa omnia enumerationum genera varianda sunt; ut nunc singillatim singula nostra argumenta percurrantur; nunc partitionis promissio suis rationibus exaequanda sit; nunc interrogatio ad iudices facienda; nunc et nostrarum et adversariorum argumentationum copulanda collatio. Commune autem hoc erit in enumeratione praeceptum, ut ex una quaque argumentatione, quoniam tota non potest recenseri, unum quodque, quod validum est, deligatur; ut memoria renovetur, non omnis repetatur oratio.

Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium aut in rem gravis offensio concitetur] Indignatio et conquestio tantummodo motus excitant ad iracundiam vel odium; indignatio ad iram, ad misericordiam conquestio: quae utraque iisdem locis sumi poterit, quibus argumentatio cuncta consistit; id est, ex attributis personae et attributis negotio: ex his enim et fides comparatur et cumulus. Verum indignatio propria veluti accusatoris est, ut iram in reum concitet: conquestio autem velut propria defensoris est, ut in reum suscitet miserationem. Sed quum indignatio vel conquestio apud personas agentium proprietate praevaleant, utrumque tamen ab utroque faciendum. Nam et accusator iram in reum, miserationem vero pro se suscitare debet: et rursus defensor miserationem pro se, iram vero in accusatorem suscitare debebit. Hoc ita faciendum, quemadmodum etiam ab utroque et propriae argumentationes confirmantur et adversariorum reprehenduntur. Verum quum indignationi et conquestioni iam dederit generale atque commune praeceptum, quod ex attributis personae vel negotio sumi possunt, dat tamen singulis proprios locos; indignationi quindecim, conquestioni sexdecim. Nec nos locorum ipsorum ordo moveat, quod in quosdam numeros ordinantur. Nulla etenim in ipso ordine rerum *auxesis* est; nullus gradus aut ad maius aut ad minus: sed idcirco locis ipsis numerus datus est, quia melius et tenentur saepe praecepta nullamque recipiunt confusionem, si ad memoriam numeris collocentur. Quamquam indi-

---

10. *accipiat orationem*] Id est, inducatur loquens, idque per eam figuram, cui nomen *prosopopoeia*. Tullius hoc in loco dixit: *si alicui rei attribuetur oratio*. Capp.

Ibid. — *quod si* Cod. Bas.

39. — *quo* Cod. Bas.

gnationis primum locum recte sumpserit, quod ex rebus omnibus a numinibus traxit exordium: sed (ut diximus) in hoc locorum numero rerum ordinem nolo quaeramus, sed ex more manifestioris praecepti factum esse meminerimus. Iam ipsi loci diligenter inspicientibus manifesti sunt; id est, res, quae praecipiuntur, facile perspici possunt. Illud tamen praeceptum tenere debemus; sive in indignatione sive in conquestione nos locis omnibus uti non oportere, sed iis, quos causa suggerat; neque his omnibus, sed quoad iudicantium animi moveantur. Quod si etiam uno aliquo loco factum viderimus, orationem continuo finire debemus. Ira enim vel lacrimae dum incipiunt ac recentes sunt, plurimum valent.

Conquestio est oratio auditorum misericordiam captans] Diximus conquestionis opus hoc esse, ut animos iudicantium ad misericordiam moveat. Huic autem dat proprios locos sexdecim: in quibus (ut diximus) non erit nobis rerum ordo quaerendus, sed quicunque locus ad misericordiam conficiendam pro negotii qualitate sumendus. Hoc autem scire debemus, multos esse communes locos et indignationi et conquestioni; et recte: neque enim iudex potest nobis praebere misericordiam, nisi ira in adversarium consequatur; aut irasci poterit adversario, nisi in hoc ipso nobis animum praebeat misericordem.

---

12. — *auditoris* Cod. Bas. Tum 14.: — *huic quoque.*

C. MARII VICTORINI

EXPOSITIO

IN SECUNDUM RHETORICON CICERONIS LIBRUM.

Crotoniatae quondam quum florerent omnibus copiis et in Italia quum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt] Omnis praefatio quasi similitudo est ante id, quod dicturi sumus. Ita in ea semper similitudo captanda est: quamquam saepe ad hoc deducitur, ut similitudo tollatur. Unde sive similitudo futura est sive non, in eo, ad quod praefatio praeparatur, animadvertendum semper est, utrum in toto similitudo praefationis paretur, an in partibus, an in parte. Frequenter enim cuncta conveniunt: frequenter diversis in praefatione positis, cum ea re, ad quam praefatio ducitur, quaedam in praefatione similitudo confertur. Hic, ad quod ducitur praefatio, illud est, ex multis artium scriptoribus electa multa et ad unam quam scripsit artem, quo pulchrior redderetur, praecepta ex multis multa collecta. Huic igitur rei praefatio illa est; Zeuxim, pictorem nobilem, Helenae simulacrum pinxisse: sed eum conductis et in unum vocatis quinque virginibus, quicquid esset pulcherrimum, delegisse. Hoc, ut perspici licet, in summa convenit: quia hic et ille multa de multis: verum praefert Tullius opus suum, quod magis multa ipse. Si quidem praeteriti temporis scriptores et praesentis in iudicio habuit: et non unius civitatis nec unius linguae; quippe quum et Graecos et Latinos. At vero Zeuxis ex una civitate et ipsius temporis eligendi habuit facultatem.

Crotoniatae quondam quum florerent] Si partibus conductis tota conveniunt, pulchra semper et praecipua dicetur esse praefatio. *Crotoniatae*, Romani sunt: *Quum florerent omnibus copiis*, Romanis convenit. Item convenit: *Et in Italia quum in primis beati numerarentur*. *Iunonis* vero *templum*, *quod locupletare egregiis picturis voluerunt;* sic et eloquentiae vel facundiae templum. Zeuxis est Tullius. Quum multa dicendi genera sint; ut inter picturas multas

---

29. *Zeuxis est Tullius*] Legebatur olim *Zeuxis et Tullius;* (etiam Cod. Bas.) sed qui comparationis huius totam seriem attente consideraverit, is legendum esse quomodo edendum curavimus, facile fatebitur; perpendenda sunt praesertim verba illa: *Crotoniatae Romani sunt.* Capp.

Helena, ita inter ceteras dictiones eminet semper oratoria: et ut Zeuxis in pingendis femineis vultibus summus, ita in orationibus Tullius. Pinxit Zeuxis multa, quae usque ad nostram memoriam manent: secula posteriora tenent, quidquid pinxit oratio Tulliana. Zeuxis Helenae se simulacrum pingere velle dixit: non enim Helenam, sed simulacrum fuerat traditurus: ita Tullius scribendo artes, non orationes, non ipsam eloquentiam, sed simulacrum eloquentiae fuerat traditurus; hoc convenit: et illa sententia: *Quod ex animali exemplo mutum in simulacrum veritas transferebatur.* Mutum enim simulacrum eloquentiae ars eius: ipsa autem eloquentia quasi animal. Ita pro parte poterit ei rei, ad quam confertur praefatio, convenire; relicto eo, quod postea ponitur, quod, quum Tullius ex omnibus multa quaesierit et omni tempore, Zeuxis ex una civitate et uno tempore comparavit.

Ac si par in nobis cet.] Finito praefationis uno genere, similitudinis scilicet; nunc praelationem, quae etiam ipsa in praefatione facienda est, incipit dicere.

Exemplorum eligendi potestas] Ideo hoc opus esse posse melius.

Principe illo atque inventore Tisia] Corax et Tisias artes primi oratorias apud Graecos scripsisse dicuntur.

Sicut et ipse, cuius instituta sequebantur, fecerat] Gloria Xenocratis philosophi motus Aristoteles philosophiam exercuit; gloria Isocratis motus rhetoricae praecepta conscripsit.

Artis sibi curam assumebat] Voluit enim Aristoteles propter Isocratem, quum philosophus esset, etiam praecepta dicendi tradere.

Alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari] Non intelligere, omnium potest esse et est vitium commune: singulare vitium est, ut, quum non intelligat, in eo, quasi intelligat, perseveret.

Haec commode perscripsisse videamur] Id est, ut praecepta commode tradidisse videamur.

Arroganter assenserimus] Hoc enim magnum vitium, temere assensisse.

Igitur primus liber, exposito genere huius artis et officio et fine et materia et partibus, genera controversiarum et inventiones et constitutiones et iudicationes continebat] Propositurus quid dicendum sit in secundo libro, prius enumerat, quid in primo dixerit; de genere artis, de officio, de fine, de materia, de partibus, de inventione et eius constitutionibus ceterisque rebus. Item de partibus orationis, quas quum pleno praeceptorum genere compraebuerit, confirmationem et reprehensionem non ad causarum species, sicut oportuerat, applicavit: dedit enim praeceptum, quomodo in omni causarum genere argumentandum sit. Ergo nunc ad species applicata argumentatione dicturum se pollicetur; ita tamen, ut non de expolitione argumentatio-

12. *ponitur*] Cod. Bas. — *praeponitur* Edd. Or.

39 ∞ *quas cum praeceptorum genere compraebuerit* om. v. *pleno* Cod. Bas. Hinc recipiendum videbatur *compraebuerit* verbum vix a librariis confictum, neque ab hac Latinitate alienum etsi nondum in Lexicum Forcellini receptum. ∞ *pleno* eiicere ausus non sum. — *compleverit* Edd. Or.

nis, quae in primo plenissime tractata est, sed de argumentis loquatur in uno quoque genere causarum; id est, in *coniectura*, *fine*, *qualitate*, *translatione*, et ceteris his incidentibus. Et potuit quidem hoc esse contentus, ut specialiter de constitutionibus diceret in quocunque genere causarum; quae essent confirmandi praecepta, quae reprehendendi. Verum quoniam ipsa quoque genera causarum propter suos fines diversos diversa praecepta desiderant, quum *iudicialis* habeat aequitatem, *demonstratio* honestatem, *deliberatio* honestatem et utilitatem; confirmandi et reprehendendi praecepta, quae sint in constitutiones singulas, divisit in *iudiciali* genere causarum: in postrema libri parte de *deliberatione*' et *demonstratione* propter fines proprios aliqua tractaturus. Exposito genere; (quod eloquentia magna et ampla pars est civilis cuiusdam rationis): [officio]; (officium eius artis est dicere apposite ad persuadendum); [fine]: (finis, persuadere dictione:) materia, (quod ὑπόθεσις sit: non autem omnia, ut voluit Gorgias Leontinus: aut etiam θέσις, ut voluit Hermagoras): partibus, (inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio: genera controversiarum, id est, genera causarum; *iudiciale*, *deliberativum*, *demonstrativum*): inventione: (nam de quinque partibus solam inventionem tra-

---

2. *in coniectura*] Sive *statu coniecturali;* vulgo vocant quaestionem de facto. Capp.

Ibid. *fine*] Sive *statu definitivo*, ubi quaeritur quo nomine res, quae in confesso est, appellanda sit. Capp.

3. *translatione*] Sive *statu translativo;* vulgo dicunt praescriptionem et exceptionem iudicii declinatoriam. Capp.

10. *in constitutiones*] Alias dicuntur status quaestionum oratoriarum, Graece στάσεις. Capp.

13. *pars est civilis cuiusdam rationis*] Perperam legebatur antea, *civilis cuiusdam orationis;* sed legendum esse *rationis*, liquet ex hisce supra relatis Tullii verbis: *civilis quaedam ratio est*, *quae multis et magnis ex rebus constat. Eius quaedam magna et ampla pars est artificiosa eloquentia.* Capp. (Pro *rationis* Cd. Bas. Asc. St. Ald.: — *quaestionis.* Or.)

Ib. *et officio*] Haec verba, quae in praecedenti editione desiderabantur, ex edit. Basileensi restituimus. Capp. Sufficiebat *officio*. Similiter mox inserui [*fine*]. Or.

15. *materia*, *quod ὑπόθεσις sit*] In edit. Basil. *quodcunque in civilibus negotiis reperitur.* Capp.

16. *aut etiam θέσις*] In edit. Basil. *Nec etiam causas et quaestiones omnes;* ubi pro τῷ *causas* legendum videtur *causae*. Capp.

Ib. *Partibus* (*inventio*, *dispositio* cet.)] Vel deest τὸ *quae sunt*, vel verba haec *inventio*, *dispositio* cet. e margine in contextum irrepserunt. Ceterum in edit. Basil. legitur: *partes autem eius sunt; inventio*, *dispositio* cet. quae lectio spernenda non est; eam tamen in contextum non recepimus, eo quod perturbaret hanc orationis Victorinianae seriem: *exposito genere . . . materia . . . partibus . . . . . inventione.* Capp.

19. *Inventione*] Perperam legebatur (etiam in Cd. Bas.) *inventiones*. Nam hoc nomen refertur ad antecedentem illam locutionem: *Exposito genere;* adeo ut sensus sit: *exposita etiam inventione.* Capp.

Ib. *de quinque partibus*] Antea legebatur: (etiam in Cod. Bas.) *de quinque partibus orationis;* sed genitivus ille *orationis* perperam huc intrusus erat ex versu consequenti. Nam inventio, dispositio, elocutio cet. sunt quidem partes τῆς ῥητορικῆς, non autem orationis. Capp.

ctat:) deinde partes orationis; exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, conclusionem; quo pacto tractari conveniret argumentationes, syllogismum et inductionem: hic tantum ipsa inventa, id est, argumenta ipsa, non expolitionem aut sententiae dictionem. Constitutiones omnes *iudiciali* in genere causarum tractabuntur.

Nunc a coniecturali *constitutione proficiscemur*, *cuius exemplum sit hoc expositum*] Secundus liber confirmationem et reprehensionem ipsis constitutionibus applicavit, quum primus liber generaliter omnem materiam omnibus dederit. Ac primo de *coniectura* proponit exemplum, non ipsum exemplum tractaturus: quoniam in exemplo non omnia inesse possunt, quae cadunt in *coniecturam*. Omnia enim exempla, quae in *coniecturam* veniunt vel venire possunt, praecipienda fuerant. In argumentis ergo de *coniectura* erit praeceptio; quia exemplum in thema quodlibet *coniecturale*, quod necessarium fuerit, facile poterit devocari. Hoc autem fieri a Tullio intelligamus etiam in omnibus constitutionibus, ut exemplum cuiuslibet constitutionis det, non tamen ipsum tractet exemplum. Proposito itaque exemplo *coniecturali* secundum praecepta primi libri, docet quae sit *intentio*, quae *depulsio*: ex quibus duobus quae sit constitutio: deinde admonet, quod in *coniectura* non concedetur: eademque, quae quaestio est, ipsa est iudicatio, *Occideritne*. In *coniectura* enim factum non conceditur; unde non potest ex deductione rationis et refutatione nasci post quaestionem primam alia quaestio, quae dicitur iudicatio. Subiungit post admonitionem dare se praecepta huic constitutioni et argumentorum locos omnes *coniecturae* convenientes: ex quibus in quamlibet *coniecturam*, qui necessarii fuerint, devocabuntur. Sunt igitur *coniecturae* loci hi principales: a causa, a persona, a facto. A causa est, quamobrem fiat aliquid, et quae parit voluntatem. De causa enim loquitur hominis, non rei: qua causa volumus probare, quo voluit facere is, cui *intenditur* factum. Persona autem omnis illa est, quae fecisse dicitur: hoc est, sola ex omni vita per attributa personis sumpta approbatio ad id, quod intenditur, factum. At vero a facto probationes habebunt facta illa omnia, quae probant factum illud, unde iudicium est. Nam factum

---

1. *deinde partes orationis*] Perperam fuerat: *deinde pars orationis*. Capp. (Rectam lect. habet Cod. Bas. Or.)

4. *quo pacto tractari conveniret argumentationes . . . hic tantum ipsa inventa . . . non expolitionem*] Subintelligitur verbum *tractat*, idque ex praecedentibus. Capp.

12. *a coniecturali constitutione . . . . de coniectura . . . . . in coniecturam*] *Statum* quaestionis intelligit *coniecturalem*, ubi de quopiam facto quaestio instituitur. Capp.

14. *exemplum*] Cod. Bas. — *exinde* Edd. (scil. scribebant *exm.* cum lin. ut est in Cod. Bas. Or.

19. *quae sit intentio*] Id est, accusatio. Capp.

Ib. *quae depulsio*] Id est τοῦ rei defensio, criminis infitiatio cet. Capp.

21. *concedetur*] Cod. Bas. — *conceditur* Edd. Or.

30. *intenditur*] Id est, adscribitur, attribuitur perscripto accusationis libello. Capp.

31. *hoc est*] Legere malim *haec est*, ut referatur ad τὸ *approbatio*. Capp.

tria significat: est factum vitae praeteritae, quod personam probat: est factum et illud, quod intenditur, ipsum illud, quod dicitur: *igitur occidisti:* est factum tertium, hoc, quod tribuit argumentum ad factum illud, unde iudicium est; ut *transisti*, *clamasti:* quibus probatur *occidisti.* Hoc ergo ultimum est, quod dixit *a facto:* quod ipsum perspicietur in tribus illis, *ante negotium*, *in negotio*, *post negotium:* simul cum suis, per quae se explicant facta, loco, tempore, modo, occasione, facultate. Ergo haec tria sunt, quae *coniecturae* suggerunt argumenta, causa, persona, factum.

Causa distribuitur in impulsionem et ratiocinationem] Impulsio motum habet repentinum, non voluntarium; ut amor, vinolentia: et omnino omnia huiusmodi, quae veniam merentur, si confiteatur id ipsum, quod fecisse arguitur. Nam si negat, argumenta sunt a causa; ut sit: *Fecisti*, *quia vinolentus fuisti. Fecisti*, *quia amore fecisti. Fecisti*, *quia iracundus es:* quibus causis probatur facere potuisse, quod negat. Ratiocinatio autem causa est etiam ipsa voluntatis; haec ratione faciendi fuisse ostendit voluntatem aut non faciendi; quae sumitur ex ratiocinatione vel boni vel mali; sive iam praeteriti boni sive futuri; pariter mali vel praeteriti vel futuri. Quod nos diximus bonum vel malum; id est, ut gloriae causa, ut amicitiarum, ut inimicitiarum ulciscendarum, ut metus, ut pecuniae. His igitur commodis vel incommodis hos gradus dat primos. Commodi retinendi, utique quod habet, et augendi; deinde, adipiscendi, id utique est, quod non habebat. Contra incommodi reiiciendi pariter et id, quod habebat, imminuendi; devitandi, utique quod futurum erat. Ita tria haec tribus superioribus respondent; commodis incommoda; illic retinendi, hic reiiciendi; illic augendi, hic minuendi; illic adipiscendi, hic devitandi: quibus etiam illa accident, ut aliquid incommodi sumamus, vel ut maius commodum consequamur, vel ut maius incommodum vitemus: aut rursum, ut commodum aliquod praetereamus; vel ut maius commodum adipiscamur, vel ut maius incommodum devitemus. Nam et suscipi incommodum parvum potest, ut maius aliquod commodum consequamur, vel ut incommodum maius vitetur: et rursus parvum commodum contemni potest, vel ut maius aliquod commodum consequamur, vel ut maius incommodum vitetur: ut leno contentus fuit sine lucro meretricem dare, ne ab

5. *probatur occidisti*] Id est, haec accusatoris propositio *occidisti.* Graeci dicerent *κατασκευάζεται τὸ ἔκτανες.* Capp.

7. *cum suis*] Mirum hoc. Fuitne *cum V. his*, *quinque his* vel *iis?* Or.

10. ∞ *Causa ipsa dividitur in duo*, *impulsionem et rat.* Cod. Bas. Asc., ut sint Victorini, non Ciceronis verba. Or.

12. *si confiteatur*] Supple *reus.* Capp.

17. *haec ratio*] Antea legebatur *haec ratione;* quod emendavimus ex edit. Basileensi. Capp. Restituendum erat *ratione*, *τοῦ δρᾶν μετὰ λόγου.* Or.

20. *bonum vel malum*] Cod. Bas. = *malum vel bonum* Edd. Tum *ut* Cod. Bas. pro *et metus* Edd. Or.

28. *aliquid incommodi*] Perperam editum erat *commodi.* Capp. (*Commodi* etiam Cd. Bas.)

31. *incommodum*] Sic scripsi cum Asc. pro: *commodum* Cod. Bas. et Edd. cett. Or.

35. Totum locum sic constitui. Scil. Edd. sic: *et rursum commodum – – incommodum vitetur: et rursus rerum* (sic) *commodum contemni potest*, *ut leno.* Cd. Bas. mance: *et rursus rerum* (sic) *commodum contemni potest*, *ut leno.* Or.

Aeschine verberaretur: et velut in Verrinis accipi potest: *Malo non habere quam rogare.* Rursus contempto commodo, suscipi maius commodum potest; ut Terentianum illud est in suasione: *Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.* Quaestio vero eadem *coniecturalis est*, quae et *iudicatio:* quia ratio deest: non enim factum in confessione est. Ideo eadem erit *iudicatio*, quae quaestio.

Et in horum locorum] Quae conieoturalia sunt.

Et in ceterorum] Id est, ceterarum constitutionum [*Convenire*] scilicet locos.

Omnis igitur ex causa, ex persona, ex facto ipso coniectura capienda est] Omnis hic locus a causa sive impulsionis sive ratiocinationis coniecturae maximum est fundamentum: non quod, quum causa sit, continuo et facinus comprobetur: sed quoniam facinus nullum est, quod non ante causa praecesserit. Supponit deinde locos, quibus accusator utitur, quum asserit impulsione aliquid esse factum. Ex quibus primus est amplificatio eius rei, quae impulsionem pariat. Deinde approbatio, quid ex ea fiat, per exempla: ut, *Amore se interfecit.* Tertio loco comparationem facimus; et declarata impulsione, eventum eius causae fuisse concludimus. His tribus locis accusator utitur in impulsione. In ratiocinatione vero iis, quos nunc dicam; demonstratione, quid petierit, quid fugerit; augmento, quanta res sit, quam appetierit aut fugerit. Praeter haec duo, immo in his duobus etiam illud accusator considerare debebit, ne forte ista, quae secutus fuerit aut fugerit, in opinione tantum habuerit reus: neque consecutus sit commoditatem neque ullum malum fugerit: sed dicendum est ei ita fuisse visum, qui arguitur, et sit sua opinione deceptus.[1] Opinio autem dupliciter decipit; modo dum rem aliter putat, atque est eadem res; modo dum aliter evenit, quam putavit. Res fallit, si mala creditur, quum bona sit: vel contra, vel neutrum, vel utrumque. Ergo quum hoc intelligi possit, quod opinio fallit homines, tum in re, tum in eventu; quum in re reus uti hac coeperit forte defensione: *Non sibi antiquiorem fuisse pecuniam vita aut fratris aut amici;* accusator debet verum argumentum concedere; est enim credibile: sed confirmare debebit, hoc ei, qui arguitur, non ita visum fuisse; et hoc approbare ex attributis personae, non hanc illum habuisse opinionem, sed illam potius habuisse, quod talis est; quod scilicet personae est. Sic argumentabitur accusator de eo, cuius opinio falsa est in re. Quum autem eventus fallit, quod accidit, exempli modo, quum aliquis

---

3. *in suasione*] Fort. *in Sannione.* Adelph. 2, 2, 8. Or.

8. *non omnes in omnem causam*] Locum hunc antea male affectum restituimus ex ipso Ciceronis contextu. Nam antea quidem legebatur: *ceterarum constitutionum. Convenire scilicet locos.* Nec multo commodiorem sensum exhibebat editio Basileensis, quae sic habet: *ceterarum constitutionum conveniunt in locos.* Capp. (Necessarium non erat Capp. supplementum: *i. e. ceterarum constitutionum non omnes in omnem causam convenire*, *scilicet locos.* Videlicet duae sunt glossae breviores sicque Cod. Bas. Or.)

20. *vero iis*] Cod. Bas. — *vero hi sunt* Edd. Or.

26. *et sit*] Fort. *etsi sit.* Or.

29. — *utraque* Cod. Bas.

misso telo alterum interfecit, ut in scholae controversiis: ut vero in causis forensibus, quum quis eum dicatur necasse, cuius heres non sit, sed tamen sperarit heredem: accusatoris locus est, cogitationem spectari debere, non eventum. Et haec de ratiocinatione. In causa autem omni sive in impulsione sive in ratiocinatione laborandum est, fuisse illis potestatem aut facultatem aut voluntatem. Potestas est, qua posse ostenditur. Facultas est, qua adiutores et cetera demonstrantur. Voluntas est, qua velle vel voluisse aliquid declaratur. Ita aliud erit voluntas, aliud causa, sive impulsione sive ratiocinatione: illae enim efficiunt voluntatem; non autem quod efficitur, hoc esse debet, quod est illud, quod efficit. Nam saepe et causae sunt, et deest voluntas, quae probari potest vel fuisse vel non fuisse; tametsi causa praecesserit. Hoc ex personae potius attributis confirmabitur: quibus talis doceatur, ut potuerit causis commoveri. Haec igitur accusator dicet et quum volet alios defendere, quibus fuisse causa faciendi declarabitur. Deinde adiunget etiam alios locos, quos defensori Tullius dabit ad se purgandum; quibus locis utetur (sicuti diximus) accusator, quum defendet alios: sed hoc brevi faciet: illorum enim defensione alterum alius vult accusare, non ipsos ostendere innocentes. Ita in maiore esse actu non potest, quod alteri proficit. *Omnis igitur ex causa, ex persona, ex facto ipso coniectura capienda est;* quae parit voluntatem, velle vel voluisse; id est, causa, qua, quid ortum sit, ostendimus. Attributum personae, id est, persona: attributa autem negotio, id est, quod ait, *facto.*

Causa tribuitur in impulsionem et in ratiocinationem] Rationem scilicet, non ratiocinationem illam (ut supra legimus) syllogismi.

---

1. *interfecit*] Cod. Bas. ∞ *interfecerit* Asc. — *interficit* Cett Or.

3. *sed tamen sperarit heredem*] Hoc est, opinatus fuerit se esse vel fore heredem. Nam idem Victorinus haec Ciceronis verba: *quid in opinione eius, quem arguit, fuerit;* paullo post sic exponit: *ut non solum quid consecutus fuerit, verum etiam quid speraverit*, et infra: *ideo occidisti; quia te heredem fore sperasti.* Capp. (Leg. videtur: *sed tamen se sperarit* cet. vel cum Asc.: ∞ *sp. se h. fore.* Or.)

9. *causa sive impulsione sive ratiocinatione*] Dixit enim paullo supra duplicem esse causam; unam impulsionis, alteram ratiocinationis: sed paullo post clarius ita loquitur: *Causa, quae parit voluntatem, sive per impulsionem sive per ratiocinationem.* Capp.

10. *illae enim efficiunt voluntatem*] Editio Basileensis habet *illa.* Capp.

11. *hoc esse debet, quod*] — *hoc etiam, quod* Cod. Bas.

13. *praecesserit*] Cod. Bas. — *praecessit* Edd. Or.

20. *in maiore esse actu non potest*] Id est in prolixiori oratione seu orationis parte. Hoc enim refertur ad superiora illa verba: *sed hoc brevi faciet.* Capp.

22. *quae parit voluntatem*] Quum τὸ *quae* referatur ad superius illud, *ex causa*, non immerito coniiceret quis legendum hic esse: *ex causa, quae parit voluntatem.* Capp.

Ibid. *velle vel voluisse*] Haec verba sunt ἐξηγητικά seu explicativa τοῦ *voluntatem.* Nam mox dicebat Victorinus: *voluntas est qua velle vel voluisse aliquid declaratur.* Capp.

25. *causa distribuitur*] Perperam editum erat *tribuitur.* Capp. (Restitui *tribuitur* etiam cum Cod. Bas. Or.)

26. *Rationem scilicet*] Legebatur antea *Ratio;* emendavimus ex editione Basileensi et ex ipsa serie totius orationis. Capp. Quae ego [ ] inclusi, absunt a Cod. Bas. Idem *sillm.* cum lin. i. e. — *syllogismum.*

Ut amor, iracundia, aegritudo] Inter iracundiam et iram hoc interest, quod iracundia perpetua est, ira ad tempus suscipitur. Atque hoc fit, ut iracundia sit impulsio: ira, ratiocinatio; ut *Odio quis iratus vel metu occidisse dicatur;* quod est ratiocinationis. Ceterum iracundum esse quia semper ad impulsionem est, dicimus, quae propter talem naturam admissum facinus possit ostendere. Aegritudinem vero morbum animi posuit, non corporalem.

In quibus aut incommodi aliquid maioris adipiscendi commodi causa, aut maioris vitandi incommodi suscipitur] Ut aliquid incommodi suscipiatur propter duas res; vel ut maius aliquod commodum consequamur, vel ut maius incommodum devitemus.

Hic locus sicut aliquod [*fundamentum est*] Id est, causa.

Nisi aliquid quare factum sit, ostenditur] Quid sit causa, quae parit voluntatem sive per impulsionem sive per ratiocinationem.

Ergo accusator, quum impulsione aliquid factum esse dicet] Locis confirmationis a causa per impulsionem primo datis, redit ad reprehensionis modos.

Qui simili impulsu aliquid commiserint, et similitudinum collatione] Ut applices exemplum et doceas simile comparando.

Et ipsius animi affectionis explicatione curandum est] Ut ipsius affectionis, hoc est, rei, sit explicatio.

Ut non mirum videatur, si quod ad facinus tali perturbatione commotus animus accesserit] Id est, ut veri simile probet et per exemplum et per explicationem animi affectionis.

Ut quoad eius fieri possit] Quantum in hac re fieri possit.

Quid in opinione eius, quem arguet, fuerit] Ut non solum quid consecutus sit, verum etiam quid speraverit.

Si ostendi potest ei visum esse, qui arguatur] Ut voluntatem criminetur, etiam si effectus defuit: ut ex eo causam habuerit, quia timuit, quia speravit; etiam si nihil aut commodi aut incommodi acceperit.

Nam opinio dupliciter fallit homines] Opinio fallit in re, quum opinio vera non est, et errat ab eo, quod in vero est: ut quum res

---

5. *dicimus quae* cet.] Id est: dicimus talem hoc in loco impulsionem intelligi, quae cet. Capp.

8. *aut incommodi aliquid*] Olim legebatur *commodi*; quod emendandum curavimus ex ipso Ciceronis contextu, ad quem respicit Victorinus. Capp. Cod. Bas. St. Ald. sic: *aut commodi aliquid maioris adipiscendi causa* cet. Tum e Cod. Bas. St. dedi *devitemus* pro Capp. *vitemus*. Or.

9. *adipiscendi commodi causa*] *Tò commodi*, quod hic deerat, supplevimus ex ipsius Tullii verbis. Capp.

10. *ut aliquid incommodi suscipiatur*] Antea legebatur *commodi;* sed errore manifesto. Capp. Habet Cod. Bas. *incommodi.*

12. *hic locus sicut aliquod fundamentum est*] τὸ *fundamentum* quod deerat, ex ipso Ciceronis loco restituimus; idque eo lubentius, quod ad τὸ *fundamentum* referrentur haec Victorini verba: *id est causa.* Capp.

15. *impulsione aliquid*] Cod. Bas. — *aliquid imp.* Edd. Cod. Bas. item: = *Accusator ergo.* Tum: *Locis affirmationis* (sic) *a causa per impulsionem primo datis. Namque confirmationis praeceptis datis redit* cet. Or.

33. *errat*] An *aberrat?* Or.

mala sit, bona credatur vel contra. Eventus fallit opinionem, quum opinio quidem vera est, sed eam interveniens casus decipit: ut quum res bona est et bona creditur, sed aliquo casu in malum vertitur. Iam in causa ipsa hoc modo possumus dicere, id est, ut dicamus: *Ideo occidisti, quia te heredem fore putasti; licet ille alium heredem fecerit.* Ita semper in opinione †est. Et eventus fallit et res; quum aut aliusmodi est, quam creditur; aut aliter creditur, quam putatur provenire habuisse.

Aut non is eventus est, quem arbitrati sunt] Quum aut ipsa res qualis sit, ignoratur: aut quum res certa fuerit, aliter eveniat, quam putatum est: aut id, quod bonum est, malum putant et reliqua.

Hoc intellecto]. Quod homines impellantur non solum ratiocinatione vera rerum; verum etiam falsa; *hoc intellecto*, quod fefellit illum res.

Illi non esse ita visum] Ut quamvis verum sit quod dicatur, ipsi tamen non fuerit ista sententia.

Ex iis, quae ad personam pertinent] Attributa personae, quae probant personam.

Ut si quis dicatur alium occidisse, ac voluerit] Exemplum ad eventum falsum probandum posuit, non ad probationem causae per coniecturam.

Aut eum necasse, cuius testamento non sit heres] Exemplum in causa.

Non quo casu utatur, ad rem pertinere] [τὰ κεφάλαια coniecturae sunt ἡ] ἔκβασις, id est, eventus, accidentia, effectus, casus.

Potestas, si aut nescisse aut non adfuisse, et reliqua] Non fuit necesse facere, etiam si causa fuisset: etsi fuisset causa vendendi propter aes alienum, non tamen necessitas, ut deos patrios venderet.

Defensor autem ex contrario primum impulsionem aut nullam fuisse dicet, aut si fuisse concedet, extenuabit] Dati sunt loci accusatori, quibus uti debeat ad probationem causae per impulsionem. Item alii dati sunt, quibus uti debeat ad probationem causae per ratiocinationem. Nunc supponit defensoris locos in infirmanda impulsione, et infirmanda ratiocinatione. Infirmandae impulsionis loci sunt quattuor; negare, minuere eius effectum, qui intenditur, impulsionis ipsius naturam docere, confirmare exemplis et similitudinum propositione. Ratiocinationis loci sunt quattuor: quoniam ratiocinatio aut in re est aut in opinione; in re commodi vel incommodi; loci eius erunt, negare, commodum minuere, dicere aliis magis fuisse, aut tantum et

---

8. *habuisse*] Hoc est *potuisse*, idque Graecorum more, apud quos τὸ ἔχειν *habere*, saepe sumitur pro τῷ δύνασθαι *posse*. Capp. Nisi tamen corruptum est e v. *debuisse*. Sed praecedentia quoque corrupta: quid enim, quaeso, est: *aliter creditur, quam putatur?* Ceterum Asc. sic: *in opinione est eventus. Fallit et res - - aut aliter evenit quam putatur potuisse evenire.* Hinc non male facias: *in opinione est eventus. Et eventus fallit et res*, cetera ut Asc. Or.

12. *non solum*] Cod. Bas. — *non sola* Edd. Or.

24. *τὰ κεφάλαια coniecturae sunt ἡ ἔκβασις*] Quinque priora vocabula, quae in praecedenti editione deerant, restituimus ex edit. Basileensi. Capp. (Non sunt in Cod. Bas. Or.)

26. — om. v. *etsi fuisset* Cod. Bas.

sibi, quantum et aliis, aut incommodum maius quam commodum. Pariter et de incommodis ista dicentur; quod dicitur evitatum, nullum fuisse incommodum, non tantum fuisse commodum quam incommodum, aliis magis fuisse incommodum, aut et aliis tantum quantum sibi, aut maius commodum quam incommodum.

Sin accusator dixerit cet.] Si in ratiocinatione opinio ponetur, infirmantis loci sunt quattuor; non tale esse vel commodum vel incommodum, ut possit aliquem fallere, maxime se non potuisse: quod firmabitur persona. Post haec omnia defensor uti poterit omnibus locis accusatoris, si in alios crimen transferre voluerit. Quemadmodum enim accusator quum convincat, defendit alios, et utitur partibus ac locis defensoris; ita et defensor, ut se purget, accusabit alios et in hoc utetur partibus ac locis accusatoris: aut si fuisse concedet, extenuabit, quia auget accusator.

Ex persona autem coniectura capietur, si eae res, quae personis attributae sunt, diligenter considerabuntur] Explicitis praeceptis omnibus ad causam pertinentibus, subiunguntur praecepta personae attributa: et quemadmodum iis uti possit accusator, quemadmodum etiam defensor in coniecturali constitutione. Et haec quidem personae attributa, in primo libro quamquam singula exposuerit et explicarit, hic tamen nunc breviter repetit, quae ipsa sint et quid sint: post praecepturus, quemadmodum iis uti possit accusator, quemadmodum defensor.

Quo in genere est virtus, scientia] Id est, stultitiae contraria.

Amor, iracundia] Affectio enim facile eventum suum declarat: signoque ipsa est eius rei, quam ex se parit.

Et ipsorum vis] Quid ipsa possint, non quid ex se gignant.

Et quae res harum aliquam rem consequantur] Quid ex se gignant, non quid ex se ipsae possint.

Ac personis quidem res eae sunt attributae, ex quibus omnibus unum in locum coactis accusatoris erit improbatione hominis uti] Expositis breviter attributis personae, quia ita res repetita poscebat, dat accusatori ex his praeceptum, ut excutiat vitam praeteritam. Parum est enim causam commendasse solam, si non, quae ab hac impelli posset, persona consentiet. Ergo accusator ex vita praeterita proferre debet similia peccata, similes causas, in rebus vel paribus vel minoribus vel maioribus: vel, si similes proferre non poterit, dispares proferat. Atque haec nocentis vitae sunt. Si innocens vita praeterita est illius, qui reus est, locus communis inducitur: vitam praeteritam spectari non oportere; quod ea poterit esse occulta aut fortasse ad peccandum quum animus fuerit, defuerit causa vel potestas vel occasio. Deinde alius locus communis: non ex vita praeterita praesens iudicium, sed ex praesenti iudicio vitam spectari oportere. Sin autem vita alicuius

7. *infirmantis*] Cod. Bas. — *infirmitatis* Edd. Or.
19. *in coniecturali constitutione*] Locutionis huiusce sensum in praecedentibus notis exposui. Capp.
35. *consentiet*] Cod. Bas. — *consentiat* Edd. Or.

ignorabitur, praetereundus ab accusatore hic locus est dicendumque, cur praetereatur; quod ignoretur vita: statimque ad alia argumenta properandum, quae sunt ex ipso negotio in factis dictisque eius, qui reus est, collocata.

Defensor autem primum, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare] Qui defensori a persona contrarii loci sunt. Nam primum laborare debet, ut honestam rei vitam demonstret: quae declarabitur officiis vel communibus et notis vel maximis et raris aut cum periculo aut cum labore praestitis, officii causa, non necessitatis: et praestitis in parentes, cognatos, amicos, rem publicam. Sed ista beneficiorum commemoratio parva est: quia multorum vita exemplo est naturam posse mutari; ut morum instituta perseverarint, declarandum est: nihil aliquando deliquisse, nunquam ab officio recessisse: fuisse et causas et facultatem: nunquam tamen voluisse peccare. Atque in his ostendendis occasionibus laborandum est: earum rerum namque copiam fuisse in faciendo et facere noluisse, quarum rerum nunc crimen in iudicio est: ut si avaritiae, cupiditatis. Deinde locus communis inducendus est, quo indignum esse cum conquestione declarandum est; ut qua causa impelluntur ad peccandum vitiis omnibus pleni, hac, cuius vita praeterita purgata sit, impulsus esse dicatur. Deinde alius locus communis; vitam honeste actam reo debere prodesse: ipsam esse certissimam testem morum et voluntatum: criminationem inimicorum invidia facile posse componi. Haec, si honesta vita est. At si inerunt aliquae turpitudines, laborandum est, ut falsâ esse dicamus inimicorum criminatione collectas: vel eo vitio mentis admissas, quo facilius veniam promeremur; negligentia, necessitate, adolescentia: vel quolibet alio affectu animi non pernicioso; amore vel aliquo huius generis. Postremo laborandum est, ut turpitudines vitae praeteritae vel in dissimili genere vitiorum esse doceantur; ut quoniam innocentem probare non possumus, ab hoc tantum facinore, quod in iudicio est, remotum esse doceamus. Sin vero est vita turpissima, nullo genere defensionis supra posito purganda: locus communis induci debet: vitam praeteritam spectari non debere; neque de moribus hoc crimen, quod intenditur, comprobari.

Ex facto autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur] Restat tertia pars probationis in *coniectura*, ex negotio: huius partes quattuor sunt, ut in libro primo expositum est. Etenim attributa negotio quattuor sunt; continentia cum negotio, in gestione negotii, adiuncta negotio, quae gestum negotium consequuntur. Haec breviter hic repetit, quo-

5. = *vitam debebit eius* Cod. Bas.
12. — *moris* Cod. Bas.
17. *ut si avaritiae* cet.] Supple, *crimen in iudicio sit.* Capp.
19. *cum conquestione*] Cod. Bas. — om. *cum* Edd. Or.
24. *Haec*] Supple, *dicentur a defensore.* Capp.
25. *collectas*] In praecedenti editione perperam legebatur *collecta.* Capp.
26. *admissas*] Male editum fuerat *admissae.* Capp. (Etiam Cod. Bas. *admissae.* Asc.: — *admissa.* Or.)
30. *tantum*] Malim *tamen.* Bait.

niam iam in libro primo tractata sunt: ac dicit in *coniecturam* omnia genera incidere, non omnes partes, ut in continentia negotii, ante negotium, in negotio, post negotium, facta omnia in suspicionem vocemus: item in gestione negotii, locum, tempus, occasionem, facultates: de modo conticescens, quod rei manifestae et in confessione habitae modus semper est. Item adiuncta negotio vel maiora vel minora vel paria vel similia maximeque eventus *coniecturae* prodest. Quarta etiam pars, quae gestum negotium consequitur, ad *coniecturam* tribuet argumenta; ubi quaeritur lex, consuetudo, pactio, usus, exercitatio. Atque haec sunt attributa negotio: ex quibus quum ducitur argumentum, impletur argumentatio ex negotio. Invenitur autem argumentatio praeterea, quae communiter sumatur ex attributis negotio et attributis personae: ut attributa personae non mihi personam, hoc est, vitam praeteritam hominis declarent, sed hoc facinus approbent, quod intenditur: sicut declarabunt, quae supponuntur, exempla.

Suspiciones ducentur] Id est, coniectura capietur ex ipsius omnibus partibus.

Ex omnibus partibus pertentabitur] Ut non mixta sint attributa personae, sed tantum sola sint facta in ipso negotio vel actione totius negotii impleta.

Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas] Modum in *coniectura* non posuit, quia in facinore confessio semper inspicitur.

Sunt autem aliquae suspiciones, quae communiter et ex negotiorum et ex personarum attributionibus sumuntur] *Coniecturae* argumenta suggerunt causa, persona, factum: utique ideo tria, quia singula. Suis igitur rationibus causa, suis persona etiam approbatur. Eodem modo factum: quod quum singula suis rationibus per se in *coniectura* fidem praestent, merito ad probationem coniecturae triplex materia collocatur. Monet tamen ratio, duo (personam scilicet atque factum) ad unam fidem posse consociari: ut ex utroque materiae genere, negotiorum, id est, factorum, et personarum fides *coniecturae* quaestionibus afferatur. Hoc ut facilius fiat intellectuque capiatur, meminisse debemus attributa personis, quae utique quum sunt, ipsam videntur approbare personam: quam quum probaverint, iam coniecturae locus est; a tali viro id, quod intenditur, facinus non potuisse com-

---

2. *in continentia negotii*] Id est, in iis, quae sunt cum ipso negotio individue et immediate, ut ita loquar, coniuncta: sic dixit supra, *continentia* (τὰ συνεχῆ) *cum negotio*. Capp.

9. — *consuetudo vel actio* Cod. Bas.

12. *et attributis*] Cod. Bas. Asc. — *ex attr.* Cett. Or.

15. *quae supponuntur, exempla*] Editum erat *exemplo:* sed facile mihi persuadeo legendum esse *exempla*. Nam et paullo infra dicit Victorinus: *praeceptis exempla supponere*. Capp. (*exempla* habet Cod. Bas. Or.)

16. *ipsius*] Cd. Bas. — *ipsis* Edd. Or.)

21. *hoc ergo*] In editione Basileensi legitur: *hoc enim;* sed male, ut ex ipso Cicerone patet. Capp. (Etiam Cod. Bas. *enim*. Or.)

24. ∞ *aliquae aliae susp.* Cod. Bas.

35. — *quum iam prob.* Cod. Bas.

36. — *vero* Cod. Bas.

mitti. Ergo attributum personae facit personae fidem: facto autem prodest approbata persona. Quod quum ita sit, novum praeceptum dedit; posse quoque ex personae attributis et negotiorum probari factum, hoc est, negotium. Idcirco Tullius praeceptum dedit, posse quoque ex attributis personae et negotiorum approbationes nasci ex utraque suspicione communes. Inter attributa personae accipimus fortunam, naturam, victum, studia, facta, casus, orationes, consilia, habitum. Haec utique si attributa personae accipimus, sicut supra diximus, personam probabunt: verum perspiciente ratione et negotium probare poterunt. In fortuna, inquit, spectatur dignitas, divitiae, conditio: haec licet personae attributa sint, tamen quum dico: *Dives est, affectat tyrannidem: Servus, potuit occidere: Consul, non prodidit patriam;* argumentum factis a personae attributis facio. Pari modo de consilio: si, quibus consiliis aliquando usus sit, dicam, persona est approbata: si, quo nunc usus sit consilio personae attributo, factum probabo. Ergo satis clarum est, in constitutione *coniecturali* argumenta fieri posse communiter et de personae attributis et negotiorum, ut factum probetur. Praecipit praeterea in hac constitutione considerandum principaliter, quod in quaestione est, an fieri potuerit: deinde an ab alio potuerit: deinde an facultas fuerit. Inter posse et facultatem hoc interest: quum substantia efficiendae rei inest aut deest, de facultate tractatur; ut sunt vires, ministeria, pecunia: at si aut per naturam res negatur aut per locum aut per tempus, de eo quaeritur, an potuerit: si dicatur Tullius interfecisse Romulum, quod utique fieri non potuerit per tempus, nec haberet posse. Item loco fit: si alicuius, qui arguitur caedis, ab eo loco, ubi caedes facta est, absentia declaratur. Tertio quaeritur, utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse. Item quod spem celandi non haberet. Deinde quaeritur, an necesse fuerit id fieri. In quibus omnibus spectatur semper consilium. Quod si in his consilium cernitur, et factum probatur: consilium autem attributum personae est: ergo attributo personae factum probatur. Huius rei docendae causa, supra positum thema tractando excutit habere argumenta ante rem: *Quod in itinere se tam familiariter applicarit, quod sermonis causam quaesierit, quod simul deverterit, coenarit.* Item in re: *Nox, somnus.* Post rem: *Quod solus exierit, quod illum tam familiarem comitatum aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit.* Haec ante rem, in re, post rem attributa negotio sunt, quae faciunt fidem negotio. Sed quoniam in his omnibus etiam consilium spectatur, fiet, ut quum consilium personae sit attributum, et haec omnia negotio sunt

9. — *verum in persp.* Cod. Bas.
10. — *spectetur* Cod. Bas.
13. *factis a personae*] Cd. Bas. — *a factis personae* Edd. Or.
25. ∞ *nec habet et p.* Asc.
33. *habere argumenta*] Subaudiendum videtur τὸ *dicens* vel *docens:* alioquin mendi suspicione non vacaret hic locus. Capp. (*Habere argumenta* artissime iungendum cum v. *excutit* i. e. „excutiendo docet." Or.)
35. ∞ *quod coenarit* Cod. Bas.
36. *illum*] Cod. Bas. Asc. — *ille* Cett. Or.

attributa, efficiatur negotii ex attributis personae et negotii communiter approbatio.

Quaeritur enim, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata: an ita temere, ut non veri simile sit quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri vel a fortuna administrari] Frequenter enim, si pecunia, si adiutoris adiumenta desint, videtur facultas faciendi defuisse: quod utique impugnari non potest nisi per consilium; ut alio modo fieri potuerit, ut fieri a fortuna. Ergo ad expugnandas facultates quae desunt, si subveniat saepe consilium, quum dicitur aut alio modo fieri potuisse aut per fortunam; consilio, quod personae est attributum, res probatur. Ex hoc et ex superioribus illa conclusio est, nasci posse communiter argumenta et ex personae attributis et ex negotiorum. Hanc igitur rationem si diligenter voluerimus attendere, ista attributa inter se apta, iuncta et copulata cernemus negotiorum et personarum. Subiungit non oportere his omnibus praeceptis subiici exempla, ut doceat, quemadmodum iis uti accusator debeat, quemadmodum defensor, ut in superioribus docuit: et dicit non necessarium esse, non facile; *non necessarium* [esse,] ita quod si quis aliquid diligentiae afferre voluerit ad ista praecepta, ista omnia pro materiae genere facili cognitione retinebit: non enim praeceptor omnia tribuit, sed ex dictis ad similitudinem non dicta intelligenda supponit; *non facile* autem ideo dixit, quod infinitum sit omnibus illis praeceptis exempla supponere; quomodo ante rem dicat accusator; quomodo defensor; quomodo in re; quomodo post rem: item alia, quae multa sunt. Huc accedit, quo maior difficultas sit, quod omnia illa per partium, id est, accusatoris et defensoris locos versa utilitate tractantur: nec enim inutiliter conveniunt. Unde illud melius est considerare cuncta ex proposito themate negotii et suam et adversarii rationem diligenter attendere et sic suspiciones atque argumenta colligere; quare quid factum sit, quo consilio, qua spe perficiendi, cur hoc modo factum, cur ab hoc factum, cur nullo adiutore, cur hoc, cur nemo sit conscius, cur sit, cur hic sit: cur hoc ante factum sit, cur hoc ante factum non sit: cur hoc in ipso negotio, cur hoc post negotium: cur de industria factum aut rem ita sit consecutum: an constet oratio vel cum re vel ipsa secum: hoc huiusne rei sit signum, an illius, an huius et illius, et utrius potius: quid factum sit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Hac adhibita animi intentione, quum coniecturam omne negotii corpus intraverit, tum

---

2. *Et cum facti suspicione*] Quattuor sequentes versus, qui a suo loco avulsi erant, huc restituimus inspecto et perpenso Ciceroniani operis contextu. Capp. (Ego Codd. secutus sum. Ita enim scripsisse Victorinum manifestum ex iis, quae ista *Et cum facti - - me haud rem* proxime praecedunt. Or.)

4. — *utrum diligenter ratio faciendi videatur habita* Cod. Bas.

7. *si adiutoris adiumenta*] Fort. *si adiutor, si adiumenta.* Or.

9. — Om. vv. *ut fieri a fortuna* Cod. Bas.

19. ∞ Om. *esse* Cod. Bas. Mox id. *si qui.* Tum: — *ad ista praecepta omnia, omnia ista.*

30. *atque*] *ac* Cod. Bas.

37. *utrius*] Asc. — *utriusque* Cett. Or.

facilius videbitur esse praeceptio, ut locos omnium argumentorum sese quodammodo offerentes videre possimus: ex quibus, ut supra diximus, modo ex singulis attributis, modo ex coniunctis argumenta nascentur, quae aut probabilia erunt aut necessaria *ad eas res, quae rem credibilem aut incredibilem facere possunt. Quae rem*, inquit, non personam, cuius scilicet attributum est.

Et cum facti suspicione iunguntur] Et hîc rei eius, unde iudicium est, non personae, cuius attributum est.

Deinde utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse] Annotanda nova locutio: Poenitet me non illius rei, sed Poenitet me hanc rem.

Tum ex singulis, tum ex coniunctis argumenta cet.] Aut a causa aut a persona aut a factis aut ex coniunctis argumenta certa nascentur, ut attributa personae attributa facto videantur.

Accedunt autem ad coniecturam *saepe quaestiones, testimonia, rumores, quae contra* cet.] Praeter hanc materiam, qua coniecturae argumenta tribuuntur a causa, a persona, a facto, accedunt aliae probationes soli *coniecturae* semper adiunctae; tormenta, testimonia, rumores. Haec enim in aliis constitutionibus non valent; quia non adhibentur ista, nisi quum res negatur: quae omnia ista ad partis commoda retorquenda sunt. Hoc probationis genus Graeci *πίστεις ἀτέχνους* vocant: quod quum his orator utitur, fidem quidem iudici facit, sed non oratione. Hoc Tullio minime placet: dicit enim etiam haec probationum genera indigere arte et pari modo ut ex causa et persona et facto argumenta duci, quum de tormentis, testibus, rumoribus disputatur; ex illis scilicet attributionibus, quae aut negotio aut personis videntur esse subiunctae. Namque quum contra testes dicitur aut pro testibus, utique attributa personae contingenda sunt per naturam, victum et cetera; ut fides data testi sit, aut ut possit aut non possit adhiberi. Hoc et in tormentis: nam eius, qui torquetur, excutienda persona est. Ergo omnia argumentis probanda sunt: quorum argumentorum genera duo sunt; unum proprium, commune aliud. Proprium est, quod ipsius causae et negotii est: ut *Sex. Roscius quum caedes facta est, Romae non fuit: non ergo patrem interfecit.* Commune est, quod transferri in similes causas potest. *Filius patrem interfecit: reclamat istiusmodi suspicionibus ipsa natura.*

Hoc argumenti genus, quia transferri in similes causas potest, communis locus dicitur] Locorum autem communium genera duo sunt; unum quum certae rei certa est amplificatio; aliud, quum rei

---

12. *Tum*] Cod. Bas. — *Quum* Edd. Or.

13. *certa*] Excidit e Capp. Or.

21. *πίστεις ἀτέχνους*] Perperam editum erat *πίστις ἄτεχνος*, ut patet quum ex ipsa serie orationis, tum ex consequentibus, ubi eadem occurrit loquendi formula: in Basileensi editione legitur: *Graeci ἄτεχνον vocant.* Capp.

29. *ut fides data testi sit, aut ut*] Cod. Bas. — *ut fides sit data testi sic, ut aut* Edd. Or.

39. *Locorum communium genera duo sunt*] Tertium addit Quintilianus, videlicet locorum communium, unde argumenta depromi solent; ut locus a

dubiae est disputatio. Amplificatio rei certae est, ut in parricidam, in sacrilegum.* Dubiae vero rei communis locus est, qui a Graecis dicitur θέσις, quae habet partes duas. Quae idcirco locus communis dicitur, quod ex materiae genere non certum quid designat, sed habet tractatum ex generalitate communi: ut *Suspicionibus credi oportere vel non oportere.* Sed hanc θέσιν civilem moralemve teneamus, non illam, quae apud philosophos naturalis est. Quilibet autem horum locorum quum interponitur (interponi autem raro debet) ornat orationem. Neque interponendus locus, nisi quum aliquid iam probatum est. Etenim si locus communis generalia loquitur, quasi causam tenens descendit ad causam. Ius iudicem tenet: quia iureiuratus sedens audire desiderat, unde sententiam prolaturus est. Ergo aut parte causae probata utendum est aut in peroratione, id est, epilogis; ut aut renovetur aut suscitetur auditor. Omnis enim locus communis locutionum cuncta ornamenta desiderat: quae aut verborum sunt aut sententiarum; quae dum apte ac necessario dicuntur, oratorem ab oratore discernunt. Etenim quum loci communes causarum sint communes oratoribus, similitudine dictionis esse non possunt.

Quaestiones, testimonia, rumores cet.] Haec autem omnia, quae non oratione argumentorum fidem faciunt, a Graecis πίςεις ἄτεχνοι nominantur, non quidem recte.

Uterque simili via praeceptorum cet.] Et accusator et defensor.

Nam et ex quaestione suspiciones et ex testimonio et ex rumore aliquo pari ratione cet.] Ideo fit, ut arte egeat huiusmodi disputatio; quoniam et contra haec et pro his saepe dicendum est.

Ut ex causa et ex persona et ex facto duci oportebit] Quae ex confessione argumentis materiam tribuunt, ut ex facto, inquit, duci oportebit. Ecce iam non est πίςις ἄτεχνος, id est, fides sine arte. Hoc ceterum artificii non putant indigere, quum appellant πίςεις ἀτέχνους.

Aliter hoc de genere ac de omni coniectura *praecipiendum*

---

genere, locus a specie cet. atque hoc tertium loci communis genus indicat paulo post ipse Victorinus his verbis: *Et locus communis argumentum est.* Capp.

3. *a Graecis dicitur* θέσις] In edit. Basileensi legitur κοινός. Capp.

Ibid. *habet partes duas*] Affirmantem scilicet et negantem, ut ex allato patet exemplo: *suspicionibus credi oportere, vel non oportere.* Capp.

6. *civilem moralemve*] Legebatur antea: *moralemne.* Capp. (Etiam Cod. Bas. *moralemne*, sed Asc. ut Capp. Or.)

12. *probata utendum est*] — *probata iudex utendus est* Cod. Bas. — *pr. iudici u. est* Asc. An: *probata θέσει utendum est?* Or.

14. *locutionum cuncta ornamenta*] Figuras intelligit, quarum aliae dicuntur verborum, aliae sententiarum. His addunt quidam σχήματα λόγου, id est, *figuras orationis.* Vide Fortunatianum Rhetorem lib. 3. Capp.

18. *similitudine dictionis*] τῆς φράσεως, hoc est, elocutionis. Vulgo *stylum* vocant. Capp.

21. πίστεις ἄτεχνοι] Sic scripsi. *ΠΙΣΤΕΤΣ ΑΤΕΧΝΟΣ* Cod. Bas. — *πίστις ἄτεχνος* Edd. Or.

30. *appellant* πίςεις ἀτέχνους] In editione Basileensi legitur: *appellant* σαφεῖς. Capp. (Scil. Graeca, h. l. in Cod. Bas. omissa, suo arbitratu nonnulli suppleverunt. Or.)

putant] Ut dicant alias divisiones esse ad probationem *coniecturae*, non quas supra diximus, causam, personam, factum.

Nam et eius qui in quaestione aliquid dixerit et eius qui in testimonio et ipsius rumoris causa] Ut ea, quae materiam argumentis praebent, et illa, quae quasi habere artem negantur, iisdem attributionibus tribuant tractatum; probatio ex iisdem attributionibus reperietur, quae semel praeceptae sunt de *coniectura*.

Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae] Et locus communis argumentum est: argumentorum autem duo genera: unum, quod ipsius causae proprium est: aliud, quod et ipsius et similium: hoc quod secundum est, locus communis appellatur. Verum locorum communium genera sunt duo, ut et ipse declarat.

In omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit] Hoc argumentum est solum, non argumentum per locum communem.

Quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes] Credendum; non credendum.

Suspicionibus credi non oportere, aut oportere] Id est *thesis*.

Per conquestionem] Quod est proprium epilogorum.

De quibus ante dictum est] In libro primo, hoc est, in epilogis, id est, in conclusione.

Aliquam probabilem utraque ex parte rationem] Haec θέσις est: *credendum; non credendum*.

Certioribus illis] Auditoribus scilicet.

Nam et tum [ei] conceditur commune quiddam dicere] Non debet enim locus communis induci, quum adhuc nihil probatum est.

Et auditoris animus renovatur ad ea, quae restant] Post probationem per locum communem.

Aut omnibus iam dictis exsuscitatur] Quia et in epilogis sunt loci saepe communes.

Omnia enim ornamenta elocutionis] Id est, figurae: quae sunt aut σχήματα διανοιας aut σχήματα λέξεως aut σχήματα λόγου, ut quidam volunt.

Sic oratorum quoque multorum communes loci sunt] Nam quum loci communes ideo dicantur, quod in similes causas conveniant: quum ab oratoribus tamen dicantur, diversitate dicendi vix possunt esse communes.

---

7. *attributionibus . . . quae semel praeceptae sunt*] Perperam legebatur antea *praecepta*. Capp. (— *quae semel dicta sunt* Cod. Bas.)

25. — *nam tum conceditur* Cod. Bas.

26. *non debet locus communis induci*] Illud intellige communis loci genus, quod est amplificatio rei certae, ut in parricidam, in sacrilegum; quo de communi loco agunt ex professo rhetoricorum progymnasmatum scriptores Hermogenes, Theon, Aphthonius, Emporius cet. Capp.

32. *schemata διανόιας*] Latinis, *figurae sententiarum*. Capp.

Ibid. *schemata λέξεως*]. A Latinis dicuntur *figurae verborum*. Capp.

Ibid. *schemata λόγου*] Id est, figurae orationis. Capp.

33. *ut quidam volunt*] Sic Fortunatianus rhetor libro 3. vide in praecedentibus. Capp.

Verborum et sententiarum] λέξεως et διανοίας σχήματα.

Atque hoc sit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium] Ut et genera duo dixerit communium locorum; id est, certae rei et incertae; et quemadmodum sint dicenda, praeceperit; sed hoc generaliter in omnibus constitutionibus. Nunc autem in hanc constitutionem proprios *coniecturae* locos communes dabit.

Nunc exponemus in coniecturalem *constitutionem qui loci communes incidere soleant*] Locorum communium genera dicta sunt: quemadmodum dicantur, praeceptum est. Ita omnia, quae de locis communibus praecipienda videbantur, exposita etiam sunt. Nunc subiungit certos *coniecturae* locos, qui in aliam constitutionem non cadunt: sunt enim *coniecturae* tantum et in quamlibet *coniecturam* dicta similitudine transferentur.

Suspicionibus credi oportere et non oportere] Et reliqui vel qui suppositi sunt vel qui esse possunt. Qui omnes ex *thetico* genere orti, in contrarium argumenta sumunt; et non tam loci communes, quam locorum communium loci sunt. Sunt alii proprii in *coniectura* accusatoris et proprii defensoris. Atque accusatoris duo; unus, qui atrocitatem facti cumulat, alter, per quem negat malorum misereri oportere. Defensoris etiam similiter duo sunt; unus declaratio calumniae accusatoris, alter conquestio captandae misericordiae. Distant autem a *theticis* hoc modo; quod illi habent ex utraque parte tractatus et in contrarium suggerunt argumenta; hi unius tantummodo partis sunt et aut indignationem solam aut solam exprimunt conquestionem. Ita duo genera locorum communium esse manifestum est; unum, quod ex duplici tractatu generaliter constat, quod *theticum* dicitur; aliud, quod generali quidem, sed unius partis aut indignatione sola aut conquestione tractatur. Sciamus autem hos omnes locos, id est, ista duo genera, ex iisdem attributionibus tractari, ex quibus argumentationes, id est, ex attributis personae et attributis negotio; illa tantum distantia et dicendi diversitate, ut argumentationes subtilius, tenuius, acutius explicentur: loci vero communes gravius, ornatius, verbis et sententiis excellentibus, Nam in argumentationibus sola quaeritur veritas: in locis autem communibus, quamquam et veritas asseratur, tamen, quod est illorum proprium, rei probatae amplitudo captanda est. Unde satis clarum est etiam locos argumentationum vim tenere: ita tamen, ut amplius aliquid agere videantur, quum praeter fidem rei cumulum videantur implere. Qui in contrarias partes deducentur, *thetici* sunt: Credi oportere et non oportere: et multa talia.

---

1. *schemata*] Hoc est, figurae. Vide notas paulo superiores. Capp.

6. *in constitutionibus . . . in hanc constitutionem*] Hic τὸ *constitutio* significat *statum* quaestionis oratoriae, τὴν στάσιν. Capp.

Ibid. *coniecturae*] Quid hoc vocabulo significetur apud rhetoras, non semel explicuimus in praecedentibus notis. Capp.

15. *ex* thetico *genere*] Hoc est, ex genere θέσεως, sive ex eo loci communis genere, quod ad *thesin* pertinet, *Thesis* autem est generalis quaestio in utramque partem disputabilis; verbi gratia, *utrum suspicionibus credi oporteat nec ne?* Capp.

21. *accusatoris*] Cod. Bas. — *accusatorum* Edd. Or.

Certus autem locus est accusatoris, per quem auget facti atrocitatem] Superiores loci in contrarias partes deduci possunt: isti vero loci proprii dantur aut accusatori aut defensori suo.

Ceterae argumentationes] Aut a personae aut negotii attributis.

Ut id, quod dicitur, verum esse videatur] Quod est proprium argumentationis sumptum.

Tametsi hoc quoque videri oportet] Ut et in locis communibus veritas quaeratur, sed orationis modo distet ab argumentatione.

Quum est nominis controversia, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva dicitur] Sequitur *definitiva* constitutio; quia *coniectura* praeceptis superioribus terminata est. Haec *definitiva*, quia tunc exoritur, quum nominis controversia est, et quia vis nominis definienda verbis est, *definitiva* dicitur constitutio. Huic supponit exemplum; *quum reus fit pater maiestatis, qui filium prohibuit seditiose concionantem*, id est, filium tribunum plebis. Est in hoc themate etiam alia constitutio vel *relativa* vel *compensativa* vel *absoluta*. Nam *licuit mihi, pater sum, absoluta* est: *Meruit, relativa* est: *Profui, compensativa*. Verum hoc in themate non quid sit, considerari Tullius voluit; sed interim monuit id percipi: atque hoc exemplum ideo dedit, ut finem tantum consideremus: quia nunc propter finem subiicit exemplum. Praecipit autem in omni hoc libro considerationem adhibendam esse circa omnes constitutiones et earum partes et controversias, id est, legales quaestiones. Perceptis omnibus in omni causa, in qualibet materia omnia, quae inventa fuerint, genera quaestionum possunt tractari, sumptis suae partis praeceptis: ut quum in themate *coniectura* fuerit, eius divisionibus utamur: itemque et alterius vel aliarum, si quae inciderint constitutiones. Subiungit igitur in definitione locos a parte accusatoris. Sunt autem quattuor, definitio, approbatio definitionis, deductio definitionis in ipsam certam speciem, de qua agitur, destructio definitionis adversae partis, quae constat ex locis quattuor: si demonstretur falsa, si turpis, si inutilis, si collatio utriusque definitionis fiat. Falsa demonstrabitur ex opinione hominum, si docebimus de eo, unde quaeritur, quemadmodum aestimet populus, quemadmodum in consuetudine locutionis utatur

---

3. *defensori suo*] An *d. soli*? Or.

16. *relativa*] Alias dicitur *relatio*, quam Tullius lib. I. sic definit: *relatio criminis est, quum ideo iure factum dicitur, quod alius ante iniuria lacessierit.* Graeci vocant ἀντέγκλημα. Capp.

Ibid. *compensativa*] A Graecis vocatur ἀντίστασις et a quibusdam Latinis *comparatio*. Eam Tullius ibidem sic describit: *comparatio est, quum aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.* Capp.

17. *absoluta*] Alias vocant statum qualitatis absolutum vel etiam absolutae. Graeci vero ἀντίληψιν. In eo posita est, ut quod quis fecisse se confitetur, id iure a se factum fuisse contendat. Capp.

19. — *praecipi* Cod. Bas.

26. ex *divisione* Cod. Bas.

27. *alterius*] Supple, *constitutionis*, sive *status*. Capp.

30. *destructio definitionis*] ἀνθορισμον vocat Hermogenes in opusculo de *statuum* divisione. Capp.

eo verbo, quod definimus. Turpis autem et inutilis demonstratur adversariorum definitio ex honestatis partibus et utilitatis; de quibus in *deliberativo* genere, hoc est, in postrema huius libri parte, tractabit. Exprimemus igitur, quae incommoda futura sint, si ita accipietur, quod definitum est ab adversario. Collatio vero definitionum (qui quartus in reprehensione locus est) hoc aget, ut nostram definitionem ostendat veram, honestam, utilem: quod adversarii ostendimus falsam, turpem, inutilem. Afferemus praeterea ad definitionis nostrae confirmationem res aut maiori aut minori aut pari negotio similes: ut et ad definitionem nostram similium comparatione collecta, ostendamus quanto verior, honestior, utilior sit nostra descriptio. Haec in simplici definitione. Sed si duae res pluresve definiendae sunt, ista omnia pro definiendarum numero duplicantur. Quaeritur enim saepe, fur sit, an sacrilegus, qui vasa ex privato sacra surripuit vel de sacro privata. Quoniam a parte accusatoris et quid sit sacrilegium et quid sit furtum, definiendum est; in singulis definitionibus illa supra posita praecepta complebit, definiet, approbabit, deducet, infirmabit: quae quum fecerit in definiendo sacrilegio, faciet rursus eadem in definiendo furto, mutata tantum tertia parte praecepti. Accusator enim, qui sacrilegium vult probare, negare vult furtum. Ita definitione sacrilegii, quod probare nititur, utetur illis supra positis praeceptis: in definitione vero furti, quia furtum negabit, utetur praeceptis defensori datis; id est, ut post definitionem et eius approbationem separationem speciei faciat a definitione: fietque in hoc themate et in eiusmodi complexione, ut definitionum vertat similiter praecepta etiam defensor. Nam quoniam furtum probare vult ille, qui se defendit, post definitionem et eius approbationem deductionem faciet ad speciem: contra quum sacrilegium definierit, qui hoc admisisse se non vult, illic faciet loco tertio separationem speciei a definitione. Ergo his modis et speciebus definitionem suam accusator implebit. Habebit autem communem locum ex ipsa *definitiva* constitutione sumptum in malitiam eius, qui non modo rerum, verum etiam verborum potestatem sibi arrogare conetur, ut et faciat, quod velit, et quod fecerit, id, quo voluerit, nomine appellet.

Eius generis] Id est finitivi.

Flaminius, is, qui consul rem publicam] Historiam a post sequentibus dedit.

Iudicatio est, minuatne is maiestatem] *Iudicatio* est ex ratione et ex refutatione rationis [iudicatio.]

---

14. *ex privato . . . de sacro*] Videlicet loco. Capp.

17. *deducet*] Hoc est, deducet generalem definitionem in ipsam certam speciem, de qua agitur. Capp.

29. *speciebus*] Cod. Bas. — *partibus* Edd. Or.

34. *finitivi*] Seu *definitivi status*. Capp.

37. *iudicatio est, minuatne is maiestatem*] Haec Ciceroniani contextus verba, quae deerant, restituimus. Nam in praecedenti editione Ciceronis contextus cum Victorini commentario perperam commixtus et confusus passim fuerat. Capp.

38. *rationis iudicatio*] Cod. Bas. Sed *iudicatio* videtur delendum. — *rationis controversia* Edd. Or.

Ad hanc iudicationem *argumentationes omnes afferre oportebit*] Ad hanc iudicationem, id est, *definitivam;* ne aliam quum feceris constitutionem, hîc aliam facias *iudicationem* et non conveniat. Haec praecepta, quae nunc *finitivi status* ponimus,

Et earum partes] propter *qualitatem*, quae partes plures habet,

Et controversias] *legales status* dicit.

Maiestatem minuere est de dignitate cet.] Definitio est rei, de qua quaeritur.

Pluribus verbis et rationibus confirmandum] Superior definitio est: haec confirmatio definitionis.

Postea ad id, quod definieris] Deductio definitionis ad speciem.

Hoc ex opinione hominum sumetur] Quomodo destruatur descriptio adversae partis.

Veram, honestam, utilem esse demonstrabimus] Quum tria dederit defensori vitia definitionis, id est, falsam, turpem, inutilem: tria dat accusatori contra ornamenta definitionis; id est, veram, honestam, utilem: ut etiam ex collatione melior accusatoris definitio probetur.

Deinde simili ratione causa est tractanda] Ut definias, approbes, deducas ad speciem, infirmes definitionem adversae partis, docendo falsam, turpem, inutilem: compares etiam quae utilior est; vel reliqua aut a maiore aut a minore aut a pari: sed in tot definitionibus omnia haec erunt observanda, quot res definiendae sunt.

Deinde defensoris primus est locus, item nominis brevis et aperta et ex opinione hominum descriptio] Et huic dat quattuor ad actionem definitionis locos: sed in quibusdam partibus, id est, in tertio loco discrepabit. Supra enim, id est, in parte accusatoris, haec quattuor sunt; definitio, approbatio propriae definitionis, deductio in speciem propriae definitionis, destructio definitionis alienae. At hîc in parte defensoris est similiter definitio sive approbatio eius; et (quod mutat) separatio definitionis a specie, de qua quaeritur, destructio definitionis adversae partis.

Defensoris deinde primus locus est cet.] Datis omnibus locis accusatori ad suam definitionem, defensori quoque ad definitionem eiusdem proprios locos tradit; ex quibus primus est definitio, et ipsa brevis: deinde eius affirmatio: tertio loco a definitione sua separatio eius speciei, de qua quaeritur, id est, quaestio est: post quem locum locus communis infertur; per quem facti utilitas aut honestas augetur: quem quidem locum habet etiam accusator, sed ex contrario: ille enim indignitatem rei auget, hic utilitatem. Quarto loco sequitur adversariorum definitionis reprehensio, eadem illa omnia retinens, quae definitionis reprehensio includit; id est, ut falsa, ut turpis, ut inutilis

---

2. *iudicationem*] An et quomodo *iudicatio* differat a *statu*, vide apud Quintilian. lib. 3. cap. 11. Capp.

5. *qualitatem*] Id est, *statum qualitatis;* de quo plura vide sis apud rhetoras. Capp.

28. *deductio - - definitionis*] Exciderunt haec e Capp. Or.

36. *id est, quaestio est*] Fortasse leg., ut infra: *id est, a facto, unde quaestio est.* Or.

doceatur; fietque utriusque definitionis etiam a defensore similiter comparatio. Omnia enim defensor facere ac dicere poterit, quae accusator, praeter locum communem ipsius accusatoris. Habebit autem defensor locum communem, per quem indignabitur accusatorem sui periculi causa non res solum convertere, verum etiam verba mutare conari. Hic similiter locus defensoris ex ipsa *definitiva* constitutione susceptus est: unde proprius locus constitutionis defensori est. Nam esse quidem possunt alii communes loci ex causa et ex negotio nati, non ex constitutione: ut in calumniatorem, ut conquestio misericordiae, ut indignatio facti et cetera huiusmodi, quae ex periculi magnitudine genita non constitutionis *definitivae*, ut diximus, sed ex compositione circumstantiae, quam περίστασιν nominamus, procreantur. Sed hi communes loci non in omni causa sunt, sed in omne genus causae incidunt; hoc est, in omnes constitutiones incidunt, non in omnes causas, quas una quaeque habere poterit constitutio. Ac de his locis communibus periculi magnitudine procreatis, in *coniecturali* constitutione fecimus mentionem, qui qualesque sint, explicantes. Utemur autem iis et eos inducemus in orationem, quum causae ipsius necessitas flagitabit, similibus et exemplis et rationibus, quae ad definitionem suam poterunt pertinere.

Ab illa definitione separatio] Ut separet factum suum ab ea definitione, quam habuit adversarius.

Per quem facti utilitas aut honestas adaugetur] Quomodo accusator descendit ad speciem, ut iungat definitionem suam cum specie: sic defensor descendit ad speciem, ut separet definitionem suam a specie, id est, a facto, unde quaestio est. Et uterque utetur loco communi: sed accusator ut augeat factum per indignationem; reus ut utile esse doceat et honestum.

Locis omnibus, quos accusatori praescripsimus] Ut et hic rursus convertat in definitionem adversarii praecepta superiora et dicat eam esse falsam, turpem, inutilem; comparet ex maiore, minore, pari, quae habet scilicet accusator. Nam et hic proprium locum communem de fine habebit: nam et extra finem, quem potest causa suggerere, habere potest uterque alium locum communem.

Post eadem praeter communem locum inducentur] Id est, collatio ipsarum definitionum per maiora, minora, paria.

Nam illi quidem communes loci] Qui in quacunque parte esse possunt causa suggerente.

Ex periculi magnitudine, non ex causae genere ducuntur] Ut non proprius sit locus communis ex fine natus; sed ex negotii genere, cuius circumstantia pro qualitate vel quantitate periculi locos communes dabit.

---

1. *fietque*] Cod. Bas. — *fiatque* Edd. Or.
4. *ipsius - - communem*] Exciderunt haec e Capp. Or.
7. *defensori est*] Cod. Bas. — *defensoris* Edd. Or.
15. *Ac de his locis*] In praecedenti editione perperam legebatur: *hac de his*; sed veram lectionem exhibet editio Basileensis. Capp. (Item Cod. Bas.)
31. *comparet*] Asc. — *compararet* St. — *comparat* Cod. Bas. Capp. Mox ex Cic. *inducentur* necessario reponendum erat pro St. Ald. Capp. *induentur*. Or.

Non in omnem causam, sed in omne causae genus incidunt] Hi loci communes, qui ex compositione negotiorum nascuntur, non in omnibus causis sunt; quia non omnis causa similiter componitur: sed cadunt in omnia genera causarum, id est, in omnes constitutiones; quia quaelibet constitutio modo atroci negotiorum compositione fingitur, modo simpliciter componitur.

Quum autem actio translationis aut commutationis indigere videtur] Tertia est constitutio, quae *translatio* est; quia ita Tullius ordinem dedit. Haec commutationem iudicii cum actione tenet: quum persona, locus, lex, crimen, poena mutatur vel cetera, quae similia sunt. His singulis supponere exempla et infinitum et supervacuum est; vel quia multis modis efficitur, vel quia omnibus modis ad dicendum una praeceptio est. Omnis autem *translatio* apud antiquos temporibus Tullianis in ipsa causarum actione aut non erat aut rarior inveniebatur. Praetores etenim, qui ius dicebant, et iudices causae dabant et controversiae vel agendi genus instituta actione formabant: ita sibi praescribebant, qua accusator, qua reus deberet actione uti; praescribendo quid fieret, excipiendoque quid non fieret, *translationis* controversiam †actionibus auferebat. Erat praeterea institutum, ut causa caderet is, qui non, quemadmodum oportebat, egisset. Ergo etiam propter haec formata lite ad iudicium veniebatur. Apud ipsum vero praetorem, quum litis ipsius forma componeretur, illic partes aut excipiebant aliquid aut simplicem actionem accipiebant. Unde in ipso (ut dixi) iure, hoc est, apud praetorem, de modo agendi quum quaereretur, tractabatur exceptio atque *translatio*. Quum autem iam litis forma esset accepta, in iudicio nulla iam poterat esse *translatio*. Ergo in iudiciis *translatio* rarius invenitur: et si quando inventa fuerit, ipsa per se parum firmitudinis tenet assumitque vires alia constitutione. Hoc namque praeceptum Tullianum est, *translationem* ex alia constitutione firmari: ad quod praeceptum exemplum subiungit; non ut *translationem* doceat, sed ut ostendat *translationem* alia constitutione firmari: *Reus parricidii factus, probatis aliis criminibus, an damnandus sit, quaestio est.* Utitur *translatione* reus, quum dicit se non parricidii damnandum esse, quia nihil inde sit approbatum; sed aliorum criminum, quae probata sint, affici oportere supplicio: ac ne eo quidem; quod non inde iudicium constitutum sit. Ita si neque probatorum criminum poena esse debet, quia non inde iudicium constitutum est: neque parricidii, quia nihil probatum, confirmat non esse damnandum. Verumtamen purgandis aliis criminibus per *coniecturam* opera danda est, ut reus non opera tantum *translationis* utatur. Ergo probatum illud est, *translationem* alia constitutione firmari. Subiungit

---

17. *ita sibi praescribebunt, qua*] Cod. Bas. — *ita sibi praescribebat praetor, qua* Edd. Mox idem: *praescr. quid fieri fieret* (sic.) — *in praescr.* Asc. Or.

19. Fort. *actione ius auferebat.* — *ut causa*] Cod. Bas. — *ut a causa* Edd. Or.

21. *veniebatur*] Cd. Bas. — *veniebat* Edd. Or.

39. *per coniecturam*] Id est per *statum* coniecturalem; quaestionem facti vulgo appellant. Capp.

vero exemplum *translationis;* quum agit iniuriarum, cui praecisa manus est: et is, qui praecidit, exceptionem postulat; ut in hoc iudicio de maleficio non fiat praeiudicium. In hoc genere constitutionis praecepta haec sunt, quae utrique parti dentur; ut explicent, quid fieri soleat, a quo, per quos, quomodo, quo tempore, quemadmodum agi, quemadmodum iudicari, quemadmodum statui; quod utique ex partibus iuris agnoscitur: de quibus partibus in *qualitate* est tractaturus. Debet etiam tractari, quid in similibus rebus fieri soleat. Aut enim in iure cautum est id, de quo quaeritur; aut solet sic fieri; aut non solet; aut ad id, quod in iure solitum est, id, quod simile est, applicatur. Deinde per *coniecturam* tractandum: *utrum malitia quid aliud agatur, quum aliud simuletur; an stultitia, an necessitate.* Locus autem communis unus est contra *translationem*; fugere iudicium et poenam eum scilicet, qui *translatione* utatur. A *translatione* unus locus est communis; perturbari omnia, si non eo pacto agantur, quo oportet. Hae sunt tres constitutiones, quae species non habent; *coniectura, finis, translatio. Translationem* autem intelligamus formam esse *status,* scilicet legalis: praescriptionem vero eandem appellari posse et eandem exceptionem; sed ab oratoribus: in iure autem praescriptionem dici ipsum propositum ius; exceptionem autem, quum ius [ipsum] propositum adversus se actor alius excipit interposita aliqua conditione. Sit nobis praescriptio, iniuriarum: exceptio, *si praeiudicium facias de caede,* si singula *translationum* genera quaeramus, ut exemplum quemadmodum alia lege, quemadmodum alio crimine et ad singula, quibus *translatio* videtur impleri.

Sed quia ratio praeceptorum similis est, exemplorum multitudine supersedendum est] Quum enim praecepta in omni genere *translationis* eadem sint, ad diversitatem frustra exempla quaerentur. Eadem enim praeceptorum ratio in omnibus *translationis* partibus et ubique servabitur.

Multis de causis fit, ut rarius incidant translationes] Quoniam per praetoris formulas actionibus integritas datur, neque in iudiciis ulla potest esse praescriptio.

Qui non quemadmodum oportet, egerit] Apud praetorem.

Quare in iure plerumque versantur] *Translationes.*

Ibi enim et exceptiones postulantur] In causis autem aut raro aut nunquam.

---

1. *agit iniuriarum*] Supple, *iudicio*, *lite* cet. quomodo suppleri solet in similibus loquendi formulis. Capp.

12. *quid aliud*] — om. *quid* Cod. Bas. Or.

Ib. *cum aliud simuletur*] Pessime editum fuerat: *aliud similiter.* Capp. (Recte Cod. Bas.)

16. *quae species non habent*] Nam constitutio sive *status qualitatis* duas habet species; *negotialem*, et *iuridicialem;* haec etiam duas; *absolutam*, et *assumptivam*, quae rursus in quattuor species distribuitur: videlicet *relationem*, *compensationem*, *remotionem*, et *concessionem:* de quibus est dictum et supra et paullo infra dicetur. Capp.

17. *autem intelligamus*] Cod. Bas. Asc. — *autem non intelligamus* Cett. Or.

21. ∞ om. *ipsum* Cod. Bas.

Privatorum iudiciorum constituitur] Ideo non potest in iudiciis esse *translatio*, sed est apud praetorem.

Hic defensor poenae commutationem] Quoniam quum dicit: *non hac poena afficiendus est*, [*quae est*] *aliorum criminum probatorum;* sed tali; quumque tali non oportebit, quia eius crimen non probatum est, ita ne alia quidem poena affici oportere dicit, quae sit aliorum criminum: unde commutatione poenae vis accusationis tota tolletur.

Ceteris quoque criminibus defendendis] Quae probata dicuntur.

Coniecturali *constitutione* translationem *confirmabit*] Ut infirmatis etiam in criminibus illis, quae probata dicuntur, rei possit relevare personam.

Exemplum autem translationis *in causa positum nobis sit huiusmodi*] Illud exemplum, quod supra datum est, ad hoc datum est, ut probaretur *translationem* alia constitutione necessario confirmari: nunc dat exemplum *translationis*.

Postulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem] Ne praeiudicium fiat in hac iniuriarum damnatione futuri criminis, quod de capite est, id est, caedis.

Indignum sit non primo quoque tempore iudicari] Ut etiam in iudicio iniuriarum indignum sit non etiam de caede iudicari.

Id ex partibus iuris, de quibus post dicendum est] In qualitate absoluta.

Contra eum qui translationem *inducit*] Qui accusatur iniuriarum.

A translatione *autem omnium fore perturbationem*] Hoc est a parte ea, quae utitur *translatione:* nam illa superior contra *translationem* est.

Quum et facto et facti nomine concesso neque ulla actionis illata controversia, vis et natura et genus negotii ipsius quaeritur, constitutionem generalem appellamus] Generalis, hoc est, qualitatis, constitutionis praecepta supponit, cuius species esse duas dicit, *iuridicialem* et *negotialem*. Duas enim, *deliberativam* et *demonstrativam*, in priori libro sustulit. Ac nunc prius de *negotiali* tractat, quoniam simplex esse noscitur: *iuridicialis* in species est distributa. Haec *negotialis* habet litem, quum quaestio est, quid esse debeat, quod

---

5. *sed aliorum criminum probatorum: quumque*] In praecedenti editione deerat particula *sed;* quam tamen huic loco necessariam esse patet ex iis, quae paullo supra scripsit Victorinus: *Utitur translatione reus, quum dicit se non parricidii damnandum esse, quia nihil inde sit approbatum; sed aliorum criminum, quae probata sint, affici oportere supplicio* cet. In editione Basileensi legitur: *Non hac poena afficiendus est: sed tali aliorum criminum;* non male, nisi quod τὸ *tali* videtur abundare. Capp. *est*, [*quae est*] *aliorum criminum probatorum; sed tali: quumque*) Sic dedi e Cod. Bas. inserens tamen de meo vv. *quae est*. ∞ *est*, *sed tali aliorum cr. pr.; quamque* Asc. Or.

Ib. *oportebit*] Cod. Bas. — *oporteat* Asc. — *oportebat* Cett. Or.

7. *quae sit aliorum criminum*] Quoniam, ut mox dicebat Victorinus, *non inde iudicium constitutum erat.* Capp.

32. *deliberativam et demonstrativam*] Supple, materiam, vel partem, vel causam, ut paullo post loquitur ipse Tullius. Capp.

colligitur ex iure iam constituto; quomodo id sit habendum, unde controversia est. Supponit exemplum, quod secundi heredes sibi eam hereditatem vendicent, quae venerit pupillo; quam sibi vendicant agnati. Facit *intentionem* agnatorum, deinde *depulsionem* heredum secundorum. Tunc quaestionem; *quorum sit hereditas*. Affertur ratio a secundis heredibus: *Quod unius pecuniae heredes diversi esse non possunt*. Fit refutatio: *Sed non est una pecunia*. Erit iudicatio; *an una pecunia sit*. Hic admonet posse in una et simplici constitutione inveniri plurimas rationes refutationesque rationum: et item iudicationes, ut in hac causa. Nam quum ratio sit, *non posse plurimis de causis unius pecuniae heredes esse diversos*: quumque in superioribus refutatio facta sit, *non est una pecunia;* omissa hac refutatione, alia refutatio supponi potest, uti dicatur esse posse unius pecuniae heredes plures, diversis de causis. Et aperte in ipso Tullio positum est, quae rationes sint, quae refutationes. Dat autem huic constitutioni locos ad argumenta communiter utrique parti vel omnibus partibus, si plures exsistant; ut ius unde constet, considerent. Constat autem ex tribus duci, natura, consuetudine sequente, deinde lege. Postremo naturam eius dividit in sex partes, quas ipse partitus est et definivit. Item consuetudinis certas species a praetoribus positas dereliquit. Res firmissimas subiecit; pactum, par, iudicatum; legitimi autem iuris scientiam ediscendis legibus reliquit. Vis et natura et genus ipsius negotii quaeritur. Quale sit negotium, in tribus his quaeritur, vi, natura, genere; iustum an iniustum; utile an inutile.

Ante mortuus est, quam in suam tutelam veniret] Ut non posset facere testamentum, quia minor esset.

Cuius agnati] Id est, petitores.

De qua is, cuius agnati sumus, testatus non est] Id est, pater pupilli vel pupillus ipse.

Ratio est] Ratio quaestionis eorum, qui possessores sunt.

Pater enim et sibi et filio testamentum scripsit] Quamdiu non licebat filio scribere testamentum.

Infirmatio est rationis] A parte petitoris.

Non filio] Si extrinsecus aliud aliunde filius haberet.

Sed sibi iussit esse] Id est, rebus suis substituit.

Iudicatio] Ex ratione et refutatione rationis.

Possitne quisquam de filii pupilli re testari] Quam non ipse haberet et quam pupillus aliunde quaesisset.

An heredes secundi ipsius patrisfamilias, non filii quoque eius pupilli heredes sint] Quia secundus heres quum dicitur, eius est secundus qui hereditatem remisit. Unde heres esse non potest, nisi eius, cui secundus heres est. Eius autem heres non potest esse, cui non est secundus.

Iudicatio est, unane pecunia fuerit. Ac si hac erunt usi infir-

---

18. — *sequenter* Asc.
24. ∞ *iustum iniustum, utile inutile* Cod. Bas. Or.
36. — *et verificatione* Cod. Bas.
44. ∞ *aut si* Cod. Bas., ut Lambinus in Cic. Or.

matione] Duas infirmationes ex parte posuit petitorum, id est, agnatorum, contra unam rationem possessorum, hoc est, heredum secundorum, quod dicerent unius pecuniae plures heredes dissimilibus de causis esse non posse; erit una infirmatio: *Non est una pecunia;* item alia: esse possunt unius pecuniae dissimilibus de causis diversi heredes.

Dissimilibus generibus heredes esse] Ut alius testamento, alius lege, alius agnatione.

Nunc huius generis praecepta videamus] Exemplum dedit *qualitatis* et *negotialis:* dedit et praeceptum, quomodo rationes multae esse possent. Nunc subiungit in hanc *negotialem qualitatem*, quemadmodum et unde argumenta socianda sunt.

Utrisque] Id est, petitori et possessori.

Aut etiam omnibus, si plures ambigent] Si plures contra unum possidentem petant: ut non duae partes sint, sed plures.

Initium ergo eius ab natura ductum videtur] Ut constet ius natura, usu, lege. Omnium autem trium supponit partes.

Quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut obscura] Interdum etiam sequimur consuetudinem, hoc est, quia consuetudo; non quia scimus utile esse, quod sequimur.

Post autem approbata quaedam aut a consuetudine aut a vero] A consuetudine; quoniam consuetudo est: aut a vero; quoniam ratio eius perspecta est et utilitas visa.

Vindicationem] Pro vindicta, pro ultione.

Ad hanc controversiam] Id est, causae genus *iudiciale.*

Consuetudinis autem ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit] Finitis partibus iuri naturali suppositis, nunc consuetudinis iuri partes subiicit.

Voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit] Ut prudentium ratio, auctoritate data consuetudini, de consuetudine in posteros miserit legem.

Iura sunt quaedam ipsa iam certa propter vetustatem] Ut puta, ut maioribus assurgatur; ius est hoc, sed consuetudinis.

Multo maxima pars, quam praetores edicere consueverunt] Non ex legum praeceptis et iussionibus, sed ex consuetudine, quae proponatur a praetoribus ex bono et aequo.

Par, quod in omnes aequabile est] Ut qui proponit aliquid, tale proponat, ut quo iure alium teneat, hoc se alliget.

Iam iura legitima ex legibus cognosci oportebit] Haec, quae supra dicta sunt, de consuetudine tractata sunt: nunc quum superesset ius legitimum, cognitionem eius ad eos transtulit, qui legitima iura fecerunt.

---

6. *item alia: esse possunt unius pecuniae . . . diversi heredes*] Legebatur antea: *Item alia esse possunt, unius pecuniae;* quae mala interpunctio huius loci sensum non mediocriter perturbabat. Capp.

15. ∞ *petunt* Cod. Bas.

31. *miserit legem*] Fuitne *emiserit*, an *sciverit l.?* Or.

35. *iussionibus*] Asc. — *iussionis* Cett. Or.

His ergo ex partibus iuris, quidquid aut ex ipsa re aut ex simili aut ex maiore minoreve nasci videbitur, quemque attendere atque elicere pertentando unamquamque partem iuris oportebit] Diviso iure omni in naturam, consuetudinem, leges, dat praeceptum, ut argumenta sumamus, vel quae ex ipsa re sumuntur, vel quae ex simili aut maiore aut minore. Locos autem communes dare se negat posse certos in singulas constitutiones. Etenim quum duo genera sint, quorum alterum rei dubiae approbationem ducendo generalem tractatum habet, alterum rei certae continet amplificationem; necessario causae ipsius facultas suggerit, si quid amplificationis aut indignationis conquestionisque nascitur. Sed quoniam in *negotiali qualitate* de iure tractatus est, erunt loci communes vel ab auctoritate iurisperitorum vel contra eorum auctoritatem. Haec de *negotiali*. Subiungitur *iuridicialis*. Quae ipsa quum genus sit, in duo dividitur; in *absolutam* et *assumptivam*. *Absolutae* supponit exemplum; quod tropaeum aeneum contra morem post victoriam Graii de Graiis statuerunt. Facit *intentionem* et *depulsionem*: supponitque postea rationem, sed *absolutae* constitutionis, ut nascatur *iudicatio: Iuste fecimus; quia aeternum virtutis nostrae monimentum relinquere voluimus*. Sin autem dicatur *ideo aeneum, quia meruistis;* erit ratio de *relativa qualitate*. Unde intelligimus in unam causam constitutiones incidere posse plurimas principales. Verum etiam *absoluta qualitas* eosdem habebit locos argumentorum, quos negotialis; ex partibus iuris, naturae, consuetudinis, legum. Sed in *absoluta* ipsa iura proferimus; ut factum defendas vel lege vel consuetudine vel natura: in *negotiali* autem haec iura proferuntur, ut possit constitui, quo iure esse debeat id, de quo negotium est: quia eius constitutionis ad futurum spectat intentio; aut ex ipsa re aut simili, maiore minoreve nasci videbitur. Aut enim in iure posita est haec species, quae quaeritur, litis; aut ex eo, quod in iure est, ad hoc negotium similitudo traducitur.

Dubiae rei] *Thesis* scilicet.

Alterum certae continet amplificationem] Locis communibus (iam re probata) augmentum facies; illud enim adhuc in quaestione est.

---

2. *maiore minoreve*] Cod. Bas. — *maiore aut ex minore* Edd. Or.

Ibid. *quemque attendere*] Pronomen τὸ *quemque*, quod deerat, supplevimus ex ipso Tullii contextu. Capp.

3. *oportebit*] Antea legebatur *debebit;* quod emendavimus ex ipso Cicerone. Capp. (Habet *oportebit* Cod. Bas.)

17. *intentionem*] Id est, accusationem. Capp.

Ibid. *depulsionem*] Hoc est, criminis infitiationem, remotionem; sive rei defensionem. Capp.

20. *de relativa qualitate*] Alias dicitur *relatio*, quam supra Tullius ita describebat: relatio criminis est, quum ideo iure factum dicitur, quod alius ante iniuria lacessierit. Capp.

33. *augmentum facies*] In praecedenti editione (et in Cod. Bas.) sequebatur mox: *illud enim adhuc in quaestione est;* quae certe verba ad antecedentem articulum pertinebant. Vide notam proxime superiorem. Capp.

Ib. *illud enim adhuc in quaestione est*] Haec verba, quae a suo loco perperam avulsa et sequentem in articulum fuerant reiecta, propriam in sedem restituimus. Capp. (Restitui ordinem vv. etiam e Cod. Bas. — Capp. sic: *Thesis scilicet: illud enim adhuc in quaestione est*. Or.)

Quid augeri per communem locum possit et oporteat, considerabitur] De re probata per locum communem augmentum, non *thesis.*

Nam certi, qui in omnes incidant, loci perscribi non possunt] In singulas constitutiones certi loci et proprii dari non possunt. Merito ergo et in *negotiali.* Quoniam tamen in *negotiali* de iure tractatur, loci communes hi esse possunt: contra auctoritatem iurisperitorum, ab auctoritate iurisperitorum.

Nunc iuridiciale *genus et partes eius consideremus*] Ipsa enim est, quae dividitur.

Absoluta est, quae ipsa in se, non, ut negotialis, implicite et abscondite, sed patentius et expeditius recti et non recti quaestionem continet] In *negotiali* quaeritur, quid esse debeat iuris: in *absoluta,* quid est iuris.

Non, ut negotialis] *Negotialis* enim non habet ius certum, sed quaeritur de eo iure, quod esse debeat in negotio praesenti.

Absoluta *est, quae ipsa in se, non, ut negotialis*] In *negotiali qualitate* ius efficitur sententia iudicis: in *absolutà,* quod positum ius et notum est, a praetore sumitur.

Implicite et abscondite] Quia adhuc incertum est et quaeritur, quid esse debeat.

In hanc argumentationes ex iisdem locis sumendae sunt, atque in causam negotialem, *qua de ante dictum est*] Ut ex partibus iuris, naturae, consuetudinis, legum, argumenta sumamus. Hoc tamen (quum et in negotiali haec sint) distat *absoluta* ab *negotiali,* quod illa latius assumit, ut probet quemadmodum novum ius esse possit, de quo quaeritur: *absoluta* autem ipsa iura assumit, ut probet factum.

Assumptiva *igitur tum dicitur, quum ipsum ex se factum probari non potest*] *Assumptivae qualitatis* praecepta tractaturus docet, quid ipsa sit, et eius partes quattuor supponit. Ac primam *compensationem,* quam et *comparationem* appellat: huius exemplum subiicit imperatoris eius, qui impedimenta et arma tradiderit, ut exercitum ab obsidione hostium liberaret. Hic quoniam *finitivus status* esse potuit: *Quid sit laedere maiestatem:* certi enim nominis reus est: huius constitutionis, id est, *finitivae* tractatu omisso, ipsam considerat *compensationem:* ac praecepta haec constituit, ut si quid per

---

3. *de re probata per locum communem augmentum, non thesis*] Perperam legebatur antea: *de re probata locum communem per augmentum, non thesis:* unde nihil poterat boni sensus elici. Nostram emendationem firmant haec Ciceronis verba: *quid augeri per communem locum possit et oporteat.* Capp. (Recte Asc. Or.)

11. *absoluta*] Supple *qualitas,* ut et in sequentibus. Capp.

19. *a praetore*] Cod. Bas. — *ab oratore* Edd. Or.

23. *qua de*] Cod. Bas. — *de qua* Edd. Or.

24. *tamen*] — *autem* Cod. Bas. 28. *tum*] Cod. Bas. = *tunc* Edd. Or.

30. — *et in partes* Cd. Bas. An: *et ei p.?* Or.

35. *huius constitutionis item finitivae*] Perperam legebatur antea *idem:* iam vero *finitiva* constitutio eadem est, ac *status definitivus,* qui et *finis* mox appellabitur. Capp. (Dedi *id est, fin.* e Cod. Bas. et Asc. Or.)

coniecturam tractandum sit, prima parte tractetur; vel hoc non fuisse vel hoc non futurum fuisse, propter quod istud, unde reus sit, dicatur esse commissum: ista *coniecturalia* sunt. Item si *definitio* fuerit, quum alioqui certi nominis reus est, transferenda huc sunt omnia, quae sunt *definitionis:* monetque nunc alteram, nunc utramque constitutionem, id est, et *finem* et *coniecturam* in prima parte tractari: et item alias, tractis scilicet huc rationibus singularum, et confirmationis et infirmationis. Ipsius autem *compensationis* praecepta haec sunt: ut comparemus id, quod admissum est et propter quod admissum est, ex partibus honestatis, utilitatis, necessitatis; ut neque fuisse aut honestum aut utile aut necessarium, ubi et gradus tangi potest; non tam utile, non tam honestum, non tam necessarium: quae partes, id est, utilis, honesti, necessarii, plenius intelligentur in praeceptis *deliberativae*. Sic facta separatione et eius beneficii, quod praestitisse se dicit, et eius maleficii, quod admisit, actio postrema deducenda est ad formam *deliberativae:* ut ita agatur, quasi suadeat aut dissuadeat orator faciendum aut non faciendum: quoniam accusatoris pars est utique, ut dissuadeat. Defensor vero haec omnia contraria actione convertet: quum ille *coniectura* usus fuerit, *coniecturaliter* respondeat: item contra persuasionem accusatoris fidem assumat argumenta officii. Ipsius autem *compensationis* contrarias partes tenebit: ut doceat utile, honestum, necessarium fuisse, quod fecerit; aut tanto opere (per gradum) utile fuisse, honestum, necessarium. Loci communes ab accusatore erunt duo; in eum, qui de turpi facinore confiteatur et quaerat aliquam defensionem; et alter ipsius inutilitatis et turpitudinis expressio cum indignatione. A defensore tres sunt; nihil per se turpe aut inhonestum putari, nisi animo facientis consideretur; alter amplificatio beneficii praestiti; tertius expositio ipsius et periculi et beneficii.

Ex quibus sunt iudicationes] Duae scilicet *iudicationes coniecturales*.

Aut haec comparativa, *cuius nunc indigemus*] Haec *iudicatio* propria est ipsius *compensativae* constitutionis.

Hoc causae genus] *Compensativum* scilicet.

Oportebit adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem atque praecepta] Si tamen incidant ceterae constitutiones. Istae enim constitutiones, quae in *assumptiva* sunt *qualitate*, possunt praecedentes omnes constitutiones recipere: ut haec nunc, quae *compensationis*

---

1. *ut si quid per* coniecturam *tractandum sit*, *prima parte tractetur*] In praecedenti editione male editum erat: *ut si quid per* coniecturam *tractandum*, *si prima parte tractetur*. Capp. (Recte *sit* Cod. Bas.)

Ibid. *non fuisse*] Cod. Bas. — *non obfuisse* Edd. Or.

3. *definitio*] Rhetorum vulgus *definitivum statum* vocat. Capp.

6. *finem*] *Definitivum statum* alias appellant. Capp.

14. *deliberativae*] Supple *materiae*, *partis*, vel *causae*. Capp.

19. *coniecturaliter*] Hoc est, secundum regulas et praecepta *status coniecturalis;* in quo scilicet facti, ut aiunt, quaestio instituitur. Capp.

28. *beneficii*] Excidit e Capp. Or.

est, habet et *finem* et *coniecturam*. Ideo quaecunque genera sunt quaestionum, suis constitutionibus tractanda sunt.

Ac maxime coniecturis *faciendis*] Ut per *coniecturam* (quae quasi incidens est) *compensatio* illa tollatur, qua is, qui accusatur maiestatis, utitur dicens periturum fuisse exercitum, nisi arma concederet.

Quod ii, qui accusabuntur, comparabunt] Ut periturum fuisse exercitum negemus; quod sumit hic, qui arma prodidit et instrumenta.

Aut si alia ratione] Quoniam superius duas rationes et duas *iudicationes* posuit *coniecturales: Non futurum fuisse, ut periret exercitus, et non hoc animo factum;* idcirco hic eandem rationem repetit, ut *coniecturam* dicat in hanc constitutionem tractandam.

Ex coniecturali *constitutione sumetur*] Quia partibus suis ipsa tractanda est.

Sin autem certo nomine maleficii] Ut nunc certo nomine reus est maiestatis. Potest enim sine certo nomine reus esse, et non statim ad *definitionem* adstringitur, quum criminis nomen nullum videtur adiectum.

Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in iudicium] Iam hic incipit incidentis ad hoc thema alterius *status*, id est, *finis* (quem *statum*, *finem* et supra posuit dicendo: *Quid sit maiestatem minuere*) praecepta tractare.

Sin aliud quoque aliquod genus] Quarumlibet constitutionum vel praecedentium vel sequentium.

Quam plurimis infirmet rationibus] Ut dicat non futurum fuisse, ut periret exercitus; aut aliter: *Non hoc animo fecisti, sed ut perderes, fecisti.*

Deinde oportet accusatorem illud, quod ipse arguat, ab eo, quod defensor comparat, separare] Post illa superiora, etiam hoc dicere oportebit, accusatorem contendere, comparare.

Et hoc extenuando maleficii magnitudinem simul adaugere] Ut extenues, quod praestitisse se dicit; augeas, quod admisit.

Deinde oportebit ipsam illam comparativam iudicationem *exponere tamquam causam* deliberativam] In omnibus *assumptivis qualitatibus* post omnia argumenta ex constitutione, quae sunt propria, locus extremus interponitur quasi *deliberativae* causae: in qua quaeritur, quid faciendum sit, ut ex hoc probetur, quid faciendum fuerit.

Tamquam causam deliberativam] Ut non *iudicialis* causa sit, sed *deliberativa*, et eodem genere agatur; quasi sola ipsa esset, id est, causa *deliberativa*.

---

7. *quod ii, qui accusabuntur, comparabunt*] Perperam editum fuerat: *hi accusabuntur, comparabunt;* emendavimus ex ipsis Tullii verbis. Capp. Cod. Bas. et St. sic: *hi qui accusabuntur.* Or.

23. *praecepta tractare*] Locum hunc intellectu difficilem reddiderat mala interpunctio, cui remedium attuli. Capp.

30. ∞ *comparet* Cod. Bas., ut Lamb. in Cic. Or.

40. ∞ *eodem modo - - ipsa sola - - in aliquam consultationem* Cod. Bas. Or.

Aliquam in consultationem] Ut *deliberativa*, non *iudicialis* causa sit: hoc est enim consultatio.

Defensor autem quibus in locis ab accusatore aliae constitutiones erunt inductae] Si accusator *coniectura*, retorto contra genere dicendi, *coniectura* defensor utetur: pari genere et *finem*, pari genere etiam *comparationem* ex contrario tractabit; ut quod ille inutile, hic utile; quod ille inhonestum, hic honestum dicat, et cetera his similia.

Loci autem communes erunt accusatoris in eum, qui quum de facto turpi aliquo aut inutili aut utroque fateatur] Qui dicit: *feci, sed profuit;* confitetur *feci*, et defensionem aliunde conquirit. In huiusmodi hominem vel reum dicit invehendum.

Relatio criminis est, quum reus id, quod arguitur confessus, alterius se inductum peccato iure fecisse demonstrat] Secundam speciem *assumptivae qualitatis relationem* posuit. Hanc definit per ἐννοηματικὴν definitionem. Quae constitutio tunc est, quum alterius peccato se fecisse reus dicit, quidquid admisit; huius exemplum subiecit: *Horatius, qui sororem suam flentem interfecit.* Et subiungit praecepta; primum, ut si qua constitutio ante ipsam *relativam* tractari possit, excutiatur circa ipsum, qui reus est: *Non hoc animo fecisti.* Hoc utique si factum est, et in *comparatione*. Deinde quoniam *relatio* refert actus ad alterum, ut se defendat; dicit enim: *feci, sed ille meruit;* necessario etiam hic ceterarum constitutionum ratio tractabitur. Quum enim coeperimus dicere: *Sed ille non meruit*, et *coniectura* esse potest et *finis* et quaelibet alia constitutio. Ergo accusator in defensione eius, in quem reus transferet crimen, tractabit alias constitutiones. Hoc pacto fit, ut, licet *relatio* sit constitutio, in hanc tamen adhibeamus alias constitutiones duobus modis; vel circa personam ipsius rei, *quo animo fecerit;* vel circa personam illam, in quam reus transferet crimen. Post haec igitur tractanda est ipsa *relatio* criminis, quam in praeceptis ab eodem subiectis cuivis facile est recognoscere: usque ad illam partem, quae semper, sicut in superiore praecepto traditum est, propositionem habet quasi deliberativam: quae ex utilitatis honestatisque partibus quid agendum est, quasi res in consultatione sit, declaratur. Defensor habebit cuncta contraria:

---

1. *aliquam in consultationem*] Legebatur olim per ὑφὲν *inconsultationem:* sed legendum esse *in consultationem* per ὑποδιαστολὴν satis patet. Capp.

4. — *const. inducentur* Cod. Bas. Idem omittit vv. *pari genere et finem.* Or.

5. coniectura *utetur* . . . *et* finem . . . . *tractabit*] Quid hic significent *coniectura* et *finis*, iam plus semel in praecedentibus exposui. Capp.

6. *comparationem*] Id est, *qualitatis assumptivae* speciem, cui nomen *comparatio* seu *compensatio.* Dicunt alias *comparativum* et *compensativum statum:* Graeci ἀντίστασιν. Sic autem describitur a Cicerone lib. I. comparatio *est, quum aliud aliquod alicuius factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum.* Capp.

8. — *inerunt* Cod. Bas. Mox idem: *aut utrumque.* Or.

15. ἐννοηματικὴν] Id est ad verbum, *sententiosam;* eo quod huiusmodi definitio ex ipsa ipsius rei idea desumatur. Capp.

20. *si*] Cod. Bas. — *sic* Edd. Or.

sed si incidentes constitutiones aliae fuerint, omnia ex earum diversa parte tractabit. Item per praecepta convertendo modum relationis ad suam partem argumentando deducit cum locis communibus tam accusatori quam defensori datis, quos ipse supposuit.

Postea si qua facultas erit] Ante *relationem* criminis et eius argumenta ceteris constitutionibus accusator et reum onerare debebit et eum defendere, in quem reus transfert crimen. Namque dici potest: *Quod fecisti, non hoc animo fecisti:* quod est alterius constitutionis. Deinde, *et ille, quem meruisse dicis, aut non meruit, aut non hoc pacto meruit:* quod utique aliarum est constitutionum. Ita antequam ex praeceptis *relationis* aliquid agamus, constitutionibus reliquis et circa rei personam uti possumus, ut eum arguamus; et circa personam eius, in quem crimen transfertur, ut eum defendentes reum accusare possimus.

Postea translationis *uti partibus*] Praescriptione: *Non tibi enim licuit occidere.*

Deinde negare debebit audiri oportere id] Ut dicamus: *Hodie tu audiendus non es; si quidem et tu illam, quam punitus es, audire noluisti.*

Et id, quod iudicatum non sit, pro infecto haberi oportere] *„Mentiris, quod dicis sororem flevisse: quia non est inde iudicatum."*

Nunc apud iudices accusent, quem sine iudicibus ipsi condemnarint] *„Modo crimen ingeris, posteaquam poenas sumpsisti de sorore."*

Ac si idem facere ipse, qui nunc accusat, voluisset, ne hoc quidem ipso quidquam opus fuisset iudicio] Ut et hic, qui Horatium accusat, potuisset sine iudicio eum quasi peccantem occidere.

Si vero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum] *Soritici* syllogismi fecit formam, qui in infinitum semper intenta rei definitione porrigitur; ut granum, cumulus, acervus; *Occidit Horatius, occideret accusator:* ita semper sine iudicio erit poena.

Potuisse hunc ipsum de illa sumere supplicium] Quasi de sorore.

Et de ea per amplificationem ex deliberationis *praeceptis dictio*] Ut dicas iustum, honestum, utile vel contra: quae omnia in *deliberationis* praeceptis tractantur.

Ut refelli et contrariam in partem converti possint] Ut quum supra, verbi causa, dictum sit ab accusatore, non debuisse a fratre interfici sororem, dicat hic magis a fratre debuisse.

Ut ne ab ipso quidem, qui fecisset, in dubium vocaretur] Ut negare non posset, quod admisisset; quod haec victoriam Romanam lugeret.

---

4. *supposuit*] Cod. Bas. — *supponit* Edd. Or.

18. *quam punitus es*] Pro τῷ *puniisti*; sic ipse Tullius loquitur in Miloniana. Capp.

29. *Soritici*] Σωρός enim cumulus, acervus. Capp.

31. *deliberationis*] Id est, *deliberativae* materiae vel partis vel causae. Capp.

Ex iudiciorum perturbatione] Quoniam non erat occisa iudicio, quae occisa est.

Remotio criminis est, quum eius intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium aut in aliud demovetur] Ἐννοητικὴ definitio. Haec tertia species *assumptivae qualitatis remotio* criminis dicitur, quae definita est sic: *Quum intentio facti removetur vel in alium vel in aliud.* Ipsa autem *remotio* nunc rei est, nunc causae: sed, si causa removetur, vel in hominem removetur vel in rem. Sin autem res removetur, tantum in hominem removetur vel ab homine. Causae *remotionem* in hominem docuit per exemplum de legato Rhodiorum: causae *remotionem* in rem in eodem exemplo ostendit, quum dixit: *mortuo quaestore si legatus viaticum non accepisset.* Verum praecepta tradidit, quibus uteretur accusator, quum argueret eum, qui causam facti in hominem removeret. Et est primum, ut accusator defendat eum, in quem culpa removetur: sed, si hoc non potuerit, dicat hoc iudicium aliud esse, illud aliud. Deinde dicat uni cuique suum esse officium; hunc non oportuisse peccare: illum reum esse posse; non debere tamen coniungi defensionem huius cum illius accusatione. Haec in *remotionis* partibus integris complendis accusatoris sunt. Defensoris autem haec: primum ut quaecunque accusator ex aliis constitutionibus argumenta fecerit, solvat: deinde accuset eum, cuius causa peccasse se dicit; deinde doceat se aliter facere nec potuisse nec debuisse; non potuisse, ex utilitatis partibus; non debuisse, ex honestatis: de utroque autem in *deliberativo* genere tractabit. Deinde dicat a se omnia facta esse, quae facere potuerit: percurret omnia vitae suae praeteritae dicta, facta, consilia; ut probet suam non fuisse culpam, quum hoc non impleverit. Quum vero causa non in hominem, sed in rem removetur, omnia eadem praecepta accusatoris et defensoris erunt: excepta vel accusatione hominis, in quem *remotio* fit, vel defensione. Rei *remotio* quum fit, dedit exemplum de adolescente, qui porcam tenuit. Removet enim a se factum et dicit non fuisse suae potestatis facere vel non facere. Hic nascitur illud novum, ut fiat *remotio* rei non in hominem, sed ab homine et exsistat constitutio ab accusatore, quum dicitur: *Quod fecisti, non tu facere debuisti.* Exemplum dedit de praetore, qui quum consules deberent, populum ad arma convocavit. Hîc praecepta dat, uti exprimamus, quid cuiusque sit potestatis, quid officii, ex utilitatis partibus et honestatis: et ut hoc probemus exemplis. Deinde adiungit locos commu-

---

4. *demovetur*] Cod. Bas. — *dimovetur* Edd. Or.

11. *remot. in rem*] Cod. Bas. Asc. — *remot. nostrae in rem* Cett. Or.

12. *mortuo quaestore si legatus viaticum non accepisset*] Ipsa quidem sententia Ciceronis est; sed aliis expressa verbis huiusmodi: *Si quaestor mortuus esset, et idcirco legatis pecunia data non esset.* Capp.

17. *oportuisse*] Cod. Bas. — *potuisse* Edd. Ceterum haec videntur esse truncata. Mox om. *tamen* Cod. Bas. Or.

30. *vel defensione. Rei remotio quum fit*] Perperam interpunctum antea fuerat: *vel defensione rei. Remotio cum fit.* Capp. (Rectam distinctionem habet Cod. Bas. Or.)

37. — *cuique* Cod. Bas.

nes (si qui esse possunt) aut indignationis aut conquestionis, ut uterque sibi pro suis partibus sumat.

In alium aut in aliud demovetur] Aut in personam aut in rem.

De utroque distinctius] Et de honesto et de utili.

Sin autem non in hominem certum, sed in rem aliquam causa demovebitur] Hucusque in personam; nunc in rem causa removebitur.

Accusatione alterius et culpae depulsione dempta, ceteris similiter uti locis oportebit] Dempta depulsione, reliqua talia perseverant in rem, qualia fuerunt in personam.

Ipsius autem rei fit remotio, quum id, quod datur crimini, negat neque ad se neque ad officium suum reus pertinuisse] Nunc remotio rei. Nam supra causae docuit remotionem et in hominem et in rem: sed remotio rei tantum in hominem fit, et fit duobus modis. Nam nunc remotio fit rei ab eo, qui reus est: nunc remotio fit rei ab eo, qui accusator est: quod erit novum, ut status ab accusatore nascatur; atque in hoc genere *remotivae constitutionis*, ubi tantum res, non causa removetur.

Concessio *est, per quam non factum ipsum probatur ab reo, sed ut ignoscatur, id petitur*] Quarta species est in *assumptiva qualitate concessio;* hanc definit ita: quum non factum purgamus, sed ut ignoscatur, petimus. Hanc partitur in duo, in purgationem et deprecationem; et purgationem definit ita, quum non factum purgamus, sed voluntatem. Id fieri dicit tripliciter: si aut imprudentes faciamus aut casu aut necessitate. Imprudentiae dat exemplum, de vitulo immolato; item casus, de eo, qui hostias praesto non habuit ad diem certum; item necessitatis, de rostrata navi in portu, ubi non licebat, inventa. Haec tria exempla idcirco iuncta posuit, quia eorum omnium similis praeceptio est. Namque ut et in superioribus, ita et hic primum *coniecturaliter* agendum ab accusatore; ut id, quod reus negat se voluntate fecisse, consilio factum doceat ac voluntate. Deinde subiungit *finitivi status* tractatum; qui, ut supra docuit, quadruplex est; definitio brevis, adstructio definitionis; et tertio loco, si asserit, deductio est definitionis ad speciem; si vero non asserit, separatio definitionis a specie. Quarto loco fit destructio definitionis partis adversae. Verum hic omissa destructione definitionis partis adversae, reliqua tria complebuntur, ut breviter definiat casum, imprudentiam, necessitatem; deinde adiungat approbationem definitionis per exempla; tertio loco separet a definitione, quod reus fecit, et id ostendat esse dissimile: quod sit eius facinus non ignorabile, non fortuitum, non necessarium. Demonstrabit post haec potuisse vitari, potuisse provideri: et id do-

8. *Dempta depulsione*] Male editum fuerat: *in tua depulsione*; nostram emendationem satis adstruunt haec Ciceronis verba: *et culpae depulsione dempta.* Capp. (Etiam Cod. Bas. *in tua d.*)

29. *coniecturaliter agendum*] Id est, adhibendo *statum coniecturalem;* seu eum, in quo facti quaestio instituatur. Capp.

39. *ignorabile*] Id est, per ignorantiam admissum. Capp.

40. *non necessarium. Demonstrabit post haec potuisse vitari*] Antea sic interpungebatur: *non necessarium demonstrabit: post haec potuisse vitari.* Capp. (Falsa distinctio est etiam in Cod. Bas.)

ceat, quemadmodum deinde adiungat accusator alteram definitionem, per quam nomina alia supponat imprudentiae, casui, necessitati; inertiam, negligentiam, fatuitatem. Post haec illud adiicit, uti excutiamus, ne forte necessitas habuerit turpitudinem; ut disputari possit mori melius fuisse, ne tantam turpitudinem subiremus. Post haec dicit adiungendum esse tractatum de iuris et aequitatis natura; de qua et in *negotiali qualitate* tractatum est, et maxime in *absoluta iuridiciali*. Quae duae *qualitates* solis videntur distare temporibus: nam rerum tractatu eodem continentur. Post haec dicit adiungenda exempla, si tamen facultas dabit, in quibus doceamus simili de causa nescio quibus veniam non esse concessam, et adiungamus illis fuisse magis tribuendam. Postremo ex partibus *deliberationis* turpe et inutile doceamus esse concedi; et magnum periculum futurum, quum tanta res admissa sit, si non fuerit a iudicibus vindicata. Contra haec defensor conversione utetur horum: maxime autem ut defendat voluntatem et augeat, quod voluntati fuit impedimento, et doceat nihil amplius se potuisse facere, quam fecit. Deinde inducat locum communem; *voluntatem spectari oportere*. Deinde conquestionem; *quum culpa careat*, *se affici supplicio; communem hominum esse infirmitatem*. Loci vero communes accusatoris hi sunt; *in eum qui confitetur;* et alter: *Peccandi licentia tribuitur, si non de facto, sed de voluntate quaeratur*. Defensoris conquestio est de calamitate; quod non culpa sua, sed vi maiore peccarit. Alter locus, de fortunae potestate et infirmitate hominum. Tertius locus, *animum*, *non eventum considerari*. Post haec exempla atque tractatus admonet, quod in omnibus exemplis supra positis leges sint. Unde necessario incidunt tractatus etiam legales: sed hoc negat esse mirandum; quod causarum genera quaedam simpliciter explicantur, quaedam coniuncta sunt. Unde, qui omnia praecepta cognoverit, quidquid perspexerit in exemplo, translatione locorum necessaria persequetur. Nam quum hic et leges sint, necessario quae legum praecepta sunt, complere debemus: de quibus post dicetur. Nunc tantum ea praecepta posuit, quae *concessioni*, de qua tractatus erat, convenirent. Si quid res ipsa dabit facultatis, *coniecturam* induci ab accusatore oportebit: ut dicat accusator per *coniecturam* aut prudenter fecisse aut non casu fecisse, aut non necessitate, sed voluntate fecisse. Atque tum ex his locis iuris atque aequitatis

---

3. *fatuitatem*] Hinc emendabis Tullii locum 2. Rhetoric. C. 32., ubi perperam legitur *facultatem*. Nam ibi Cicero alia tantummodo nomina supponit imprudentiae, casui, necessitati. Atque *facultas* non tantum aliud nomen, sed etiam alia res est a necessitate. Contra fatuitas necessitatis nomine posset obtegi. CAPP. (Recta lectio in Cic. iamdudum recepta est. OR.)

7. *in absoluta*] Supple *qualitate*. CAPP.

8. *solis videntur distare temporibus*] Quatenus qualitas *negotialis* pertinet ad futurum; *iuridicialis* autem ad praeteritum. Vide Hermogen. de *statibus*. CAPP.

12. *deliberationis*] Id est, *deliberativae* materiae, partis, causae cet. CAPP.

13. *concedi*] Supple *veniam reo*. CAPP.

19. — *homini* Cod. Bas. OR.

35. *prudenter fecisse*] Id est, scienter, consulto, de industria, non per ignorantiam: neque enim hic agitur de morali virtute, quam prudentiam vocant. CAPP.

naturam oportebit quaerere, et quasi in *absoluta iuridiciali* per se hoc ipsum ab rebus omnibus separatim considerare: quomodo convenit *negotiali absoluta qualitas* tractata rebus et distat tantummodo tempore: quia *negotialis* de futuro iusto agit; *absoluta* de praeterito.

Si aut in iis aut in aliis exemplis scripti quoque controversiam adiunctam videbit] Hoc praecepto ostendit incidere semper legales posse controversias constitutionibus principalibus; nec aliquando legales *status* posse *exsistere principales.*

Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur] Secunda pars *concessionis* deprecatio est. Hanc definit ita: *quum non factum defendimus, sed aperte veniam postulamus.* Hoc autem actionis genus non frequenter incurrit in iudiciis, sed in senatu aliquoties et apud populum: datque exemplum vel Quinti Numitorii vel Syphacis; ubi aperte, nulla alia constitutione, venia postulata sit. Subiungit praecepta: primo eius, qui ut ignoscatur, postulat; ut sua beneficia commemoret, si qua habuerit in vita praeterita; et ea doceat esse maiora, quam esset factum, unde reus est: deinde maiorum suorum beneficia ostendat: deinde dicat se non odio neque crudelitate fecisse, quod fecerit; sed stultitia aut alicuius impulsu: deinde polliceatur se alicubi profuturum: deinde ostendat se consanguineum magnis ac principalibus viris vel amicum: deinde amplitudinem suam et voluntatis et generis; et eorum voluntatem ostendat, qui de se iudicent; et omnia, quae personae amplitudinem honestatemque demonstrent: sed haec cum conquestione potius quam cum arrogantia. Post haec adiungere exempla debet, in quibus doceat aut simili de causa ignotum multis aut maiora delicta concessa: deinde doceat se in potestate item fuisse et id ignovisse quam plurimis. Postremo ipsum peccatum extenuare debebit et comparare; propter parvum admissum se hominem tali honore excellentem supplicio affici non oportere, quo afficiuntur ceteri, qui maiora committunt; haec confirmare locis communibus, qui ad captandam misericordiam in primo libro videntur expositi. Sed contra hunc, qui dicit, primum maleficium augebit: deinde dicet nihil imprudenter factum, sed crudeliter et inimice omnia, ipsum immisericordem, immitem, superbum, inimicum semper fuisse, amicum nunquam futurum: et si beneficia protulerit ille, qui veniam petit, is, qui contra dicit, docere debebit causa alia, non benevolentia praestita; aut aliud maius postea consecutum, et hoc malo

---

3. *negotiali*] Supple *qualitati.* Capp.

Ibid. *absoluta qualitas*] Quae utique *iuridicialis* est. Capp.

6. *scripti quoque controversiam*] Alludit ad primam *statuum* divisionem in *λογικόν, rationalem*, et *νομικόν, legalem.* Nam *τὸ scriptum* hoc in loco legem, testamenta ceterasque scriptorum species indicat, ut paullo post patebit. Capp.

8. *legales status*] Vide ut *legalibus* etiam controversiis nomen *status* tribuat ipse Victorinus. Quidam enim rhetores nonnisi de *rationalibus* controversiis nomen *status* usurpant. Capp.

11. *Hanc definit ita: quum non factum* cet.] Huius definitionis non ipsa quidem verba, sed sensus exstat apud Ciceronem. Capp.

36. *alia*] Asc. — *aliqua* Cett. Malim *aliqua alia*, ut p. 159, 5. Or.

37. *praestita*] Legebatur antea *praestitum*, quod ex ipsius Tullii verbis emendandum curavimus. Capp (*praestitum* etiam Cod. Bas.)

superiora beneficia deleta; aut leviora beneficia maleficiis; aut, ut honor habitus est benefactis, pro maleficio poena sumatur. Deinde ut per locum communem dicat turpe esse et inutile ignosci: deinde optatum fuisse, ut reus aliquando fieret, et nunc non vindicari. Postremo cogitare debere, quali animo circa eum fuerint et quali odio. Loci communes eius erunt: indignatio maleficii; et alter, ut eorum misereatur, qui fortuna, non malitia peccaverunt.

Nam in senatu et in consilio de Syphace diu deliberatum est] Ita hic docet postulatam esse veniam per deprecationem.

Nam semper animo bono se in populum Ro. fuisse non tam facile probabat, quum coniecturali constitutione uteretur] Ita excludebatur eius *coniectura*, qua factum negabatur; quod erga populum Ro. bono animo fuisset, et relinquebatur sola deprecatio.

Quoniam igitur in generali constitutione tamdiu propter eius partium multitudinem commoramur] Omnes quattuor constitutiones cum speciebus suis exposuit: supererat iam de controversiis *legalibus* disputari; sed quoniam partitus *qualitatem*, species ei duas dederat, iuridicialem et negotialem; ipsamque rursus *iuridicialem* dividens in *absolutam* et *assumptivam* species ei duas dederat; *iuridicialem* ipsam ita definierat, ut in ea aequi et iniqui natura aut praemii aut poenae ratio quaereretur; aequi et iniqui natura in omnibus exposita est supra tractatibus circa omnes species *iuridicialis*: unde nunc necessario admonet de poenae ac praemii ratione esse tractandum; quod multa exsistunt genera causarum ex praemii petitione, similiter et poenae. Nam Cicero de praemio tantum loquitur: nos tamen et ad poenae actionem, ratione tradita, praeceptum de praemio per similitudinem transferemus. Petuntur, inquit, praemia *et apud iudices et in senatu et in aliquo concilio.* Hic admonet, quod *in senatu* dixit, ne quis arbitretur de *deliberativo* dicendi genere sumptum esse tractatum, quum de *iuridiciali* genere dicendi omnis tractatus haberetur. Hoc, inquit, neminem moveat; quoniam et apud senatum, licet sententiae dictio sit (quod dicendi genus *deliberativae* convenit) tamen iuridiciale genus dicendi est aestimandum; quum et in senatu licet de probando homine improbandoque tractetur. Et omnino, inquit, ista tria genera causarum forma quadam et primo genere distant; altiore tamen et pleniore intellectu implicita sibi et connexa suis partibus continentur.

Nam et apud iudices de praemio saepe accusatorum quaeritur] Accusatoribus lege praemia dabantur, hoc ipso, quod accusabant. Exemplum dat Tullius nullo praemio adducti. Item: *non enim spolia C. Verris . . . . concupivi.*

Id non, si per sententiae dictionem agitur, deliberativum est] *Deliberativum* enim sic definierat, ut diceret: *Quum res posita in*

2. *hab. est*] Asc. — *hab. sit* Cett. Or.

8. *in concilio*] Perperam editum erat *consilio*. Nam hic agitur de populi Romani comitiis. Capp. (Errasse videtur Capp. Or.)

30. *iuridiciali*] Cod Bas. bis. — *iudiciali* Edd. Or.

39. *adducti*] Supple, *accusatoris*. Capp. — *n. p. adductus sum* Asc.

Ibid. *non enim spolia* cet.] In Verrem Lib. 3. ubi sic habet Tullius: *non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi Romani concupivi.* Capp.

consultatione civili habet in se sententiae dictionem. Ergo quum agitur in senatu de homine probando vel improbando, non *deliberativa* exinde dicenda est, quia habet sententiae dictionem; sed *iuridicialis* causa magis, quia de homine probando improbandoque tractatur.

Nunc de praemiis consideremus] Hinc dare praecepta incipit, quae servanda sunt, quum praemium postulamus: quod solum supererat de constitutione *iuridiciali* tractata, ut natura aequi et recti aut praemii aut poenae ratio quaeratur. Dat exemplum, in quo praemium postulatur, de eo, qui triumphum petit: post quod exemplum admonet neque hic neque in deprecatione nos facta *intentione* et *depulsione* et nata quaestione aut rationem inquirere aut depulsionem rationis, sed ipsam esse *iudicationem*, quae sit quaestio. In deprecatione, hoc modo: *Oporteatne affici poena;* in praemii petitione: *Oporteatne dari praemium.* Dividit ergo dicenda in praemii petitione in quattuor: in beneficia, in hominem, in praemii genus, in facultates: quibus singulis partes certas ipse supponit; simulque docuit locos communes, quos tantum in his partibus ex quattuor habemus, in praemii genere et in facultatibus. Hae enim duae partes affectus tenent et possunt audientes publicae rationis praemium et facultas plurimum commovere. Ac de constitutionibus quidem satis dictum est.

Nunc de iis controversiis, quae in scripto versantur, dicendum videtur] Constitutiones *rationales* esse *status* et in primo docuimus et ipsas esse principales. Hoc quemadmodum compleremus in dicendo, superiore tractatu docuit: sed quia sunt praeterea genera controversiarum, quae versantur in scripto, quae incidunt constitutionibus, quae ipsa quinque sunt; necessario etiam de his dat praecepta. Sunt autem controversiae quinque, ambiguitas, scriptum et voluntas, leges contrariae, ratiocinatio et definitio. Scripti autem controversia est, quum in quocunque scripto nascitur controversia; ut in legibus, testamentis, pactis, edictis et ceteris, quae in scriptura sunt. Ergo principalis est ambiguitas (quia ita ordinem fecit) cuius definitio adhibita est: *Quum, quid senserit scriptor, obscurum est;* ideo quia *duas aut plures res significat.* Huic exemplum dedit: *ut heres daret vasa caelata uxori, quae vellet.* Quoniam (ut diximus) constitutiones non sunt, sed inci-

---

7. *ut natura aequi et recti* cet.] Perperam editum fuerat: *tractata aut natura aequi et recti* cet. (Sic etiam Cod. Bas.) Nostram emendationem confirmant haec Tullii verba: *iuridicialem causam esse dicebamus, in qua aequi et iniqui natura, praemii aut poenae ratio quaereretur.* Capp.

10 *intentione*] Hoc est, *accusatione.* Capp.

Ibid. *depulsione*] Id est defensione, criminis infitiatione, refutatione cet. Capp.

25. *quae incidunt constitutionibus*] Id est, sunt veluti quidam *status* incidentes et accessorii, respectu habito ad *status rationales*, quos hic vocat principales. Capp.

27. *ambiguitas*] Graecis ἀμφιβολία. Vide Hermogenem in Opusculo *de statuum divisione.* Capp.

Ibid. *scriptum et voluntas*] ῥητὸν καὶ διάνοια. Capp.

28. *leges contrariae*] ἀντινομία. Capp.

Ibid. *ratiocinatio*] συλλογισμός. Capp.

Ibid. *definitio*] Supple, *legalis.* Nam alia est definitio pertinens ad *rationalem* illum *statum*, qui *definitivus* appellatur. Capp.

29. *ut in legibus*] Perperam legebatur *aut ;* quia scilicet ultimam praecedentis vocabuli (*controversia*) literam scriba imperitus iteraverat. Capp. (*aut* etiam Cod. Bas.)

dentes sunt controversiae, non constituit, quae sit *intentio*, quae *depulsio*, neque quae ratio et refutatio rationis et quae *iudicatio*: sed continuo dat praecepta, quae sunt parti utrique communia. Sunt autem haec; primum ut negemus ambiguum et doceamus locutionis ipsius consuetudinem; deinde ut superiora verba et inferiora consideremus, ex quibus colligamus, quae sit vera sententia; deinde excutiamus personam eius, qui scripsit, ut ex ceteris dictis eius, factis, scriptis, animo atque vita, quid senserit, possit intelligi; deinde excutiamus omne scriptum, ne in aliquo verbo aut nos adiuvet aut impugnet adversarium; deinde dicendum id, quod adversarius intelligat, minus commode fieri, quam quod nos intelligamus. Huic praecepto exemplum dat: *Meretrix coronam auream ne habeto; si habuerit, publica esto.* Hic enim tractari potest non bene sentire eum, qui publicandam dicit esse meretricem; quod publicae meretricis nullus exitus, nulla administratio est, hoc est, nullum quodammodo vectigal: in auro vero publicando magnam esse utilitatem. Post haec adiungit utilitatem praecepti, ut interpretemur, quanto utilior res aut honestior praetereatur, si id intellectum fuerit, quod adversarius interpretatur. Hoc autem apertius fiet, si id, quod nos interpretamur, doceamus esse honestum, utile, necessarium. Sed quoniam scripti controversia (sicuti supra docuimus) potest esse et in testamento, et hoc exemplum dedit; potest autem esse et in lege; adiecit praecepta, si ambiguitas fuerit in lege, uti quaeramus, ne forte, quod adversarii intelligant, alia lege cautum sit: deinde ut dicamus, quemadmodum scribi oportuisset, si id sentiret, quod adversarii dicunt, ille, qui scripsit. Huius praecepti et argumenti de themate supra posito sumpsit exemplum; ut doceat scriptorem (si heredi consulere vellet, ut ea vasa daret, quae illi commodum erat dare) non adscribere, *quae vellet.* Hoc enim non adscripto, quae heres vellet, ipse daret: nunc quia adscripsit, utrique eorum cautum voluit; quia hoc non adscripto, consuluisset heredi. Ergo concludit praeceptum in huiusmodi causis ita debere tractari: *Si hoc modo scripsisset, illo verbo usus esset, hoc non esset: isto loco verbum posuisset, aut non posuisset.* Deinde adiungit praeceptum, uti quaeramus, quo tempore scriptum sit, quod scriptum est; quia ex hoc intelligitur voluntas scriptoris: deinde quasi *deliberativo* modo tractandum, quid utilius, quid honestius sit; esse autem locos communes utrique parti, si quid per amplificationem dici possit.

---

14. *nullus exitus*] Sic Graeci ἐξόδου nomine vectigal et (ut vulgo loquimur) reditum quemdam intelligunt: unde apud beatum Athanasium ἀνέξοδος dicitur pauper, cui nullus reditus e bonis, qui nullam facere impensam possit cet. CAPP.

28. *non adscribere*] Id est, non adscripturum fuisse in testamento suo. Ceterum male editum fuerat *adscriberet*, etiam in edit. Basileensi. CAPP. (et in Cod. Bas.)

Ibid. *Hoc enim non adscripto*] Hinc emendare oportebit Ciceronis contextum, in quo sine particula negativa legitur: *eo enim adscripto, nihil inesse dubitationis, quin heres, quae ipse vellet, daret;* ubi certe legendum est: *eo enim non adscripto* cet. CAPP. (Iamdudum sic legitur apud Cic., ut voluit Capp.)

29. *utrique eorum*] Heredi videlicet et uxori, cui vasa legata sunt. CAPP.

30. — *quia hoc adscripto non consuluisset heredi* Cod. Bas. OR.

31. *causis ita*] Sic Asc. Cfr. Cic. 2, §. 121. — *causis non ita* Cett. OR.

Quod illius rei neque administratio] Quam adversarius dicit.

Nihil enim prohibet fictam legem exempli loco ponere] Fictam materiam, id est, *theticam* legem, sine certa persona.

Deinde si in lege erit ex ambiguo controversia] Non in aliqua alia scriptura.

Alia in lege cautum esse doceatur] Id est, quomodo tu intelligis.

Permultum autem proficiet illud demonstrare] Adiungit aliud praeceptum esse considerandum; quemadmodum scribi posset ab eo, qui scripsit, si sic sensisset, quemadmodum dicit adversarius.

Ex scripto et sententia controversia consistit] Legales controversiae sunt quinque, quae extra constitutiones tractatus suos habent: ex his Tullius primam tractavit ambiguitatem; scriptum et voluntas nunc explicatur. Scriptum autem omne accipere debemus quidquid aut in legibus aut in testamentis aut edictis aut in omnibus scriptis intelligitur. Hoc definivit ita: *Quum alter utitur verbis, quae scripta sunt;* alter scriptoris sententiam interpretatur et ad id, quod scriptum est, animum scribentis adiungit. Idem tamen, qui sententia utitur, duplici modo asserit sententiam scriptoris; aut enim semper dicit scripti eius unum eundemque sensum esse; aut ad tempus aut ex eventu accipi oportere id, quod sensit ille, qui scripsit. Dat exemplum quemadmodum unum et idem semper intelligatur in sententia scriptoris; quum heres secundus institutus interpretatur se heredem esse iustum, sive natus filius esset, ut is heres esset, qui natus fuerat: sive natus non fuisset, ut alius nullus esset quam ipse, qui secundus est institutus. Hanc sententiam unam memorat et semper eandem esse. At vero quum sententia scriptoris ita exponitur, ut ex facto aut ex eventu ad tempus interpretanda sit, docet omnes sub *qualitate assumptiva* partes in hoc genere contineri: in qua *compensatio* est aut *relatio* criminis aut *remotio* aut *concessio.* In his enim omnibus speciebus *assumptivae qualitatis* necessario lex praecedit: quae quum scriptum habeat, habebit et sententiam, quam is, qui ea utitur, dicit ad tempus accommodari. Dat exemplum et docet non ad idem spectare in his exemplis sententiam scriptoris, sed ex tempore semper intelligi. Post haec subiungit praecepta, quibus uti debet is, qui scriptum defendit, et is, qui scripto se tuetur. Sunt autem haec: laudes scriptoris; communis locus, in quo docetur nihil a iudicibus spectari oportere nisi scriptum; et

---

3. *theticam legem*] Id est legem, quae se habeat instar cuiusdam *theseos:* eo autem *thesis* ab *hypothesi* differt, quod *thesis* neque personam certam neque locum neque alias circumstantias, quae in *hypothesi* continentur, includat. Capp.

8. *posset*] Cod. Bas. — *possit* Edd. Or.

11. *constitutiones*] Hoc est, *status rationales*, quos principales vocat Victorinus. Capp.

27. *omnes sub* qualitate assumptiva *partes*] Id est, omnes illas quattuor species, quae sunt sub *qualitate assumptiva:* hic autem perperam legebatur (etiam in Cod. Bas.): *sub qualitate assumptivae partis;* quod utique emendandum erat. Capp.

35. *Sunt autem haec; laudes scriptoris* cet.] Perperam editum fuerat: *Sunt autem hae laudes scriptoris.* (sic etiam Cod Bas., sed Asc. recte. Or.) Nam pron. demonstrativum refertur ad praecedens v. *praecepta;* igitur legere oportet *haec.* Capp.

magis, si legitimum scriptum sit. Tertio loco debet inducere factum ab adversario: postea comparare cum scripto id, quod factum est: deinde dicere, quod iudex in legem iuratus sit: deinde interrogare, quid sit, quod ex adversa parte dicatur: modis autem variis interrogare, modo iudicem, modo adversarium, modo ipsum se cum admiratione interrogare; et interrogare haec: *utrum scriptum negetur esse sic, quemadmodum loquitur? et an ab adversario aliud factum sit, quam dicatur? an contra dici nihil possit?* deinde concludere: *quum scriptum ita sit et ab adversario factum et ita factum non negetur, quod summa stultitia sit contra dicere.* Deinde recitatio sequitur ipsius scripti frequens et comparatio facti cum scripto, vario modo; nunc ad te ipsum ut redeas; nunc ad iudices ista tractes. Sed ad iudices quum dicitur, ostendendum est, quid sequi iudices debeant; quod duabus de causis sit apud iudices dubitatio, si aut obscure scriptum sit aut adversarius aliquid neget: at hic utrumque manifestum esse; unde iudices parere legi oportet, non interpretari legem. Post haec subiunguntur ea, quae contra eum dicuntur, qui utitur sententia. Et quoniam supra diximus: *Sententia aut idem semper spectat aut ad tempus accommodatur;* si ad idem spectare dicitur sententia, ille, qui scripto nititur, dicit non oportere nos de voluntate quaerere, quum scriptum exstet, quod indicium est voluntatis; deinde incommodum esse, si hoc instituatur, ut ab scripto recedatur: nam sic nec scriptores ratum futurum credent, quod scripserint, et iudices incertum sequentur, si a scripto recedere coeperint; deinde dicere magis voluntatem eum sequi, qui scripta defendat quam eum, qui interpretetur; certius enim indicium esse voluntatis ipsum scriptum. Haec adversus eum, qui sententiam semper ad idem spectare dicit. Sin autem ad tempus accommodari sententiam dicet adversarius, debet ille, qui scripto nititur, negare iustum esse, ut, quum aliquis se contra legem fecisse fateatur, afferat causam vel temporis vel eventus vel aliam similem. Deinde debet dicere semper accusatorum fuisse, ut, quum crimen intenderent, facti causam afferrent: nunc reorum esse, ut, quum fecerint, quod non licebat, facti sui afferant causam. Post haec tres locos debet asserere, qui pro scripto nititur: sunt autem hi: *nulla in lege causam contra scriptum accipi; in hac lege non accipi; hanc causam minime accipi.* Haec, uti dixi, debet asserere: ac primum illud (*in nulla lege causam accipiendam esse*) habebit haec praecepta: quod scriptori neque ingenium defuit ad invenienda omnia neque sermo ad proferenda; si aliquid exci-

---

1. *si legitimum scriptum sit*] Hoc est, interprete ipso Tullio, aut lex ipsa aut ex lege aliquid. Capp.

3. *quod iudex in legem iuratus sit*] Id est, se legem esse religiose observaturum. Capp.

22. *nam sic*] Ald. — *nam si* Capp. — *nam nec scriptorum actum futurum credentes se et sibi debebunt interpretari habere quod scripserint et iudicium incertum sequeretur* Cod. Bas. Or.

24. *deinde dicere*] supple, *debet orator;* idque ex antecedentibus. Capp.

37. *in nulla lege causam accipiendam esse*] Ex antecedentibus supple, *contra scriptum;* hoc est contra legem, contra formalem (ut aiunt) legis dispositionem. Capp.

piendum putaret, esse consuetudinem scriptoribus excipere. Hoc probabit, si recitet leges, quae habent exceptionem. Erit autem vehementius, si eius ipsius scriptoris aliam legem recitet aut in ipsa lege aliquod caput inveniat, quod excipiat. Deinde quasi per definitionem inducere: *quomodo nihil aliud est causam accipere, nisi legem tollere;* idque fieri, si causa accipiatur, quae extra legem est; id est, extra scriptum. Deinde, omnibus peccandi licentiam dari, si causa semper accipiatur; et iudicibus errorem mitti, quum a scripto recesserint et semper causas sequantur, quae scriptae non sint: omnes cives, quid agant, ignoraturos, si ex suo quisque consilio agat et causam legi applicet. Postremo hos locos inducet: quod omnes actus rei publicae legibus exerceantur; quod hi iudicent; quod a negotiis suis absint; quod iurent in verba certa; quod nullam excusationem aut aliquam causam recipiant, qua, quum teneatur ad iudicandum, abesse possit, nisi si eadem causa utatur, quae sit in ipsis legibus instituta: quod si omnes legibus teneantur, iniquum esse adversarios non teneri. Deinde per argumentationem illam, quae inductio nominatur, explicare: an permittant iudices ad legem addi eam causam, qua se tuetur adversarius: quod si ipsi non permittant, aut etiam si velint ipsi addere, populus non sinat: si neque ipsi neque populus permittat addi causam, iniquum esse, ut hodie ita iudicent, quasi iam causa legi videatur adscripta; indignum esse derogari legi aut abrogari legem aut ex aliqua parte mutari; [derogari est in vituperationem venire; abrogari totam penitus tollere; tertium vero est, quum pars aliqua commutatur et vertitur.] Deinde adiungere, populum hodie nihil scire; iniquum esse, ut illo invito et ignaro aliquid de legibus iudicetur; esse certum ferendae legis tempus: quod si aliquis hanc legem ferat, scire se velle; ut si aliquid sit captiosum adversariumve, contra dicat; esse turpia et inutilia haec, quae adversarii dicunt. Nunc legem, qualiscunque sit, debere servari: post populo si displiceat, licentiam commodari, ut vel abroget vel corrigat legem. Deinde postremo loco concludet neminem permissurum fuisse de populo, ut adversarius hanc causam adderet legi, etiam si sine alicuius periculo hoc fieri posset.

Tum semper ad idem spectare et idem velle demonstratur] Semper hoc esse in hac lege, quod senserit scriptor: ut quod nos sensisse scriptorem dicimus, id est, ad quam sententiam scripta verba accommodamus, ipsa semper sit: neque aliquo tempore mutetur, ne

---

1. *excipere*] Hoc est, uti exceptione, exceptionem adhibere, proferre cet. Capp.

8. *errorem mitti*] Fortasse: *immitti*. Or.

12. *quod a negotiis suis absint*] In editione Basileensi legitur *qui*. Capp.

14. *qua, quum teneatur ad iudicandum* cet.] Subauditur. *iudex quisquam*, ut patere satis potest ex illis (ad quae Victorinus alludit) Tullii verbis: *quaerere a iudicibus, cur in certa verba iurent; cur certo tempore conveniant, certo discedant; nihil quisquam afferat causae, quo minus frequenter operam rei publicae det, nisi quae causa in lege excepta sit.* Capp.

19. *populus non sinat*] Asc. — *populus sinat* Cod. Bas. St. Ald. — *an populus sinat* Capp. ex coniectura. Sed praestat Ascensianae negatio. Or.

exsistat aliquando diversa. Interdum, inquit, is, qui se sententia defendit, contra scriptum sic dicit: hoc sensisse scriptorem, ut non semper idem sit, quod sensisse dicitur: sed pro tempore, pro eventu sit alia atque alia sententia: et his duobus praeceptis supponit exempla.

Semper ad idem spectare, hoc modo] Unius partis vel praecepti et tractatus exemplum.

Antequam in suam tutelam venerit] Intra annos quattuordecim, quibus expletis potest facere testamentum.

Cum eo, qui est heres] Secundus scilicet, et tunc heres, si filius, ante quam in suam tutelam veniat, moriatur: in hoc genere non potest hoc dici; quod interpretatur, scripti semper eandem esse sententiam, non ad tempus accommodari.

Qua fretus et ille, qui contra scriptum dicit] Id est, secundus; qui secundus [de] numero factus heres, ab agnatis scripto ab hereditate summovetur: quia secundus scriptus quum sit, non nato filio, secundus non est.

Quae in omne factum idem valeat] Non quod supra, sed hic pro tempore, ut quid fiat, lex senserit.

Quod prope muros castra hostes haberent] Probavit hucusque *compensativam* subesse interpretatae voluntati contra scriptum, quum voluntas spectatur ex tempore; subiungit et *relativam* subesse.

Tum remotio criminis] Adiungit nunc et remotionem criminis subesse interpretatae voluntati contra scriptum, quum voluntas mutatur, ut ad tempus sit: supponit etiam quartam speciem *assumptivae*, id est, *concessionem* ei subesse.

Tum concessio per purgationem] Quia *concessio* in purgationem et in deprecationem dividitur: sed deprecatio non subest. Purgationem speciebus suis subiicit.

Quare aut ita sententia inducetur, ut unum cet.] Redit ad conclusionem duorum praeceptorum supra positorum, quum voluntatem interpretamur contra scriptum.

---

7. *Antequam in tutelam suam venerit*] Primo deerat hic praepositio *ante* et legebatur tantummodo *quam:* deinde haec Tullii verba cum Victorini commentario permixta et confusa fuerant. Capp.

8. ∞ *impletis* Cod. Bas. Idem *suam tutelam;* Edd.: *tutelam suam.* Or.

9. *Cum eo, qui est heres*] Haec etiam Ciceronis verba commentario Victorini commixta erant. Capp.

11. *esse*] Accessit e Cod. Bas. Or.

13. *Qua fretus* cet.] In praecedenti editione verba haec non erant a Victorini commentatio separata. Capp.

14. ∞ om. *de* Cod. Bas.

20. *compensativam*] Supple, speciem *qualitatis assumptivae.* Alias vocatur comparatio. Capp.

21. *quum voluntas spectatur ex tempore*] Mala totius loci huius interpunctio difficilem intellectu sententiam effecerat. Capp. (— *in tempore* Cod. Bas.)

Ibid. *relativam*] Supple, speciem *qualitatis assumptivae.* Alias dicitur *relatio criminis.* Capp. (— *relationem* Cod. Bas.)

24. *quum voluntas mutatur ut ad tempus*] In editione Basileensi legitur: *ad tempus fit.* Capp. (Cod. Bas. Asc. St. Ald. habent *ut ad tempus sit.* — om. *sit* Capp. Or.)

28. *purgationem speciebus suis subiicit*] Quae sunt imprudentia, casus, necessitas. Capp.

Ergo is, qui scriptum defendet] Hinc incipiunt praecepta, quibus uti debeat is, qui se defendit scripto.

Quid factum] Ab eo scilicet, qui ex legis verbis arguitur.

Quid iuratus iudex] Id est, in quam rem iuratus iudex sedeat, hoc est, in leges sedeat iuratus.

Si neutrum neget] Id est, aut scriptum esse legem, aut hoc idem se fecisse.

Contra autem dicetur, si aut prorsus aliud sensisse scriptor et scripsisse aliud demonstrabitur] Contra autem dicetur ab eo, qui se contra istum, qui scripto nititur, voluntate defendit: sed huic nunc locos dat, non quo ad eius partes iam transierit, verum ut intelligamus, contra quos locos eius, qui se voluntate defendit, respondere possit.

Aut si causa assumptiva *inferetur*] Quoniam quum ad tempus voluntas scripti accipienda ostenditur, necessario per *assumptivae qualitatis* speciem argumenta sumuntur.

Si aliud sensisse scriptor, aliud scripsisse dicitur, is, qui cet.] Prima pars, qua is utitur, qui se voluntate defendit, contra quam nunc praecepta dat scriptori.

Sin causam afferet is, qui a sententia stabit] Secunda pars, qua utitur is, qui voluntate se defendit, contra quam nunc praecepta dat scriptori.

Sin causam afferet is, qui a sententia stabit, primum erit cet.] Dictus primus locus est ab eo, qui scripto nititur, per partes suas: qui per praecepta sequitur, secundus locus est; in quo ostenditur, si in ceteris legibus causa accipiatur, in hanc legem causam accipi non oportere. Hoc ut probari possit, demonstrandum est, quia lex vel scriptum quodlibet ad res maximas, utilissimas, honestissimas, religiosissimas pertineat: unde inutile, turpe, nefas esse doceatur, legi tam diligenter scriptae non obtemperari. Deinde docendum, quod omnia cauta in hac lege sint et prospecta et excepta, quae excipienda, perspicienda cavendaque esse videbantur. Subiungitur tertius locus, in quo docetur hanc causam accipi non oportere. In quo, quoniam adversarius, qui contra scriptum dicet, aliqua aequitate se tuetur, laborandum est, uti doceat, qui se scripto defendit, illud aequum non esse, quod adversarius dicit: quo loco bene tractato, ut doceat aequum non esse, efficiet, ut non oporteat concedere adversario. Nam superiores loci hoc egerant, quasi non liceret id fieri, quod adversarius vellet. Hic autem locus

---

6. *aut scriptam esse legem*] Perperam legebatur *scriptum*. Capp. Immo recte. *Scriptum* h. l. est nomen substantivum, sicque habet etiam Cod. Bas. Or.

8. *si aut prorsus aliud sensisse*] Hinc emendandus est hic locus in Cicerone, apud quem legitur: *si aut prorsus aliquid sensisse*. Capp.

10. *qui se . . . . voluntate defendit*] Supple *legislatoris*, *testatoris*, *scriptoris* cet. Capp.

29. *demonstrandum est quia lex . . . . pertineat*] Hoc in loco τὸ *quia* non est causale, sed simpliciter declarativum; quo sensu saepe etiam sumitur Graecorum illud ὅτι, vulgo *quod*. Capp.

36. *efficiet*] Cod. Bas. — *efficiat* Edd. Or.

37. *egerant*] Cod. Bas. — *agebant* Edd. Or.

(ut dixi), in quo docetur aequum non esse, quod adversarius dicit, demonstrabit eum non oportere audiri: quum iustum non videatur esse, quod dicit. Deinde descendendum erit ad *assumptivae qualitatis* species per tractatus ab eo, qui scripto nititur, uti per ea praecepta, quae supra data sunt, *compensationis* et *relationis*, *remotionis*, *concessionis* explicet locos partis suae, qui nititur contra eum, qui se voluntate defendit, supponendo causam ex locis *assumptivae qualitatis*: deinde rationes afferendae sunt et causae, quare aut in lege aut in testamento ita scriptum sit, quod scriptum est: ut ex hoc modo non scripta tantum defendere, verum voluntates interpretari videatur ille, qui scripta defendit.

Primum nulla in lege ullam causam] Praecepta partitionis, quibus uti debeat is, qui se scripto defendit.

Prima pars his fere locis confirmabitur] In nulla lege causam accipi oportere.

Deinde item quaerere] Hoc tantum per inductionem, ut ex eo, quod conceditur, id, quod non conceditur, concludatur.

Secunda pars est, in qua est ostendendum, si in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere] Secunda pars incipit de partitione eius, qui contra sententiam scriptum defendit.

Si quid igitur ex hac ipsa quidpiam accusator deroget] Id est, aequitate. Quoniam ille, qui se sententia defendit, contra scriptum aequitatem debet asserere, necessario is, qui se scripto defendit, debet rursus detrahere aequitati.

Contra scriptum autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem aequitas causae demonstretur] Nunc tractatus est eius, qui voluntate se tuetur contra scriptum, quod supra tractatum est; isque inducet primum locum aequitatis, ut ostendat, quae et qualis illa sit causa, quam adhibet, per interpretationem legis: deinde *assumptivae partis* cuiusque praecepta servabit dicens: *Hoc quidem scriptum in lege est; sed ego feci, ut prodessem*; vel reliqua, quae *assumptivae* sunt *qualitatis*; ut facta ipsa sua enumeret et exsequa-

---

4. assumptivae qualitatis *species*] Quae sunt *compensatio* (seu *comparatio*), *relatio*, *remotio et concessio*; de quibus iam supra dictum est. Capp.

Ibid. — *tractatum.* Cod. Bas.

5. *data*] Cod. Bas. — *dicta* Edd. Or.

10. *non scripta tantum defendere*] Particulam *non*, quae hic deerat, restituimus primo quia Ciceronis verba, ad quae Victorini commentarius refertur, sic habent: *quare . . . ita sit . . . . scriptum, ut sententia quoque et voluntate scriptoris, non ipsa solum scripturae causa confirmatum esse videatur;* secundo quia Victorinus ipse sic loquitur in consequentibus: *quemadmodum illi ipsi supra, qui se scripto defendit, ita praeceperat, ut non sola verba amplecteretur, sed etiam scriptoris ostenderet voluntatem.* Capp. (Est *non* in Cod. Bas. Asc. Or.)

21. *Siquidem igitur ex hac ipsa* cet.] Apud Ciceronem legitur: *si quid igitur* cet. Capp. (Et sic recte Cod. Bas. Or.)

32. *quae assumptivae sunt qualitatis*] Et quidem in ea specie, quae vocatur *compensativa*, *compensatio* et *comparatio;* de qua in praecedentibus dictum est non semel. Capp.

Ibid. *ipsa sua*] An *ipse sua?* Or.

tur: deinde tres illos compleat locos ex adversa parte, quibus usus est is, qui scripta defenderat: hic ex contrario doceat in omnes leges accipi causas; et in hanc legem accipi debere; et hanc causam accipi debere; in omnes leges accipi causas; in hanc non accipi; iniquum aliquid constitui; ut omnia supplicia culpae et malitiae vindicandae causa constituta sint; nunc se nihil malitiose fecisse: ipsum scriptorem, si hodie praesens esset, factum suum probaturum: aut si ipse hoc ageret, facturum fuisse: hac de causa viros bonos electos et dignitate et aetate, ut non scripta legis recitarent, sed interpretarentur: ipsum legis scriptorem non barbaris hominibus ac stultis commisisse scripta sua. Nam si hoc crederetur, diligenter cuncta exsequeretur: nunc quaedam posuisse, ex quibus etiam non scripta cognosci possunt per intellectam voluntatem. Postea dicendum est, quid fieri potuisset aut quid accidere potuisset: in quibus causa quum collocatur, ostenditur recedendum fuisse a scriptis propter vel necessitatem vel honestatem: omnes leges comprehendere omnia non posse, quae velint exprimere vel excipere; sed esse naturaliter in legibus cunctis tacitas exceptiones: deinde locum hunc debebit exsequi, quod neque sermo hominum neque scriptum aliquod plane se exprimat aut eloquatur voluntatem; sed semper exspectari ex scriptis reliqua, quae in voluntate intelligi possunt: deinde utilitatis et honestatis partes explicandae sunt; in quibus docebimus, quid nos fecerimus et quid adversarii velint; ut nostrum utile, adversariorum inutile demonstretur. Deinde locum communem debemus inducere: *non literas sequi nos oportere, quae et tenues et obscurae sunt notae voluntatis, sed ipsam illam voluntatem:* deinde inducere definitionem, quid sit lex; et sic definire, ut haec potius voluntas quam scriptum videatur; meritoque iudices inserviant legi, qui voluntatem legis interpretantur: iniquum esse affici supplicio eum, qui non aperte contra legem fecerit, sed ex aliqua ratione utilitatis rei publicae. His rationibus et rebus tres illi loci approbantur, qui sunt contrarii superioribus tribus; uti doceamus et accipi causam in omnibus legibus, et in hanc legem accipi, et hanc causam accipi. Praeterea operam dare debemus, ut etiam scriptum ipsum, si quo pacto possumus, convertamus; ut id videatur tenere verbis, quod nos interpretamur; faciamusque tale aliquid, quale supra fecit, qui scripto nititur, ut ad scriptum applicet voluntatem. Sic hic, qui voluntate nititur, in scripto debet aliquid invenire, quod interpretetur a se, quod conveniat voluntati. Id faciet, si ambiguum aliquid in scripto invenerit aut per *collectionem* ex eo, quod scriptum est, id, quod scriptum non est, ostenderit: sic fieri ut, quum leve nescio quid invenerit in scripto, tamen, quum aequitatem ostenderit in sua causa esse, plurimum proficiat: et subducet

---

5. — *constituet ut* Cod. Bas.

11. *exsequeretur*] Scil. scriptor. Sic Cod. Bas. — *exsequerentur* Edd. Or.

39. *per* collectionem] συλλογισμόν, id est, ratiocinationem; qui *status* unus est ex quattuor legalibus: de eo pluribus mox agetur. Capp.

41. *plurimum proficiet*] Malim legere *proficiat*, idque ob praecedentem particulam *ut*, e qua pendet huius propositionis verbum. Capp. (Scripsi *proficiat* contra Cod. etiam Bas. Or.)

adversario argumentum suum, in quo ille posuit: *scripta tantum iudices sequi debere;* quum et hic docere coeperit in scripto esse aliquid, quod prosit ei voluntati, quam interpretatur. Postremi sunt loci communes, qui sumi poterunt ex partibus *assumptivae qualitatis;* quod supra diximus. Verum erit proprius locus eius, qui scripta defendit: *leges ex se intelligi debere, non ex utilitate interpretantium;* deinde erit alter: *nihil legibus carius esse debere:* at vero erunt alii loci communes eius, qui se voluntate defendit: *leges in consilio scriptoris esse et utilitate communi:* deinde, *indignum esse aequitatem literis premere et urgere, quum aequitas magis voluntate cernatur;* ex his locis, quos tres in partitione supra posuit: et accipi causam, et in hac lege accipi, et hanc causam accipi. Repetit per *anacephalaeosin* in conclusione tres illos, quos in partitione poni locos dixit: et pro scripto et contra scriptum aut ex scripto non scriptum aliquod inducere, id est, *syllogistice* tractare.

Quum aequitate causa abundabit, necessario multum proficiet] Fit et hic conclusio, ut et is, qui se voluntate defendit, operam det, ut ipsum scriptum pro se faciat; vel ambiguo aliquo reprehenso verbo: vel ceteris, ut non voluntate tantum, sed etiam scripto niti videatur: quemadmodum illi ipsi supra, qui se scripto defendit, ita praeceperat, ut non sola verba amplecteretur, sed etiam scriptoris ostenderet voluntatem.

Loci autem communes certis ex assumptionis *partibus in utramque partem convenient*] Ut aut *removeat* aut *compenset* aut *referat* aut *concedat.*

Ex contrariis autem legibus controversia nascitur, quum inter se duae videntur leges aut plures discrepare] De legalibus controversiis tertia est, quae ex contrariis legibus constat. Nam dicta est ambiguitas: dicta etiam controversia, quae constat ex scripto, et voluntate. Contrariae vero leges nunc duae sunt, nunc plures, nunc una: si duplex est (quamquam etiam una simplex facere leges contrarias potest) at una duplex facit leges contrarias, quum una pars nititur legis parte, altera rursus alia legis parte dimicat et repugnat. Apud rhetores est ista controversia: *Rapta raptoris mortem aut indotatas nuptias optet;* ut rapta una parte nitatur ac dicat mortem se optare debere raptoris; altera nuptias inducat, ac fiant leges con-

10. ∞ *magis in voluntate* Cod. Bas. Asc.

24. *removeat*] Id est, utatur orator eo *qualitatis assumptivae statu*, qui dicitur *remotio criminis.* Capp.

Ibid. *compenset*] Hoc est, adhibeat eum *qualitatis assumptivae statum*, cui nomen *compensatio* (alias *comparatio.*) Capp.

Ibid. *referat*] Id est, faciat eum *qualitatis assumptivae statum*, qui vocatur *relatio.* Capp.

25. *concedat*] Hoc est, factum concedat et sic utatur eo *qualitatis assumptivae statu*, qui appellatur *concessio* (alias *status venialis* et *deprecativus*, Graece συγγνώμη). Ceterum hic perperam legebatur *concludat*, etiam in Editione Basileensi: sed legendum esse *concedat*, satis liquet ex iis, quae supra dicta sunt in Victorini Commentario ad Lib. I. huius operis, ubi de *concessione.* Capp. (*concludat* etiam Cod. Bas. et Asc.)

trariae ex duplici parte legis. Item una lex contrarias leges facere potest, hoc modo: Quum lex est, *ut vir fortis petat praemium quod volet*, et duo adolescentes filii fortiter fecerunt; petit praemii nomine unus, ut pater eius, qui reus factus fuerat proditionis, ante iudicium liberetur; alter petit, ut agatur iudicium. Ita ex una lege, diversa petentium voluntate, leges contrariae esse dicentur. Verum his omissis Tullius definit, quid sint leges contrariae: deinde ponit exemplum de eo, qui tyrannum occiderit, ut praemium accipiat: deinde alteram legem proponit, ut tyranno occiso quinque proximi sanguine interficiantur: deinde reliqua praecepta dat communiter in utramque partem. Etenim quum ambae partes lege nitantur, quae praecepta data fuerint uni parti, ad alteram partem, quae etiam ipsa lege nitetur, praecepta eadem transferentur: eritque uni cuique parti hoc principale, ut suam legem laudet, adversarii vituperet, reprehendat. Erit ergo tractatus talis, utra utilior lex sit, utra honestior, utra magis necessaria, utra ad res plures pertineat, utra ad maximas, utra lex posterior sit; melior enim quae posterior: utra lex iubeat, utra permittat, utra vetet: (nam iubet: *Desertor capite puniatur;* permittit: *Adulterum cum adultera liceat occidere:*) deinde utra lex poenam constituat ei, qui non obtemperet, utra maiorem poenam: deinde utra lex iubeat, utra vetet. In eo enim, quod iubetur et permittitur, quasi unum genus sit; contrarium est in eo, quod vetatur. Verum in eo quod imperatur et permittitur, sit diversitas, quam supra posuit; quum illic est necessitas, hic utendi voluntas: at his duobus contrarium est, quod vetatur: ut, *Infamis ne militet:* ut, *Impudicus ne concionetur*. Maior est autem auctoritas legis, quae vetat, quam illa, quae imperat. Omnis enim lex, quae vetat, fortior propterea, quia corrigit illam, quae aut permittit aut imperat. Etenim quum omnem hominem ad concionem venire liceat et sit haec lex, quae quasi permittat, haec, quae vetat (*Infamis ne concionetur*) corrigit illam legem, qua aut iubetur aliquid aut permittitur. Deinde considerandum, utra lex de parte constituta sit, utra de omni vel re vel actu, utra lex specialiter scripta sit, utra generaliter; melior enim, quae de specie scripta est, non communiter; et est communiter, ut, *Hominem occidere ne liceat*; specialiter: *Virum fortem occidere ne liceat*, et alia huiusmodi. Deinde considerandum, ex qua lege statim fieri aliquid aut non fieri necesse sit; et ex qua sit aliqua tarditas. Nam est tarditas, ut in illa lege: *Legatus intra diem trigesimum proficiscatur*. Haec omnia quum dicta fuerint, operam dare debet una quaeque pars, quae pro lege sua nititur, uti doceat legem suam et iustam esse et apertam, adversariorum autem vel iniustam vel obscuram vel ambi-

1. *contrarias leges*] ἀντινομίαν Graeci rhetores vocant. Capp.
7. *leges contrariae*] ἀντινομία dicitur a Graecis rhetoribus. Capp.
10. *proximi sanguine*] Asc. — *pr. facile* Cod. Bas. Edd. cett. Os.,
13. *transferentur*] Cod. Bas. — *transferuntur* Edd. Os.
22. *genus sit - - sit d.*] Videtur leg. *genus fit - - fit div.* Os.
28. *corrigit*] Cd. Bas. Asc. St. Ald. — *corrigat* Capp. Os.
39. *debet*] Sic scripsi. — *debeat* Cd. Bas. Edd. Os.

guam: aut ratiocinatione colliget, quod velint adhibere aliquam definitionem adversarii, ut intelligi possit, quid in lege sit; in nostra autem lege omnia esse manifesta. Deinde debemus adiungere voluntatem, ut ad scriptum voluntas quoque interpretata consentiat; dare etiam operam, ut adversariorum lex contrariam habeat voluntatem. Et si fieri potest, adversariorum legis ita est interpretanda sententia, uti paene etiam ipsa lex adversariorum per sententiae interpretationem pro nobis facere videatur, ut ambae leges nostrae sint partis: una nostra per scriptum; adversariorum per voluntatem. Postremi sunt loci communes, qui in legibus contrariis sumi possunt, ex utilitate et honestate legis cuiuscunque.

Ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur] Praeceptum hoc est: comparandas leges esse, utrum inter se duae vel tres discrepent leges; et si servari non possunt ambae, quia discrepant, ea maxime conservetur, quae sit in comparatione utilior, honestior, magis autem necessaria.

Ex ratiocinatione nascitur controversia, quum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur] Ratiocinatio syllogismus dicitur; controversia legalis est: habet tractatum, quum ex eo, quod scriptum est, id, quod scriptum non est, colligitur. Cicero ait: *Quum ex eo, quod uspiam sit, ad id, quod nusquam scriptum est, pervenitur:* et habet modos suos, quibus comprehendatur, vel simile quum colligimus vel quum minus colligimus ex maiore vel quum consequens. Dat exemplum: sed haec in Marcomanno exempla sunt posita; dat exemplum Cicero de eo, qui damnatus parricidii in carcere testamentum fecerit. Nulla quidem lex testamentum facere prohibet eum, qui damnatus sit parricidii: sed sunt aliae leges, quae multa facere prohibent parricidii reum et damnatum; ex quibus colligitur etiam hoc, faciendi testamenti illum non habuisse potestatem. Item multae leges sunt testamentorum faciendorum, ex quibus iterum colligitur, hunc faciendi testamenti potestatem non habuisse: tractatus vero habet et locos argumentorum tales: primum ut scriptum laudemus et confirmemus: deinde conferamus cum eo facto, quod colligimus ad scriptum: deinde ut simile esse doceamus: deinde ut, si illud aequum sit, hoc quoque aequum esse iudicemus: deinde ut dicamus, cur de hoc scriptum sit, quum de alio scriptum non sit; quod quasi manifestum fuerit ex eo, quod scriptum est, etiam id, quod scriptum non sit; et idcirco a scriptore legis praetermissum esse videatur: deinde doceamus in multis legibus multa praeteriri; sed accipi haec, ac si non sint praeterita, ex iis scilicet, quae scripta sunt. Haec dicit,

---

16. *magis autem*] ∞ *aut magis* Asc. Malim *magis etiam*. Or.

22. ∞ *venitur* Cod. Bas. Asc.

23. *vel quum simile colligimus*] Editum fuerat: *vel simile quum colligimus;* inverso, ut videtur, ordine. Capp. (Transpositio vv. necessaria non erat. Or.)

24. *in Marcomanno*] Nomen est antiqui Rhetoris, de quo vide Sulpicium Victorem, Curium Fortunatianum et ipsum Victorinum in Lib. I. huius operis. Capp.

36. *cur de h. s. sit, quum*] Cod. Bas. — *quum de h. s. sit, cur* Edd. Or.

qui utitur collectione. Qui contra pugnat, ante omnia laborare debet, ut similitudinem tollat et dicat aliud esse in eo, quod scriptum est, aliud in eo, quod admissum est; ac propterea esse dissimile et non debere accipi ex eo, quod scriptum est, id, quod scriptum non est; quum sit multa distantia dissimilitudinis et similitudinis: de quibus in primo libro exposuit Cicero. Addere praeterea etiam poterit is, qui contra collectionem nititur, uti et ipse utatur aliqua collectione: quod si et contigerit, iisdem argumentis utetur, quae supra dedimus ei, qui utitur collectione: sin autem non poterit uti, hoc aget, ut ostendat scriptum solum spectari oportere; periclitari iura omnia, si similitudines accipiantur: nihil enim esse paene, quod non alteri simile esse videatur. Postremo loci communes sunt ab eo, qui utitur ratiocinatione: extra scriptum per coniecturam id, quod scriptum non est, accipi oportere; deinde neminem posse scriptura complecti universa; illum tantummodo bene scribere legem, qui quaedam contingat, ex quibus alia, quae praeteriit, intelligi possint. Loci vero communes contra eum, qui collectione nititur, isti sunt: coniecturam non esse firmum argumentum, sed esse divinationem; deinde stulti esse scriptoris non omnia, quae cavenda sunt, in lege conscribere.

Iis, qui in eo loco sint, adimat potestatem] Neque permittat: sed ut quasi permissio esse videatur, *collectio* fit ex aliis.

Definitio est, quum in scripto verbum aliquod est positum, cuius de vi quaeritur] Subiungit postremam *legalem* controversiam, quam definitionem nominavit; quae nulla parte distat a constitutione rationali, nisi quod verbum in lege positum vel in scriptura aliqua, quum definitur, quid significet, quid sit, tunc fiet legalis definitio. Supponit exemplum de iis, qui navem suam dicunt, quod unus incubuerit gladio, alter remum imperitus gubernandi tenuerit, gubernator in scapham fugerit: hic quum contendant, cuius navis sit, ex lege initium capiunt controversiae. Quaeritur tamen verbum, quod in lege positum est; quid sit navis: deinde quid sit navem deserere et quid sit in navi remanere. Haec sola discretio est data inter definitionem legalem et constitutionem, id est, rationalem statum. Praecepta autem dicendi eadem servabimus, quae supra sunt posita; ut definiamus et cetera, quae praecepit.

Nunc expositis iis argumentationibus, quae in iudiciale causarum genus accommodantur, deinceps cet.] Finitis omnibus praeceptis, quae data fuerant ad omnes constitutiones et ad omnia genera controversiarum, quae in legibus sunt, dumtaxat in iudiciali genere causarum, transit Tullius ad deliberativam causam et ad demonstrati-

---

1. *qui utitur collectione*] Seu ratiocinatione, ut mox aiebat. Graeci dicunt συλλογισμόν. Capp.

6. ∞ *exposui. Addere* Cod. Bas. 8. — *continget* Asc.

10. *spectari*] Cod. Bas. — *considerari* Edd. Or.

11. — *enim posse paene esse* Cod. Bas.

19. ∞ *sunt*, *scribere* Cod. Bas.

25. *a constitutione rationali*] Seu statu illo rationali, quem definitivum vulgo vocant. Capp.

29. An *hi?*

vam: non quod alia praecepta esse possint deliberativae et demonstrativae, quam fuerint supra in *iudiciali* genere dumtaxat in constitutionibus. Nam pari modo coniectura, finis et ceterae constitutiones et omnia genera controversiarum versantur in deliberativo et demonstrativo, quemadmodum in iudiciali. Unde non alio modo dicenda sunt in iudiciali et alio in ceteris; sed eadem dicendi ubique praecepta servabuntur: verum etiam, quoniam, ut in primo libro docuit, et hic admonet, fines suos certos habent genera ista controversiarum, necessario propter fines alia quaedam praecepta et alia quaedam argumenta tradenda sunt: de quibus nunc tractabit. Finem habet iudicialis causa aequitatem: deliberativa finem habet utilitatem, ut Aristoteli placet; ut Ciceroni, utilitatem et honestatem: demonstrativa finem habet honestatem. Ergo propter fines quasi alia argumenta sunt necessaria. Aliud enim cogit in tractatu praeter constitutionem quamlibet ille, qui aequitatem cupit iudicibus persuadere: aliud ille, qui ostendere cupit utilitatem et honestatem: aliud, qui ostendere vult honestatem. Unde ipsius utilitatis et honestatis praecepta danda sunt, quae deliberativae causae videntur et demonstrativae propter fines proprios convenire: et poterat quidem supponere exempla deliberativae per singulas constitutiones, hoc est, ut doceret incidere in deliberativa coniecturam, finem et reliquas constitutiones; item pari modo in demonstrativa: sed quoniam res aperta est, dicere praeteriit; ne rem satis claram dum apertiorem per exempla vult reddere, obscuriorem exemplorum diversitate fecisset.

Rerum expetendarum tria genera sunt. Par autem numerus vitandarum ex contraria parte] Deliberativae causae et demonstrativae fines esse dixit utile et honestum. Verum est quiddam honestum, quod purum solum et per se honestum est: aliud vero honestum, quod habet mixtam utilitatem; quod idcirco honestum dicitur, quia semper in copulatis rebus nomen a meliori parte componitur; ut demonstrativam causam quum intelligamus habere laudem et vituperationem, quidam tamen hanc eandem causam a parte meliore (sicuti diximus) laudativam esse dixerunt. Ergo quum honestum nunc per se solum sit, nunc sit aliud, quod iunctum est et utilitati, tamen etiam hoc honesti nomine

---

3. *coniectura*] Sive *status coniecturalis*, quaestionem facti solent appellare. Capp.

Ibid. *finis*] Hoc est, *status definitivus*, ubi de re definienda et certo in nomine appellanda controversiam movent. Capp.

4. *versantur in deliberativo*] Eadem est Quintiliani sententia, ut patet ex Lib. 3. cap. 6. ab init. Capp.

5. *iudiciali*] Cod. Bas. — *iudicialibus* Edd. Tum Cod. Bas.: — *Nec non a. m.* Or.

7. *quoniam, ut in primo libro docuit* cet.] In praecedenti editione perperam legebatur: *quoniam in primo libro docuit, et hic admonet fines suos certos. Habent genera ista controversiarum, necessariò propter fines, alia quaedam praecepta* cet., ubi defectus particulae *ut* et mala interpunctio totius fere loci sententiam perturbabant. Capp. (Abest *ut* etiam a Cod. Bas. Contra recte Asc. Or.)

10. — *tractat* Cod. Bas.

32. *laudativam*] Sic etiam Graeci dicunt ἐγκωμιαστικόν. Capp.

34. *et utilitati* Cod. Bas. — *ex utilitate* Edd. Or.

nuncupatur. Sunt igitur tria, quae expetuntur: honestum purum, honestum cum utili, et ipsum utile purum ac separatum. Item erunt tria genera rerum vitandarum: inutile purum, et illud inutile cum turpi, deinde etiam turpe solum. Honestum autem quasi genus est, quod quidem et alio nomine dicitur virtus: et scientia honestum est: item veritas honestum, hoc est, quod propter se expetitur. Est aliud, quod hac natura et hac vi est, ut propter fructus aliquos expetatur; ut est pecunia. Est item quiddam medium et dignitate et fructu alio expetendum; ut amicitia, gloria et cetera huiusmodi. Sed his tribus expetendis, hoc est, honesto, utili et illi tertio, quod mixtum est, adiunguntur duo ad tractatum necessaria, necessitudo et affectio: de quibus plenius postea disputabitur. Atque honestum ipsum, quod propter se expetitur, quum in duas partes (ut diximus) distributum sit, prius tractat de eo ipso, quod purum est, nullo utili sociato. Quam diximus esse virtutem, hanc dividit in partes quattuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Et definit prudentiam eique tres species subiungit, memoriam, intelligentiam, providentiam; quae ratione temporum constant. Nam praeteriti temporis est memoria, praesentis intelligentia, futuri providentia: has similiter definit. Item definit iustitiam secundam virtutem eique subiicit partes similiter tres; naturalem iustitiam, consuetudinis iustitiam, legitimam iustitiam: easque similiter definit et dat exempla. Subiungit tertiam virtutem, quam appellat fortitudinem: hanc definit et ei subiicit partes quattuor, magnificentiam, fidentiam, patientiam, perseverantiam; quas item definit, sicuti omnia. Quarta postremo subiungitur virtus, quae temperantia dicitur, et dat ei partes tres: continentiam, clementiam, modestiam; quas partes definit ita, ut omnia superiora. Quibus explicitis aperte docuit id solum quod propter se expetitur et quid sit et quale sit. Verum quum honestum hoc intelligamus esse, quod propter se expetitur, non propter aliquod emolumentum, quod ipsum utique virtus est; quoniam incidebat quaestio, an virtus, id est, honestum, propter se expeteretur (Epicurei enim dicunt virtutem expeti ipsam propter voluptatem) huius quaestionis quum latior videretur esse tractatus, distulit et negavit ad hoc institutum debere sociari, ubi tantum praecepta traduntur, non rerum disputatio continetur. Nam primo in genere quae sunt, honesta appellantur: virtus, scientia, veritas; quae nullam ob utilitatem, sed propter se expetuntur.

Veritas est, per quam immutata ea, quae sunt aut ante fuerunt aut futura sunt, dicuntur] Hucusque naturam et iustitiam cumque his, quae naturaliter iusta sunt, explicavit: nunc ea docebit cum partibus suis, quae per consuetudinem iusta sunt. Iustitiam enim triplicem esse voluit: naturalem, consuetudinis (id est, morum), legum.

---

6. *honestum*] Cod. Bas. — *honesta* Edd. Or.

10. *et illi tertio*] Perperam legebatur *illo*. Nam legendum esse *illi*, satis patet ex verbo *adiunguntur*, ad quod pronomen huiusmodi refertur. Capp. (Recte Cod. Bas. *illi*. Or.)

11. — *consuetudo* Cod. Bas.

25. — *omnia alia. Postremo* Cod. Bas.

Lege ius est, quod in eo scripto, quod populo expositum est] Hucusque iustitiam consuetudinis dixit: nunc incipit legum.

Fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus cet.] In honestis actibus fidentia est: ceterum in malis confidentia. Nam multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit, ut est illud: *Turne, sui merito si qua est fiducia forti.* (Aen. XI. 502.)

Neque ad hoc nostrum institutum pertinet] Epicurei enim et ipsam virtutem dicunt propter se non expeti, sed propter voluptatem: quae secta Epicureorum est. Hoc utique revincendum: sed quia longioris tractatus est et alterius operis (rhetorica enim nunc exponitur) ideo et hic dicere praetermisit.

Propter se autem vitanda sunt] Docuit honestatem sequendam, subiungit vitandam turpitudinem: sed turpitudo in iis est, quae contraria sunt virtutibus. Fidentia, ut supra posuit, virtus est: huic contraria est diffidentia: et audacia vitanda: parique modo inter virtutes et contraria media inveniuntur, quae licet vicina sint virtutibus, tamen vitanda sunt, ut vitantur ipsa contraria. Haec autem, quae vicina sunt, nunc ita sunt, ut certum nomen teneant; nunc ita, ut vocabulum non habeant. Fidentiam diximus esse virtutem, diffidentiam vitium. At id, quod fidentiae vicinum est, habet nomen, quod appellatur audacia. Item religio virtus est, irreligiositas vitium; atque religioni vicinum vitium tamen est, et superstitio nominatur, quae etiam ipsa sit vitanda. Sed haec (ut dixi) media vel vicina habent nomina. Nam sunt aliqua, quae non habent: ut, iustitia quum virtus sit, iniustitia vitium, punire hostes etiam victos vicinum iustitiae est: tamen quia parcendum victis est, vitium est aliquando; cui rei non est vocabulum, ut asperitas aut crudelitas, superstitio, audacia.

Sunt igitur multa, quae nos quum dignitate, tum quoque fructu suo ducunt ad se] Docuit quae propter se expetenda sunt (itemque dixit quae propter se vitanda:) quae honesta pura nominavit. Nunc docet illa, quae mixta sunt et habent partem honestatis, partem vero utilitatis: quae tamen etiam ipsa nomine honestatis appellavit. Sunt autem gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Haec definivit: in quo simili modo amicitiam docet esse honestatem quidem mentis, sed cum aliqua utilitate sociatam. Loquitur enim de amicitia civili, quae utilitate non caret. Deinde partes eius amicitiae enarrat et causas. Postremo adiungit illud tertium, uti separatam utilitatem e suis partibus doceat esse, quum ipsa illa commoditas honestate carens perspicitur vel in re publica vel in singulis civibus: haec autem in re publica nunc ad vires pertinet civitatis, nunc ad ornamentum: quae ipsa tamen in utroque utilitas convenienter nominatur. Sed vires nomine appellat incolumitatis: at vero ornamentum potentiam esse dicit, ut sint partes utilitatis duae, incolumitas et potentia. Post haec tractat, quod Graeci appellant δυνατόν, Latini *quod fieri possit aut non possit:* in quo etiam illud docet, quod his vicinum est, *et quid facile fieri possit.*

36. *enarrat*] Coniectura dedi pro *narrat* Cod. Bas. et Edd. Os.
42. *at vero*] — om. haec Cod. Bas.

Prope enim fieri non posse creditur, quod cum magna difficultate conficitur. Haec sunt de tribus: hoc est, de honesto puro sine utilitate; deinde mixto cum utilitate; tertio de sola utilitate.

***Utilitas autem aut in corpore posita est aut in extraneis rebus*] Hucusque de honesto cum utili: nunc de sola utilitate disseritur.**

***Quoniam ergo de honestate et de utilitate diximus, nunc restat, ut de iis rebus, quas his attributas esse dicebamus, necessitudine et affectione, perscribamus*] Honestati et utilitati supra positae atque tractatae duas res necessario dixerat attributas, necessitudinem et affectionem: de his nunc praecipit ac necessitudinem docet esse illam, quae neque mutari neque ab exitu suo flecti possit. Affectionem vero, quae ex temporum ac negotiorum eventu aut hominum administratione saepe mutatur, ut res non tales sint, quales esse consueverunt. Ac necessitudinem, quae prima est, in duo dividit; ut nunc necessitas sit, quae aliter exitus suos habere non possit, sed sua cogat effecta sine ulla exceptione; dicit esse alteram necessitatem, ubi fieri aliter possit, quum aliquid admittitur. Postremum causae genus demonstrativum est, quod adiungit. Dat praecepta quibus laudes vituperationesque tractentur, id est, quibus locis. Ac primum dicit eosdem locos esse laudi vel vituperationi, quos in primo libro iudicialis causae, hoc est, omnia attributa personae. Partitur tamen breviter laudes et vituperationes animi et corporis et extrinsecus: animi: virtutes, artes, scientiae; vel contra, vitia: corporis totius vel in partibus; [ut] pulchritudo, valetudo, integritas, et cetera huiusmodi: extrinsecus sunt patria, parentes, cognati, amici, magistratus, divitiae et cetera huiusmodi. Postremum praeceptum dat in laude et vituperatione: non tam nos considerare debere quid corporis sit, quid extrinsecus sit, quam quid sit in animo. Omnia enim vel laudanda vel vituperanda non rebus externis, non rebus corporis, sed animo metiuntur.**

***Sin aliquae res incident difficiles*] De possibilitate dicit.**

***Quasdam simplices*] Ut aliter omnino fieri non possint.**

***Cassilinenses se dedere Hannibali*] Nisi velint fame perire. Ergo hic exceptio: Cassilinum venire in Hannibalis potestatem. Hic aliter omnino fieri non potest.**

***Tum adiunctio*] Ubi exceptio.**

---

4. *Utilitas autem aut in nostris rebus aut in corpore posita est. Hucusque* Cod. Bas. Asc. Or.

12. *ac negotiorum*] Cod. Bas. — *aut neg.* Edd. Or.

17. *quum aliquod admittitur*] In edit. Basileensi legitur *aliquid.* Capp. (*Aliquid* necessarium videbatur etiam contra Cod. Bas. Or.)

18. *postremum causae genus demonstrativum est*] Haec avulsa videntur a suo loco et transferenda ad huius articuli finem, ubi legimus: *Laudes autem et vituperationes ex iis locis* cet.; nisi tamen a Victorino in antecessum (ut commentatoribus aliquando contingit) dicta fuerint. Capp. (Sic est. — *adiungit*, *dans* Asc. Or.)

20. *vel*] Cod. Bas. — *et* Edd. Or.

24. *ut*] ∞ omittit Cod. Bas.

30. *De possibilitate*] Editio Basileensis (et Asc.) habet: *De impossibilitate.* Capp. (Ex interpolatione.)

33. = *Kassilinenses* et *Kassilinum* ex antiqua scriptura Cod. Bas. Or.

Nisi propter aliquam causam] Ita non est necessitas in civili quaestione illa, quae sine conditione est.

Praeter haec autem esse multas invenias res] Id est, necessitudines.

Nam omni tempore id pertinebit] Id est, exceptio ipsa.

Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis] Duo sunt quidem, honestum et utile: sed utili quum duo subiaceant, commoditas et incolumitas, quasi tria effecta sunt. Verum honestas praeponenda; secundo loco habenda incolumitas; tertio commoditas: proinde ut quaeque res sit aut honestatis aut incolumitatis.

Aut non eo consilio, quo Aristippus fecit] Ut sociorum cadavera tempestatibus liberaret.

Laudes autem et vituperationes ex iis locis cet.] Demonstrativa, quae supererat, sola tractatur per honestatem; quae demonstrativa partes habet duas, laudem et vituperationem: utrumque tamen ex attributis personae tractatur.

DE ATTRIBUTIS PERSONAE. [*Vide Libr.* 1. *Cap.* 63.]

Quum sint undecim attributa personis, quibus approbatur cuiusque persona, nomen hominis certis suis designans et sanguinem et hominem nominibus explicatur, cum nullo socium neque nomine neque attributo. Natura est attributum extra ipsum hominem; ut in patria, gente, sanguine ceterisque. Haec enim licet dent homini commodum, non tamen proprium. In ipso vero homine est natura circa corpus et animam, quae dat plurimas et animo et corpori qualitates. Ergo natura accidens res est, quae aptiorem hominem ad unum quodque facit. Itaque non orator natura est, sed oratorius; id est, qui orator esse possit: verum has qualitates vel diligentia comparat facitque perfectas, et habitus nominantur; aut in has casu quodam ac repentino motu frequenter incidimus, et affectio dicitur; aut in has inclinamur studio quodam, quod ipsum studium per se nihil aliud est quam voluntas applicata in aliquas qualitates. Ergo afficimur qualitatibus his modis; ortu et natali, et est natura; afficimur repentinis casibus, et affectio est; afficimur industria ac constantia et perseveratione, et habitus est. At vero ipsum studium, quod esse definimus applicatam in qualitatem aliquam animi voluntatem, hoc (inquam) studium nunc affectio est, si pro tempore est; nunc, si perseveraverit, habitus. Ipsum studium iam quasi

---

10. *proinde ut*] Cod. Bas. — om. *ut* Edd. Or.

14. *Demonstrativa*] Supple causa, materia, hypothesis. Capp.

18. — *appropinquabatur* Cod. Bas. Fort. *appropriatur.* Or.

19. *designans*] — *designatis* Cod. Bas. Fort. *designantibus.* Or.

21. *Natura est attributum extra ipsum hominem*] Hoc est, quod non pendet ab arte, disciplina industriave humana. In Commentario ad Lib. I. dixit: *extrinsecus et quae naturae tantum sint;* ubi et eandem sententiam clarius ita expressit: *primum videamus quae natura in homine sint*; *extrinsecus ut sexus. Sexus enim tantum naturae est*, *nec ex disciplina potest aliquando contingere: ita et natio et patria et cognatio et aetas tantum naturae sunt.* Capp.

Ibid. *ut in patria*] Perperam editum erat: *praeter in patria.* Capp. (Ut Capp. habet iam Ascensiana. Or.)

perceptio quaedam in me est rei eius, cui nomen est studium, si perseverat; sed ut studium intelligam, illud debeo considerare, quod ipso studio petitur: ut literatura aut geometria: quod si perceptum sit: habitus studio perceptus est. Ergo natura accidens qualitas est, ut animae vel corpori vel extrinsecus: et accidens ab ortu ac natali: accidit autem mari aut feminae; nam marem esse aut feminam non iam inter commoda computatur. Affectio est accidens qualitas vel repente vel sponte vel studio mox desitura; nam si permanet, fit habitus: dicta affectio, quod afficiat qualitate. Et erit affectio incipiens habitus vel victus. Non enim omnia ad exitum tendunt. Habitus est perceptio qualitatum: nam haec percepta philosophi dixerunt. Hae qualitates vel commoda sunt vel incommoda: quae quoniam tribus modis qualitates eveniunt, multa his commoda vel incommoda communiter eveniunt. Verum per existentiam ea, quae evenient, secernentur. Nam alia vis in eo commodo, quod per naturam est; alia in eo, quod per affectionem; alia in eo, quod per habitum. Habitus non potest esse, quod non aliud est atque illud, quod habetur: nam quia ignis calet, putant aliqui habitum esse, quia perpetuum sit: quum hoc ipsum ignis sit, ut caleat: itaque potius natura est. Habitum multi non nisi deo dant; et verum est. Ille enim habet omnia percepta. At vero homo nunquam ita quid perceptum habet, ut non in profectu quotidie sit: et hunc profectum dixerunt ὁρμήν, id est, progressionem quandam, quam ὁρμὴν habitum dixerunt. Ergo pro existimatione maioris perceptionis in homine habitum intelligimus: ut si affectione quadam aliquid quis agat; ut orator in foro non perfectus, tamen si in eo est aliqua progressio, habitus dicetur; et certe pro commodo suo vel habitum vel affectionem faciet; nomen ex altero erit. In rebus enim nomina sunt certa, quae alterum significent; ut *iracundus*, habitus est; *iratus*, affectionis: et haec ὁρμή, quum studio et diligentia evenit, habitus est; quum naturaliter, natura. Studium est autem vel adipiscendi aliquid vel retinendi voluntas; id, quo vel adipisci aliquid vel retinere optamus vel adepta retinemus. Victus est vel quod ipse homo agit vel quod circa ipsum agitur: omniaque habet, quae natura, habitus,

---

1. — *praeceptio* Cod. Bas. Mox Cod. Bas. itidem *praeceptum* - - *praeceptus*. Or.

9. *quod afficiat*] Antea legebatur: *inficiat*. Capp. (*inficiat* etiam Cod. Bas. et Asc. — Cod. Bas. *permanet*. Edd.: — *permaneat*. Or.

10. *vel victus*] Quid hoc in loco significet *victus*, paulo post explicabitur. Capp.

11. — *praeceptio* - - *praecepta* rursus Cod. Bas. sicque etiam infra.

16. — *alias* ter Cod. Bas. Tum: = *quum ipsum ignis hoc sit*. Or.

23. *hunc profectum dixerunt προκοπην, id est, progressionem quandam: alii habitum*] Perperam legebatur antea: *hunc profectum dixerunt ὁρμήν, id est, progressionem, quam ὁρμὴν habitum dixerunt.* Quod emendavimus ex editione Basileensi. Capp. Est tamen manifesta, interpolatio. Nam, ut concedamus, προκοπὴν rectius h. l. esse vocabulum quam ὁρμήν, semper tamen debebit esse: *quam προκοπὴν habitum dixerunt*: quum his vv. declaretur, quanam ratione etiam homini, non deo soli, habitus tribui possit. Cur autem non immutarunt etiam vers. 29. ὁρμή? quod ipsum probat, idem etiam h. l. retinendum esse; quamquam Asc.: *et huiusmodi pathos quum st*. Or.

31. *id*] — *id est* Cod. Bas. Asc.

affectio, studium. Nam oratorem esse (quod est habitus) et victus est, si in ea exercitatione sit. Itaque Cicero, qui assiduo studio, perseveranti diligentia ita rhetoricam percepit, ut ea in eo perpetua esset, habitum consecutus est. Sed quia eius actum sibi instituit ad usum vitae, est in eadem re et in habitu et in victu. Itaque multum plerumque de virtute habitus detrahitur, si victus abfuisse dicatur. Nam licet orator plenus sit perceptione ipsius artis, tamen aliquantum argumento detrahit, si neges in eadem exercitatione vixisse: ut ipse contra Caecilium, quia aufert victum, infirmat habitum, quum dicit: *Quando tute tui periculum fecisti?* Plerumque etiam si nihil agat, ex habitu hoc ipsum, quod nihil agit, est illi victus, id est, vitae modus: nam ut in victu est, quibus amicis utatur; ita in victu est et si non utatur: et certe, quia nihil horum debet deesse personae, potest habitum habere ex geometriae perceptione, in qua nihil agit, et victum de usu rhetoricae. Victus autem omnis ad qualitatem tendit: sed ea qualitas vel in affectione vel in habitu erit. Deinde uti oratione vel aliquid rhetoricae nosse, quod affectionis est; et ad loquendum aut dicendum aptum esse, quod est naturae; et loqui aut studere velle, quod est studii, et cetera huiusmodi habet victus. Verum in hoc considerabitur victus circa haec omnia, si ita agat vitam, ut haec exerceat. Non enim quia natura loqui aut studere possumus, (quod proprium naturae est) idcirco et inde vivimus: sed si sic ordinata sit vita nostra ad omnem substantiam rei familiaris quaerendam, ut inde vivamus, id est, inde nobis omnia suggerantur ad victum, merito victus ex exercitatione dicitur. Item et si sit habitus, et non in ipso habitu agat vitam et virtutem oratoriae consecutus sit; erit habitus, non victus: eodem modo et affectio est, si est pro tempore; id est, prout res aliqua tulerit, ut locus fuerit, non perpetua consuetudine inde vivendi. Eodem modo et in studio est, si non studium quodlibet in exercitatione vitae tulerit, unde victus est verbo tenus: ut causas agere, ut docere est huius studii: sed, quia ordinata voluntas est ad usum vitae, merito dicetur et victus. In singulis enim his res quaeque in eo, quod sunt, distribuendae sunt: ut item etiam servus circa hoc, quod in hac conditione est, fortuna est: si servitutem serviat tota vita, victus est: sic et cetera de fortuna. Facta vero et casus et orationes

---

5. *eius actum sibi instituit ad usum vitae, est id in eadem re et in habitu et in victu*] Male editum fuerat: *eius actum sibi instituit; ad usum vitae est: id est in eadem re et in habitu, et in victu.* In edit. Basil. legitur: *instituit ad usum vitae, id est, in eadem re et in habitu, et in victu.* Unde veram, ut puto, lectionem eruimus. Capp. Cod. Bas. vulgatam ante Capp. habet lect. Ut nos edidimus, deleto Capp. *id*, exhibet Asc. Or.

9. *ipse contra Caecilium*] Cicero videlicet. Capp.

11. ∾ *aget* Cod. Bas.

18. *et loqui*] Cod. Bas. — *aut l.* Edd. Or.

26. *oratoriae*] Supple *artis.* Capp.

30. *victus est verbo tenus*] Cod. Bas. — *victus nominandus sit verbotenus* Edd. Or.

33. *ut item etiam s.*] Cod. Bas. ∾ *ut item s.* Asc. — *ut etiam s.* Cett. Or.

et consilia ut supervenientia accipimus, erunt suis nominibus. Nam victus non est sine factis, casu, orationibus, consiliis: sed sic venit, fuit, ut diceret, ut faceret, ut ei aliquid accideret, ut consilio uteretur. Et haec omnia, si sic accipiamus ut actiones non ordinatas neque institutas toto vivendi tempore, erunt suis nominibus: sin autem in eo genere vivendi posita fuerint, in quo omnia sunt tibi constituenda ad vitam universam, victus nominabitur, non suo quidque nomine. Facta autem, casus, orationes, consilia, quum ex futuro tempore argumentum dabunt, ex praeteritis confirmabuntur. Nam ideo hoc illi accidet, quod hoc fecit, hoc dixit: ideo hoc dicturus est, quod hoc illi accidit.

DE ATTRIBUTIS NEGOTII. [*Vide Lib.* I.]

Negotium factum vel dictum est, unde iudicium est: in iudicium etenim vel in deliberationem vel in demonstrationem non venitur nisi propter factum. Singula igitur quaeque, quae homini aut subiiciuntur aut de homine quaeruntur, facta sunt: ipsa igitur singula facta negotium sunt. Sunt alia facta, quae probationem tribuunt ipsi facto, unde quaeritur, sub quolibet statu. Sunt tria facta, quae extra ipsum factum sunt: et extra facta, quae vicina sunt ad ipsum factum et probant factum vitae praeteritae: haec personae attributa dicuntur. Ergo quum negotium factum dictumve sit, habeat attributa quattuor; *continentia cum negotio*, inquit, *in gestione negotii*, *adiuncta negotio*, *quae gestum negotium consequuntur;* ex his duo prima, continentia cum negotio et in gestione negotii totum tenent, quidquid habere potest causa omnis, id est, negotium omne per partes suas gestum: duo alia sunt, ex quibus assumuntur primum ab oratore ea, quae negotio adiuncta sunt. Quartum autem illud, quod est consecutio, non negotii ipsius gestio est; sed aut extrinsecus venientia per homines habet aut per naturam generaliter, ut post docebimus. Igitur prima de attributis continentia, habet partes quinque; summam negotii, summae causam, facta illa, quae probant factum, divisa per tria tempora. Et omne ipsum, quod diximus negotium esse, factum scilicet, continetur

---

4. *accipiamus*] Cod. Bas. — *accipimus* Edd. Or.

6. *sunt tibi*] Cod. Bas. — *sunt quae tibi* Edd. Or.

10. Sic Cod. Bas. — *Nam hoc ideo illi accidit*, *quod hoc fecit; ideo hoc illi accidet*, *quia fecit; hoc ideo facturus est*, *quia hoc dixit.* Edd. Mox Cod. Bas. *de attributis negotii.* — *de negotiis* Edd.

14. *demonstrationem*] Id est, materiam, causam, hypothesin *demonstrativam*, seu generis demonstrativi, in quo de laudando vel vituperando quopiam agitur. Capp.

15. *subiiciuntur*] Cod. Bas. — *obiiciuntur* Edd. Or.

18. *unde quaeritur*] Hoc est, de quo instituuntur oratoriae quaestiones in quolibet *statu*; videlicet in *coniecturali*, *definitivo*, *τῷ qualitatis* cet. Capp.

19. *ipsum*] Accessit e Cod Bas.

25. *quicquid habere potest causa omnis*] Perperam editum fuerat: *quicquid habere potest. Causa omnis;* quae interpunctio huius loci sensum turbabat. Capp. (Recte distinguit Cod. Bas. Or.)

30. *prima de attributis continentia*] Quae nempe facit, ut quaedam a Cicerone dicantur *continentia esse cum ipso negotio.* Capp.

ab his; a summa, quae brevem propositionem habet, totum claudens; ut *patriae* (inquit) *proditio* et cetera: habet et causam, quae gemina est, impulsio et ratiocinatio. Impulsio est, per quam, causa cuius factum sit; ratiocinatio est, per quam, quam ob rem factum sit, demonstratur. Sequitur per tria tempora factorum enumeratio; quid ante rem factum, quid in re, quid post rem sit. Igitur negotium quodlibet de statibus. Interim sit loco exempli: *Milo occidit; Non occidit. Occidit* et *Non occidit* partes sunt singulae quaestionis. Sed iam parentis occisio, hominis occisio, patriae proditio, summa est. Ergo factum solum negotium est; propositio facti cum persona eius, qui arguitur, vel quolibet alio modo invidiam comparans aut extenuans summa dicetur. Et haec est, quam Cato in libro suo appellat *vires causae*. Hoc argumentum sequitur causa, quam partiti sumus; quae utique adversus negantem factum danda est, ut fecisse doceatur. Quemadmodum autem tractetur vel ab accusatore vel ab reo, in secundo habemus. Quod si alius status fuerit praeter coniecturam, non causa erit, sed ratio: de cuius tractatu in secundo docuit. Post haec sequuntur facta omnia ante, in, post: in quibus omnia illa, quae in gestione negotii posita sunt, si tamen prosunt, assumentur; uni cuique enim facto inest locus, tempus, modus, occasio, facultas. In gestione negotii locus vel naturalis est vel qualitativus. Naturalis locus est, quum argumentum praestat: non erit illud argumentum a loco, sed a facultate. Qualitativus autem locus praestat argumentum ex opportunitate, quae opportunitas quibus rebus possit intelligi, ipse posuit. Tempus quid esset, dudum generaliter docuit: *pars quaedam* (inquit) *aeternitatis*. Hoc quoque in tria tempora divisit, quae ipsa tempora partitus est: nam praeteritum tribus modis consideratur; praesens ac futurum binis. Verum haec omnia magis ad cognitionem temporis dixit, quod quid esset, insinuare cupiebat, quam ut apta sint in gestione negotii. Quid ergo aptum erit huic parti? Nam huic attributum est tempus, aestimatio eiusdem temporis et collatio cum gestione, ut id, quod factum dicis, eo tempore, ex quo argumentum sumis, fieri potuisse videatur. Itaque sic ait: *Nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium.* Occasio autem opportunitas est quaedam temporis ad aliquid faciendum: haec opportunitas tribus modis consideratur. Modus autem est, quo non solum factum indicatur, sed quemadmodum factum: qui modus et animum indicat, id est, voluntatem. Dividitur autem per pruden-

---

4. *causa cuius*] Cod. Bas. St. Ald. = *cuius causa* Asc. Rursus Capp. e coni., qua opus esse non videtur. Or.

7. *negotium quodlibet de statibus*] Supple, fit, nascitur, procedit cet. Capp. (Nisi vero excidit *est*. Or.)

16. ∾ *aliquis* Cod. Bas.

Ibid. *coniecturam*] Id est, *coniecturalem statum*, in quo videlicet facti quaestio instituitur. Capp.

19. *assumentur*] Cod. Bas. — *assumuntur* Edd. Or.

29. *cupiebat*] Perperam editum erat *cupiebant*. Capp. (Recte Cod. Bas. *cupiebat*.)

30. *ergo*] ∾ *vero* Cod. Bas.

tiam aut per imprudentiam: his quaeritur *clam*, *palam*, *vi*, *persuasione*. Imprudentia purgatur inscitia, casu, necessitudine et affectione animi. Facultates autem duplici modo argumentum praestant: nam eiusmodi sunt, ut per eas aut facilius aliquid fiat aut sine iis effici non possit. Adiuncta negotio; factum, quod in negotio ponitur, unde iudex laturus sententiam est, ut probari quoque modo possit per quamlibet constitutionem. Sumuntur de his rebus argumenta. Quae res possunt in ipsum factum affectione quadam contineri, has res *affecta* nominamus; verum *affecta* accipimus nunc de ipso negotio, id est, de omni causa rebusque in causa gestis; nunc ad res in causa gestas, alia quasi quodammodo extrinsecus, quae convenire videantur; aut inde ut proveniant aut ad illa coniuncta sint. Haec affecta, quae supra diximus, *negotio adiuncta* et *consequentia negotium* dicuntur: illa prima *continentia* vel *in gestione*. Sed de illis iam supra dictum est. Adiuncta vero ea sunt, quae illis ipsis supra positis singulis aliquo modo vel extrinsecus cohaerent; ut summae, ut causae ceterisque: sed quum non in ipsa causa sint, sed aliunde assumantur; convenientia tamen erunt (sive aliena sint et non hinc nata) in collatione, quum erit aut maius aut minus aut par, itemque simile, contrarium, disparatum. Si vero his adiuncta ita sunt, ut extra tamen sint, erunt aut genus aut pars aut eventus. Nihil enim horum non ad hoc est: non tamen in causa positum; et si positum est in causa (id est, in negotio) quae ὑπόϑεσις est, id est, quaestio circa personam propriam, ita est veluti non positum. Ergo genus sit licet causae, tamen, quia genus est, velut extra causam est, quum persona propria inest in causa. Item species est extra. Iam vero eventus quum tria tempora teneat, potest esse ex causa; id est, ex negotio, de quo loquor: qui probat quidem, est de negotio; quod evenit rebus gestis, id, quod in negotio est. Quoniam tamen et praeteriti temporis eventus et futuri temporis eventus aliquoties sumitur; et hoc videri extraneum potest a negotio, ex

1. *dividitur autem per prudentiam aut per imprudentiam*] Male editum et interpunctum fuerat: *voluntatem dividit aut per prudentiam* cet. Capp. (Ut vulgo, Cod. Bas.)

7. *per quamlibet constitutionem. Sumuntur de his rebus argumenta*] Huic loco tenebras offuderat mala interpunctio, quae sic habebat, *per quamlibet constitutionem sumuntur de his rebus argumenta.* Capp. (Rectam distinctionem habet Cod. Bas. Or.)

10. *Quae res possunt . . . . contineri*, *has res* affecta *nominamus: verum* affecta *accipimus*, *nunc de ipso negotio . . . . nunc ad res in causa gestas* cet.] Locus hic in praecedenti editione pessime sic interpungebatur: *quae res possunt . . . . contineri. Has res* affecta *nominamus*, *verum* affecta *accipimus. Nunc de ipso negotio . . . . Nunc ad res in causa gestas* cet. Capp. (sic etiam Cod. Bas., sed: — *continere.*)

12. *coniuncta sint*] Antea legebatur: *coniuncta sunt.* Capp. (*sunt* etiam Cod. Bas.)

18. *convenientia tamen erunt* (*sive aliena sint et non hinc nata*) *in collatione*] In editione Basileensi legitur: *convenientia tamen erunt in collatione*, *sive aliena sint*, *non hinc nata.* Capp.

23. υπόϑεσις] In praecedenti editione perperam legebatur ἀπόϑεσις. Capp. (Rectam lect. habent Cod. Bas. St. Ald. Or.)

27. *qui probat quidem*] Id est, qui quidem eventus probat controversam rem, is est de negotio; quoniam evenit rebus gestis. Capp.

negotio tamen oriens: unde probatum est adiuncta nunc omnibus modis externa (affecta tamen aliquo modo adiungi, ut cetera, quae supra diximus) nunc aliqua ex ipso vel in ipso negotio, alio modo tamen se habentia, quam gesti negotii textus ipse et ordo consistit, circa personam certissimae quaestionis. Maius et minus et aeque magnum tum ex vi, tum ex numero et ex figura negotii considerantur. Vis in eo est, quo ipsa significatione verborum diversas res intelligimus. Itaque quum prolata verba distant sensibus nostris, significatione ea, qua proferuntur, vi distant; id est, potentia quadam, qua quid quaeque res possit, intelligimus. De numero perspicuum est. Figura est textus et ordo negotii per circumstantias suas. Simile autem ex specie aut ex comparabili aut ex conferenda atque assimilanda natura iudicatur. Simile hoc est, species, comparabile et simulanda natura, et in illis sunt octo, genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione: sed ipsum simile, quod per haec supra posita efficitur, illic est in contrariis partibus. Et quae sub eandem rationem cadunt, hoc distinctius positum est in differentiis.

DE CONSECUTIONE.

In superioribus duobus attributis negotio negotium omne teneri diximus: tertium, quod est adiunctum negotio, veluti extra esse praecepimus; sed naturaliter cohaerere extra ipsam ὑπόθεσιν aut ab oratore assumi: quamquam et ea, quae extra sunt, naturaliter ab oratore sumantur. Et de hoc praecepta iam dedimus. Quarta attributio, quae consecutio nominatur, et ipsa ea tenet, quae extra sunt, adhaerentia tamen rebus negotii; quae non ab oratore ex voluntate sumantur, sed quae ipsis rebus negotii rationabiliter acciderint. Ac prope ea omnia, quae in quarta attributione (in consecutione) sunt, id videntur esse, quod eventus. Verum eventus aliud est, aliud consecutio vel res consecutionis. Etenim eventus consideratio est ex quadam natura rerum, qua perspicitur, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum sit. In consecutione autem non ex rebus quid eveniat, tractat orator, sed quid rebus eveniat; id est, quid rebus contingat. Deinde, quod in eventu duo sunt; ut arrogantia et odium: in hac consecutione unum. Nam ipsi facto consecutio est, quod vel raro vel frequenter fit. Haec autem omnia collocata sunt in hac consecutione. Aut nomen contingit rebus; *imitator*, *inventor;* lex de ipsa re; consuetudo, pactum, ut frequenter fiat vel non frequenter. Utilitas vel honestas et cetera quoque (ut dixi) rebus accidunt; non ex rebus ipsis, sed ad res ipsas quadam gestione proveniunt.

---

12. *atque*] Cod. Bas. — *aut* Edd. Or.

17. *quae sub eandem rationem cadunt*] Legere mallem *cadant*. Capp.

22. *extra*] Cod. Bas. Asc. St. Ald. — *certa* Capp. Or.

26. *acciderint*] Cod. Bas. — *acciderunt* Edd. Or.

27. *quae in quarta attributione in consecutione sunt*] τὰ *in consecutione* glossema sapiunt, et meram continent ἐπεξήγησιν τῶν *in quarta attributione*, ut patet ex praecedentibus, ubi ait: *Quarta attributio, quae consecutio nominatur.* Servari tamen potest vulgata lectio, si parenthesis apponatur post τὸ *attributione* hoc pacto: *in quarta attributione (in consecutione) sunt* cet. Capp.

35. *fit*] de Baiteri coni. — *sit* Cod. Bas. St. Ald. Capp. — om. Asc. Or.

MONITUM.

(Post absolutas iam plagulas duas priores accepi hanc Victorini ἔκδοσιν, egregias aliquot lectiones exhibentem: Rhetoricorum M. Tullii Ciceronis ad C. Herennium libri quattuor cum eruditissimis elucidationibus Francisci Maturantii et Antonii Mancinelli praesertim in primum librum: et cum familiari admodum Iodoci Badii Ascensii in omnis quattuor libros explanatione. Item eiusdem M. Tullii Ciceronis de inventione libri duo a Mario Fabio Victorino rhetore expositi. Venundantur in vico sancti Iacobi ab Iohanne Parvo et ipso Ascensio. *In fine:* ad Idus Iunias M. D. VIII. *fol. Notavi:* Asc.)

INDEX CAPITUM.

DE INVENTIONE Lib. I. Cap.	VICTORINUS. Pag.	Vers.	DE INVENTIONE Lib. I. Cap.	VICTORINUS. Pag.	Vers.
1	2	1	27	80	32
2	7	32	28	82	28
3	14	16	29	88	28
4	17	5	30	93	21
5	20	1	31	98	12
6	25	1	32	99	29
7	27	36	33	100	28
8	29	14	34	101	22
9	33	28	35 et 36	102	37
10	37	11	37	103	37
11	41	35	38	104	27
12	45	18	39	105	38
13	46	13	40	106	6
14	47	5	41	107	3
15	48	5	42	Ibid.	14
16	50	42	43	108	5
17	52	15	44	112	7
18	54	15	45	113	6
19	55	26	46	114	13
20	57	19	47	115	2
21	61	5	48 — 50	Ibid.	22
22	63	5	51	116	9
23	67	11	52	Ibid.	30
24	68	12	53 et 54	117	21
25	72	21	55	118	12
26	75	36			

DE INVENTIONE Lib. II.	VICTORINUS.		DE INVENTIONE Lib. II.	VICTORINUS.	
Cap.	Pag.	Vers.	Cap.	Pag.	Vers.
1	119	1	29	152	3
2	120	14	30	153	5
3	Ibid.	24	31 et 32	Ibid.	18
4	122	7	33	155	5
5	123	10	34 et 35	Ibid.	9
6	126	25	36	156	14
7	127	19	37 — 39	Ibid.	37
8	Ibid.	28	40	157	30
9	128	15	41	159	1
10	Ibid.	30	42	Ibid.	10
11	129	5	43	163	1
12	130	16	44	Ibid.	8
13	Ibid.	24	45	164	14
14	133	12	46	Ibid.	18
15	Ibid.	37	47	Ibid.	25
16	136	7	48	166	16
17	137	9	49	Ibid.	26
18	139	18	50	168	17
19	141	7	51	169	22
20	143	13	52	170	25
21	Ibid.	28	53	171	38
22	145	9	54	172	1
23	147	11	55	Ibid.	28
24	Ibid.	28	56	173	4
25	149	24	57	Ibid.	6
26	150	3	58	174	6
27	151	5	59	Ibid.	13
28	Ibid.	37			

VERSUS RUFINI

V. C. LITTERATORIS DE COMPOSITIONE

ET DE

METRIS ORATORUM.

MONITUM EDITORIS.

Capperronerii editionem (C.) *emendavi e praestantissimo Cod. Einsiedlensi N.* 338. *membranaceo, seculi XI.* (E.) *et editione Iuntina* 1525. 4. (I.)

Musigenae numeros vates et metra sequuntur;
Orator numeros, haec illi maxima virtus,
Ne vagus errando laudandam nesciat artem.
Rhetoras Ausonios et Graios dactylus armat.
Dactylus armavit Ciceronem, armavit iambus
Spondeusque gravis numeroque aptissime paean,
Temporibusque pares, quamvis et syllaba crescat.
Continuos fugito multos (fit versus) eosdem.
Optimus orator sequitur ratione poëtas.
Cognatus virtute sua metrumque recusans
Hic quoque vult numeris voces frenare vagantes.

Item sic:

Doctus Aristoteles paeanem laudat utrumque.
A longa incipiens, primordia pulchra locabit;
Aspicere ut verbum est, contrarius ille supremus,

[Index.] — *V. C. litteratoris*] Addit haec E. — *et de metris*] E. — om. *de* IC.

12. *paeanem*] EIC. „Editum erat antea *paeanam*: sed bonam lect. habet etiam Putschiana editio." Capp.

Tullius hunc laudat, cui sit penultima longa;
Esse (trochaeus adest) *videatur*, tertius ille
Quem paeana vocat Musis devota vetustas,
Hic membris numerus melior, cui tertia longa.

Versus eiusdem de numeris et pedibus oratorum.

Rhetoricas pulchre structuras dochmius ornat,
Principium bacchius erit, concludet iambus:
Aut vice mutata nomen mutabitur uni,
Primus iambus erit, tum finem creticus explet,
Prima brevis, longaeque duae, brevis, ultima longa;
Exemplumque artis dabitur *res publica* nobis,
Quam Cicero casu genitivo ponere gaudet.
Hoc pede composito laudatur fama pedestris,
Ut docet Ausonius orator Tullius ingens.
Omnibus iste locis numerum pes efficit aptum:
Longa brevem sequitur, longam brevis, adiice longam,
Syllaba prima brevis, tum syllaba longa, secunda,
Tertia longa, brevis quarta, productaque quinta:
Tullius orator, ceu multi, dochmion ornat.

Item sic:

Creticus atque trochaeus erit, qui claudere possunt:
Aut spondeus inest, nullo discrimine finis.
Principioque trochaeon habes, in fine molossum.
At finis bacchius erit, brevis ultima claudet:
Longa sit, anne brevis, nullum discrimen habetur;
Ut solet in metris doctus componere vates:
Aut Asiae numerus, pulcher bis fine trochaeus.
Sed magis erigitur spondeo clausula fortis.
Hanc docet eloquium summi Demosthenis artem.

Item versus Rufini.

Spondeo narrare solent tibi rhetores acta;
Quod gravis et tardus res gestas mentibus affert;
Dactylicis certant pedibus, qui currere possunt.
Dicimus egregios Theopompi more labores,
Et vitam insignem laudamus Isocratis arte:
Hic stylus historiis, hic laudibus aptior haeret.

De ambitu sive circuitu, quem Graeci περιοδον dicunt, sic:

Dicere Musa iubet, me dicere iussit Apollo,
Circuitum orator quot membris reddere debet.

---

15. *paenultima* E.
18. *Hic membris numerus melior*] E. — *hic membris melior nostris* IC.
22. *tum*] E. — *cum* IC.
29. — *addite* E. 30. *tum*] E. — *cum* IC.
32. — *dochimon* I.
39. *Aut Asiae numerus*] E. i. e. quo Asiatici oratores maxime utuntur. cfr. Cic. Orator. §. 212. — *Aut adsit numeris* IC.
40. Fortasse: *forti.* 44. — *quia* superscr. *qui* E.

Vos, Phoebi comites, animis haec condite vestris,
Et memores doctis componite mentibus artem.
Non unum natura dedit nos ferre laborem,
Legibus alternis quae pulchras iunxerat artes:
Quattuor e membris plenum formare videmus
Rhetora circuitum; sic ambitus ille vocatur,
Quattuor ex metris hunc versibus aspicis aequum.

De genere iudiciali. Περὶ τοῦ δικανικοῦ.

Iudiciis paeana refert tibi Tullius aptum.

De genere deliberativo. Περὶ τοῦ συμβουλευτικοῦ.

Si quis rem dubiam deliberet, armat iambus.
Dactylus his causis tibi dicitur aptus utrisque.

De Theophrasto item Rufinus metro Sapphico sic:

Rhetoras pulchros Theophrastos ornat
Membra dispergens bona dithyrambi
Fusa per partes. Anapaestus ista
Floret in arte.
Longior fluxit numerus per artem,
Quem dedit nobis anapaestus ille:
Hinc pedes claros loca dithyrambi
Rhetores aptant.

Cicero de numeris oratoriis sic dicit: (in Oratore §. 212.)

Insistit autem ambitus modis pluribus; e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus. Explanandum est enim, quod iam ab aliis iidem pedes aliis vocabulis nominantur. Sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ipse ille praeclare; quo etiam satietas formidanda est magis.

Quintilianus in arte de numeris et structura Demosthenis sic dicit:

Nam eo fit, ut Demosthenis severa videatur compositio, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, et illa, quae ab uno, (quod sciam,) Bruto minus probatur, ceteris placet: κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ. *Idem in alio loco sic:* Talia sunt Demosthenis πᾶσι καὶ πάσαις, et πάλιν

---

51. — *memorem* E..
58. *deliberet*] E. — *deliberat* IC.
60. *Theophrastos*] E. = *Theophrastus* IC.
62. *partes*] ex emendat. Capp. — *artes* EIC.
64. — *artes* E.
3. *extremi chorei*] Ut est in Cic. Orat., E. — *chorei extr.* IC.
5. *quod iam*] EI. — *quod tam* C. — Abest *iam* a Cic.
7. *ipse ille*] Apud Cic. *ille ipse.* Sed ordo Rufini est praeferendus.
8. *Quintilianus*] Lib. 9, 4, 63.
9. *Nam eo fit*] IC. — *Nam quo fit* E. ∞ *Quo fit* Quintil.
10. *quae ab*] E Quintil. C. — *quod ab* EI.

ὑμῖν. Et totum paene principium. *In alio sic:* Est et dochmius, qui fit ex bacchio et iambo, vel ex iambo et cretico. Stabilis in clausulis et severus spondeus quoque, quo plurimum est Demosthenes usus.

Diomedes sic dicit in libro secundo artis suae:

Igitur spondeus e duabus syllabis longis aptus est clausulis, qualibus maxime Demosthenes utitur: *πᾶσι καὶ πάσαις, καὶ, πάλιν ὑμῖν.* Habet enim graves sonos, finemque sensus et clausulae firmas sedes constituit, ut: *rei publicae causa*, et *arma sumpsi*, et *esse pro vobis.* Gravior est autem longa syllaba praecedente, quam brevi. Aliter enim sonat, *arma sumpsi;* aliter, *esse pro vobis.*

Cicero ad Herennium in arte sic:

Περὶ ὑπερβάτου. Huiusmodi transiectio, quae rem non reddit obscuram, multum proderit ad continuationes, de quibus ante dictum est; in quibus oportet verba sicuti ad poëticum exstruere numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae.

De structuris, id est, de numeris, sive de continuatione sive de compositione Cicero sic dicit: (*Lib.* 3. *de Oratore.* §. 182.)

Longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest; sed hic naturae modus est, artis alius. Nam quum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester; qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum. Sed sunt insignes percussiones eorum numerorum et minuti pedes: quare primum ad heroum nos dactyli et anapaesti et spondei pedem invitat, in quo impune progredi licet duo dumtaxat pedes aut paullo plus, ne plane in versum aut in similitudinem versus incidamus: *Aliae sunt geminae, quibus —.* Hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt. Probatur autem ab eodem illo maxime paean, qui est duplex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, *desinite, incipite, comprimite:* aut a brevibus deinceps tribus extrema producta

---

1. *totum paene*] E. = *p. t.* IC.
9. *vobis*] E. — *nobis* IC.
10. *aliter, esse pro vobis*] E. — *aliter: pro nobis* IC.
11. *ad Herennium*] Lib. 4, §. 44.
12. *huiusmodi*] Herenn. E. — *huiuscemodi* IC.
13. *proderit*] Herenn. C. — *poterit* EI.
15. *perpolitissime*] Herenn. EI. — *politissime* C.
19. *sint numeri*] Cic. — *sunt num.* E. — *num. sint* IC.
20. *frequentem*] Cic. EC. — *frequenter* I.
22. *sermonemque*] Cic. E. — *et sermonem* IC.
23. *dactyli*] Cic. C. — *dactylici* EI.
24. *duo*] Cic. E. — *duos* IC.
25. *aut in simil.*] EI. — *aut simil.* Cic. (sed illud, ut etiam *versus* pro *versuum* recipiendum.) C. Tum EI. male: *nec - - - incidimus.*
26. *heroi*] Cic. E. — *heroici* IC.
27. *principia*] Cic. EC. — *principio* I.

atque longa, sicut illa sunt, *domuerant*, *sonipedes*. Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeane, posteriore finire. Est autem paean hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, (quod est acrius iudicium et certius) par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa: *Quid petam praesidi aut exsequar quove nunc.* A quo numero exorsus est Fannius: *Si, Quirites, minas illius.* Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari.

Postea in eodem tertio libro de Oratore sic dicit: (§. 190.) Sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda: neque vos paean aut herous ille conturbet; ipsi occurrent orationi, ipsi (inquam) se offerent et respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur eorumque verborum iunctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo aut paeane priore aut cretico, sed varie distincteque considat: notatur enim maxime similitudo in conquiescendo. Et si primi et postremi pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior quam aures exspectant, aut longior quam vires atque anima patiatur. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror quam superiora; quod in his maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacunque est parte titubatum. In oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique; quae quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur aut aurium satietate. Duo enim aut tres fere sunt extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora, quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit, aut in paeane illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis; nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur.

Postea sic: (§. 198.) Verum ut in versu vulgus, si est peccatum, videt; sic si quid in nostra oratione claudicat, sentit; sed poëtae non ignoscit, nobis concedit; tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt.

1. *domuerant*] Cic. EC. — *domuerunt* I.
4. *est acrius*] Cic. E. — *acrius* I. — *acrius est* C.
7. *clausulis*] Cic. EC. — *clausulis his* I.
8. *terminari*] Cic. C. — *terminare* EI.
11. *neque vos*] — *neque enim vos* E.; sed expuncto v. *enim*.
12. *offerent*] EIC. — *efferent* Pith.
15. *numeris*] Cic. C. — om. EI.
16. *aut cretico*] Cic. E. — om. haec IC.
17. *et postremi*] Cic. E. — *ac p.* IC. tum in Cic. post v. *postremi* additur *illi*, omissum ab EIC.
22. *iudicatur*] EC. — *indicatur* I.
23. *est parte titub.*] E. — *parte titubatum est* IC. — *sit parte tit.* Cic. ex Ems. emendandus.
24. *quae quoniam*] Cic. C. — om. *quae* EI.
29. *posteriore*] Cic. E. — *superiore* IC. Tum *quam* pro *quem* male C.
34. *tacite*] Cic. C. — *taciti* EI.

Idem M. Cicero in Oratore (§. 171.) *de pedibus et numeris incisorum, id est, κομμάτων, et membrorum, id est, κώλων, et ambituum sive circuituum, id est, περιόδων, sic dicit:* Apud Graecos quidem iam anni prope cccc. sunt, quum hoc probatur, nos nuper agnovimus.

Postea sic: (§. 172.) Quod si aures tam inhumanas tamque agrestes habent, ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas. Omitto Isocratem discipulosque eius, Ephorum et Naucratem, quamquam orationis faciendae et ornandae auctores locupletissimique ipsi oratores esse debebant. Sed quis hominum doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel iudicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati adversatus infensius? Is igitur versum in oratione vetat esse, numerum iubet. Eius auditor Theodectes in primis, ut Aristoteles saepe significat, politus scriptor atque artifex, hoc idem sentit et praecipit. Theophrastus vero eisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probent? nisi omnino haec esse ab iis praecepta nesciunt.

In alio loco sic dicit: (§. 212.) Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius; cursum contentiones magis requirunt; expositiones rerum tarditatem.

In alio sic: (§. 223.)

Cur de perfugis nostris copias comparant contra nos? Prima sunt illa duo, quae κόμματα Graeci vocant, nos incisa dicimus; deinde tertium κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa — ex duobus enim versibus, id est, membris perfecta comprehensio est et in spondeos cadit. Et Crassus quidem sic plerumque dicebat, idque ipse genus dicendi maxime probo. Sed quae incisim aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent, ut est apud me: *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas.* Haec incise dicta sunt quattuor. At membratim quae sequuntur duo: *incurristi amens in columnas; in alienis insanisti.* Deinde omnia tamquam crepidine quadam comprehensione longiore sustinentur: *depressam, cae-*

---

4. *prope cccc. sunt*] Cic. E. — *quadringenti sunt prope* IC.
7. *ne*] — *nec* E. Mox E.: = *Isocraten* - - *Naucraten.*
10. *debebant*] Sic Eins., ut e Cdd. edidi in Oratoris Ed. min. p. 131. — *debeant* IC.
Ibid. *hominum*] EIC. — *omnium* Cic.
11. = *inveniundis* E.
12. *adversatus*] Cic. C. — *adversus* EI.
14. *idem sentit*] EIC. ∞ *idem et s.* Cic.
15. *eisdem*] IC. — *isdem* E.
17. *nesciunt*] (Cic.) E. — *nesciant* IC.
19. *incitatius*] Cic. — *incitus* E. — *incitatus* IC.
Ibid. *tardius*] Cic. E. — *tardus* IC.
22. *comparant*] — *comparent* E. a pr. manu.
23. *Prima sunt illa duo*] Cic. E. — *Sunt illa duo prima* IC.
25. *comprehensio est*] Cic. EI. — om. *est* C.
27. *ipse*] Cic. E. — *ipsum* IC.
31. *in alienis insanisti*] Sic egregie E. — *in columnas alienas, insanisti* I. — *in columnas; in alienos insanus insanisti* Cic. vulgo. Capp.
32. *longiore*] Cic. E. — *largiore* IC.

cam, *iacentem domum*, *pluris quam te et fortunas tuas aestimasti.* Dichoreo finitur: at spondeis proximum illud. Nam in iis, quibus ut pugiunculis uti oportet, brevitas faciet ipsa liberiores pedes. Saepe enim singulis utendum est, plerumque binis, et utrisque addi pedis pars potest, non fere ternis amplius. Incisim autem et membratim tractata oratio in veris causis plurimum valet; maximeque iis locis, quum aut arguas aut refellas; ut nos in Corneliana secunda: *O callidos homines*, *o rem excogitatam*, *o ingenia metuenda*: membratim adhuc; deinde caesim: *diximus*. Rursus membratim: *Testes dare volumus*. Extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior: *Quem quaeso nostrum fefellit*, *ita vos esse facturos?* Nec ullum genus dicendi est aut melius aut fortius, binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis; paullo alias pluribus, inter quae variis clausulis se interponit raro numerosa comprehensio.

Idem sic dicit de Theophrasto (de Oratore 3. §. 184.) Namque ego illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere. Etenim, sicut ille suspicatur, ex illis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus procerior quidam numerus effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa.

Idem Cicero in Bruto sic: (§. 32.) Exstitit igitur iam senibus illis, quos paullo ante diximus, Isocrates, cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo iudicio est postea consecutus. Is et ipse scripsit multa praeclare et docuit alios, et quum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat, aut si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam. Quae forsitan laus sit, verumtamen natura magis tum casuque nonnunquam, haud ratione aliqua aut ulla observatione fiebat.

---

2. *finitur*] Cic. Capp. — *finitum* EI.
Ibid. — *aut sp.* I.
Ibid. *Nam in iis*] Cic. C. — *Nam his* EI.
3. *faciet*] EIC. — *facit* Cic.
5. *pedis pars*] Cic. E. — *pars pedis* IC.
6. *tractata*] Cic. C. — *tracta* EI.
Ibid. *iis*] C. — *his* E. — *eius* I.
11. *quem* cet.] Cic. C. — *quem quasi nostrum refellit* (sic) *ita nos* EI.
20. *ex illis* - - *efficitur*] Supplevit haec C. e Cic. — om. EI.
27. *postea*] Cic. C. — *poëta* EI.
29. *melius* cet.] Cic. C. — *melius est quam superior* EI.
30. *effugeres*] Cic. C. — *effugeret* EI.
34. *magis tum*] Cic. E. cfr. Bruti Ed. minor. pag. 216. — *magis tunc* IC.

Flavius Sosipater Charisius de numeris sic dicit:

Bacchiacum metrum est tale: *Bacchare, laetare praesente Frontone;* hoc mihi videtur ad prosam convenire. Et sane multis pedibus in oratione utimur; licet stulti putent liberum a vinculis pedum sermonem prosae esse debere.

Cicero de numeris sic dicit: (de Oratore Lib. III. §. 173.)

Versus enim illi veteres in hac soluta oratione propemodum, hoc est numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt.

Postea sic: Idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa, quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates, numeris astringeret. Namque haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo et delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione, si efficitur coniunctione verborum, vitium est; et tamen eam coniunctionem sicuti versum numerose cadere et quadrare et perfici volumus. Neque est ex multis rebus, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat.

Idem Cicero: (Oratoris §. 66.) Nam etiam poëtae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus: numero maxime videbantur antea et versu; nunc apud oratores iam ipse numerus concrebuit. Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si abest a versu (nam id quidem vitium orationis est) numerus vocatur, qui Graece ῥυθμός dicitur. Itaque video visum esse nonnullis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam comicorum poëtarum, apud quos nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.

---

1. *Flavius*] C. — *Flu.* E. — *Ful.* I.
2. *Bacchiacum*] E. — *Bacchicum* IC.
Ibid. *est tale*] E. = *tale est* IC.
3. *hoc mihi*] E. — om. *mihi* IC.
12. *iidem*] Cic. C. — *item* EI.
13. *ut et verborum*] Cic. EC. — *et ut v.* I.
14. *et delectatione*] EIC. ∞ om. *et* Cic.
19. *versum*] Cic. IC. — *versuum* E.
Ib. *quadrare*] Cic. E. — *quadrate* IC.
20. *neque est* cet.] Sic EIC. — *neque est ex multis res una, quae* Cic.
25. *concrebuit*] IC. = *concrebruit* E. — *increbuit* Cic.
Ibid. *est enim*] Cic. E. — *enim est* IC.
27. *vitium orationis est*] IC. — *vitium oratoris est* E. — *orationis est vitium* Cic.
Ibid. *ῥ. dicitur*] Cic. E. = *dic. ῥ.* IC.
29. *incitatius*] EC. — *incitatus* I.

Victorinus de compositione sic dicit: Creticum, qui est ex longa et brevi et longa, si sequatur spondeus vel trochaeus, bonam compositionem facere dicunt: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* duo extremi pedes sunt creticus et spondeus.

Idem multa dicit de compositione et numeris et pedibus oratoriis.

Ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos: Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus, Hieronymus: Latine de numeris hi: Cicero, Victorinus, Eusebius, Terentianus, Varro, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Victor, Servius.

Item, Cicero de numeris et de compositione sic dicit: (Oratoris §. 174.) Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in eius summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus adiunxerit. Quum enim videret oratores cum severitate audiri, poëtas autem cum voluptate, tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, quum iucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati; quod ab his vere quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere scientius versatum Isocrate confitendum est: sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus, cuius omnia nimis exstant scripta numerose. Nam (ut paullo ante dixi) paria paribus adiuncta et similiter definita; itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte, si id non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit: sed iis est usus intemperantius. Id autem est genus (ut ante dictum est) ex tribus partibus collocationis alterum. Eorum uterque Isocratem aetate praecurrit; ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior: Gorgias autem avidior est generis eius et iis festivitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur, quas Isocrates, quum tamen audisset adolescens etiam in Thessalia senem iam Gorgiam, moderatius temperavit.

In alio loco sic: (§. 216.) Sed hos quum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo; adiungo (quod minimum sit) proximum superiorem, saepe etiam tertium. Ne iambus quidem, qui

---

1. *qui est ex*] E. — *qui ex* I. — *quidam ex* C.
13. *Nam qui Isocr.*] Bis haec habet E. b. l. et post Capp. p. 357. lin. 2.
17. *uteremur*] Cic. E. bis. — *uteretur* IC.
Ibid. *quum iuc.*] Cic. E. — *tum iuc.* IC.
19. *Nam neminem* cet.] Cic. Eins. altero loco. — *Nam in eo g. sc. versatum Isocratem* Eins. altero loco. IC.
20. *omnia nimis*] EIC. — *omnia nimis etiam* Cic.
22. *itemque*] Cic. E. altero loco. Altero cum IC.: — *item.*
Ibid. *relata*] Cic. C. — *perlata* E. — *prolata* I.
Ibid. *quae*] Eins. altero loco. Altero loco cum IC.: — *quaeque.*
23. *Gorgias primus*] Cic. EC. — om. *primus* I.
24. *iis*] E. — *his* IC.
25. *Eorum*] EIC. ∞ *horum* Cic.
26. *eos ille*] Cic. E. — *ille eos* IC.
30. *adolescens etiam in Th.*] EIC. — *in Th. adolescens* Cic.

est e brevi et longa, aut par choreo, qui habet tres breves, trochaeus (sed spatio par, non syllabis) aut etiam dactylus, qui est e longa et duabus brevibus, si est proximus a postremo, parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus aut spondeus. Nunquam enim interest, uter sit eorum in pede extremo; sed iidem hi tres pedes male concluduntur, si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus. Nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus; quia postrema syllaba brevis an longa sit, ne in versu quidem refert. Quare etiam paeana qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum; quoniam nihil ad rem est, postrema quam longa sit. Iam paean quod plures habet syllabas, numerus a quibusdam, non pes existimatur.

Idem Cicero in dialogis de re publica multa dicit, referens Asianos oratores ditrochaeo clausulas terminare.

Terentianus de cretico, hoc est, de amphimacro pede sic dicit:

Optimus pes et melodis et pedestri gloriae.
Plurimum orantes decebit, quando paene in ultimo
Obtinet sedem, beatam terminet si clausulam
Dactylus, spondeus imam nec trochaeum respuo.
Bacchicos utrosque fugito, nec refellas tribrachyn;
Nam solet longam trochaeus solvere in duas breves:
Unde et appellant trochaeum, quem vocamus tribrachyn.
Plenius tractatur istud arte prosa rhetorum.

Pompeius Messalinus de numeris et pedibus oratorum sic dicit: Cicero spondeum incisis idoneum putat, qui (ut ait) paucitatem pedum gravitate sua et tarditate compensat. Dochmium aptum dicit quovis loco esse, dum semel ponatur; quoniam continuitas numerum asperum efficiat: ditrochaeum quoque praeclare cadere. Sed palmam de omnibus cretico tribuit.

Idem de Salustiana compositione sive de numero et structura sic dicit: Nunc, si videatur, Salustianae periodi numeros inspiciamus: *Res popu*, dactylus, *li Romani*, *Marco*, tres spondei, *Lepido*, anapaestus, *Quinto Catulo*, spondeus et anapaestus, *consulibus*, Paean primus, *ac deinde*, dichoreus sive ditrochaeus, *militi*, dactylus, *ae et domi*, creticus, *gestas*, spondeus, *composui*, choriambus ex longa et brevi et brevi et longa. *Cicero de compositione Demosthenis*

---

1. *par choreo*] Cic. EIC. — *par est choreo* Pith.
5. *iidem hi*] Cic. E. — om. *hi* IC.
6. *nisi quum*] Cic. EC. — om. *quum* I.
9. *aptiorem*] Cic. — *artiorem* E. — *arctiorem* IC.
11. *postrema quam longa sit*] Cic. Eins. — *postrema brevis an longa sit* IC.
15. *Terentianus*] ed. Santenii v. 1439. pag. 64.
16. *pedestri*] Sant. C. — *pedestris* EI.
20. *refellas*] EIC. ∞ *repellas* Sant.
25. *Cicero spondeum*] cfr. Orat. §. 216.
28. *ditrochaeum*] Eins. in marg. IC. — *dichoreum* Eins. in contextu.
Ibid. *sed palmam*] E. — om. *sed* IC.
35. *ae et domi*] E. (ut sit *militiae et domi*, non *militiae domi*:) — *ae domi* IC.

sic dicit: Quasi vero Trallianus fuerit Demosthenes, cuius non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur. (*Or.* §. 234.)

Versus Rufini, V. C., de numeris et pedibus oratorum.

Creticus aut spondeus erit paeanve supremus,
Dactylus atque trochaeus adest vel cursor iambus,
Partibus in cunctis qui ponitur ante supremum,
Temporibusve pares hos omnes reddere possunt,
Solvere seu longas malis, ut syllaba crescat,
Rhetoricis Asiae placuit bis fine trochaeus.
Principia et medium et finem tibi dochmius ornat.

Cicero de incisis et membris et de circuitu sic: (*Or.* §. 213.)

O Marce Druse, patrem appello. Haec quidem †duobus in his pedibus incisim, deinde membratim: *Tu dicere solebas sacram esse rem publicam;* haec item membra ternis; post ambitus: *quicunque violasset, ab omnibus esse ei poenas persolutas;* dichoreus: nihil enim ad rem, extrema illa longa sit, an brevis. Deinde: *patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit;* hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero, nonne id numerus effecerit; verborum ordinem immuta, fac sic: *Comprobavit filii temeritas;* iam nihil erit; etsi *temeritas* ex tribus brevibus et longa est; quem Aristoteles ut optimum probat.

Idem Cicero postea sic dicit: (*Or.* §. 215.)

Sed sunt clausulae plures, quae numerose et iucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa et brevi et longa, et eius aequalis paean, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem illigari, quum sit duplex. Nam aut e longa est et tribus brevibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo: aut e totidem brevibus et longa; quem optime cadere censent veteres, ego non plane reiicio: sed alios antepono. Ne spondeus est quidem funditus repudiandus: etsi, quod est e longis, hebetior videtur et tardior; habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum; in incisionibus vero multo magis et in membris. Paucitatem enim pedum gravitate sua et tarditate compensat.

Donatus de structuris et pedibus oratoriis numerorum sic dicit:

Cicero in exornatione sententiae clausulaque ponenda modo ditrochaeum probat pedem, modo paeana primum aptum incipientibus,

13. *duobus in his pedibus*] EIC. corrupte pro *duo binis ped.* Cic.
14. *quicunque violasset*] EIC. — *quicunque eam violavissent* Cic.
18. *nonne*] Cic. EC. — *numne* I.
23. *cadant*] Cic. Eins. — *cadunt* IC.
24. *nam et cret.* Cic. E. — om. *et* IC.
Ibid. *qui est e l.*] Cic. E. — *qui est ex l.* I. — *qui ex l.* C.
25. *quam comm.*] Cic. C. — *qui c.* EI.
28. *longa, quem*] EIC. ∞ *longa, in quem* Cic.
29. *est quidem*] IC. — om. *est* E. ∞ *quidem funditus est* Cic.
35. *exornatione*] EIC. — *exordinatione* Pith.

modo paeana quartum finientibus congruum, modo dochmium ex brevi et duabus longis et brevi et longa; cuius exemplum posuit, *amicos tenes*, modo amphimacrum pedem, et rursus modo dactylicum numerum modo anapaesticum modo dithyrambicum laudat.

Probus de numeris oratoriis sic dicit:

Trochaeus et paean tertius faciet illam structuram Tullio peculiarem, *esse videatur*.

Cicero de numeris et pedibus oratoriis sic: (*Or.* §. 218.)

Iam paean, quod plures habet syllabas quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur: est quidem (ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum) unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti, quo loco mihi videtur aptior creticus. Dochmius autem e quinque syllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut est hoc, *amicos tenes*, quovis loco aptus est.

Idem Cicero de pedibus et structuris sic: (*Or.* §. 196.)

Iambus enim frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur: paean autem in amplioribus; in utroque dactylus. Itaque in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi.

Cicero ad Herennium in arte rhetorica de membro, id est, περὶ κώλου sic dicit: (*Lib.* IV. §. 26.)

Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur, hoc pacto: *et inimico proderas;* id est unum quod appellamus membrum: deinde hoc excipiatur oportet altero, *et amicum laedebas*. Ex duobus membris haec exornatio potest constare: sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat hoc pacto: *et inimico proderas, et amicum laedebas, et tibi non consulebas*. Item: *nec rei publicae consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti.*

---

2. *exemplum*] E. — *exempla* IC.
3. *modo dactylicum* cet.] E. — *modo dactylum, modo anapaestum, modo dithyrambum laudat* IC.
9. *habet*] EI. (bis.) ∞ *habeat* Cic. Capp. h. l.
12. *putant illi*] Cic. E. — om. *illi* IC.
23. *Membrum* cet.] Her. C. E. (hic tamen *membra*; cetera, ut nos.) — *membra orationis appellat res breviter absolutas* I.
24. *sent. dem.*] Her. E. — *dem. sent.* IC.
Ib. *excipitur*] Her. EI. — *excipiatur* C.
26. *oportet altero*] EIC. ∞ *op. ab altero* Her.

C. IULII VICTORIS

ARS RHETORICA

HERMAGORAE, CICERONIS, QUINTILIANI, AQUILII, MARCOMANNI, TATIANI, FELICITER.

IO. CASP. ORELLII PRAEFATIO.

C. Iulium Victorem Ciceronis Scholiastis adiunximus duas propter causas, et quia per se facit ad totam χρίσιν *et Tullianam et Quintilianeam et quia semel adhuc ab Angelo Maio V. C. Romae M. DCCC. XXIII. ex uno Ottoboniano Vaticanae bibliothecae membranaceo codice 1968. seculi XII. Fortunatiani quoque rhetoricam exhibente editus, vix sine his suis comitibus repeti potuisset in Germania, quum tamen optabile sit, ut cuivis philologo Germano aditus ad eum pateat. Omnes enim, quibus vel cum Cicerone vel cum Quintiliano res est, eo carere neutiquam possumus, etsi per se spectatus futilis est scriptor et ineptus. Nam quodcunque boni habet, aliis debet, ut index libri ingenue fatetur. Hermagorae nomen dicis causa potius praepositum puto, quam ut hoc scriptore ipse usus sit Victor. In* Aquilii *nomine Aquilam, in* Tatiani *(sive, ut est proprie in Codice,* Taciani*) Titianum seniorem latere recte suspicari videtur Maius. Marcomannum memorant, eodem Maio indicante, Fortunatianus Capper. p. 68., Victorinus p. 119., Sulpicius Victor p. 283.; addimus, aliquoties etiam Boëthius in Comm. Topic. Cic. — Noster potius Victor, homo alioquin ignotus, rhetor fortasse Gallicanus, ut opinatur Maius, quam Sulpicius Victor, ex eiusdem Editoris Romani sententia, cui subscribo, memoratur Rufino Capper. p. 358. Ed. nostrae p. 191. inter eos, qui de numeris oratoriis scripserunt. — Nos quam accuratissime potuimus repetiimus Ed. Romanam, nonnullis emendationibus additis.*

---

3. Ante nomen Hermagorae additur manu recentiore *rhetorica doctissimorum.*
4. Manus recens addit *incipit.*

PROOEMIUM.

Oratoris officium est in ea quaestione, quae versatur in negotiis civilibus, posse probabili et apta ad persuadendum oratione uti. Sunt autem ea demum civilia negotia, quae nulla arte propria continentur, ut geometricae et musicae et ceterarum huiusmodi scientiarum, sed earum rerum tractatum habent, quae perficiuntur ex opinione communi aut legibus aut moribus, et de quibus omnes, qui aliquatenus intellectum aliquem recipiunt, et dicere et iudicare possint. Omnes enim fere et accusare alium et purgare se ipsos possunt et de aequo et utili disputare videntur sibi posse. Sed hoc alii natura tantum sine ulla observatione aut exercitatione faciunt, sicut ferire alterum et tueri se ipsum etiam qui armis facere non didicit, aliquo modo potest; naturales enim motus, quemadmodum corporis, ita et animi sunt, quibus et alium insectari et pro nobis pugnare possumus: alii autem usu et exercitatione civilium rerum utilius et promptius utuntur oratione, unde factum est, ut quaedam observationes nascerentur, quibus collectis et comprehensis esset quaedam disciplina dicendi. Huius vis constat inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione. Primum est enim invenire quod dicas; dein quod inveneris disponere; tum quod disposueris et oratione vestieris, memoria comprehendere; ultimum ac summum, quod memoria comprehenderis, pronuntiare.

I. DE INVENTIONE.

Inventio est excogitatio rerum verarum aut veri similium, quae causam probabilem reddunt. Haec quum exsistat ingenio atque natura, tum vero sine doctrina non potest perfici. Nam ut quidque auditu dignum excogitari aut inveniri commode possit, in ea, in qua dicendi ratio versatur, arte discendum est. Excogitare igitur et invenire debet orator principium, narrationem, egressum, partitionem, confirmationem, reprehensionem, epilogum, ut integra quasi membris constet oratio, de quibus singulis disseremus. Verum non idem est ordo prosequendae ac proferendae actionis, qui esse debet disponendae atque meditandae. In proferenda namque actione saepe primus locus prooemio datur, dehinc plerumque narrationi, post egressibus, tum quaestionibus et novissime epilogo. Sed in cogitatione nihil antiquius versandum est, quam status causae: in quo plerique falluntur, qui quod primum dicendum sibi esse vident, id primum requirunt, id est, prin-

1. Ita se emendat in codice priscus librarius, qui ante scripserat *causis* pro *negotiis*.

cipium: dehinc de narratione cogitare insistunt; tunc ad cetera descendunt: quum hoc sit commode dicere volentibus perquam contrarium et impeditum et multae caliginis plenum: fieri enim non potest aut probabile aut favorabile aut pertinens principium, si se vel narratio vel ulla sententia aut verba denique ad rem agendam strenue offerant, nisi ei, qui penitus causae viscera per statum ipsum et singula membra quaestionum et species cogitatione tacita apud se omnium, quae prosint causae quaeque obsint, alta ratione discussit. Hoc est, quod Cicero ait, *ex rerum cogitatione efflorescat et redundet oratio: ac nisi res sit ab oratore percepta et cognita inanem quandam elocutionem exsistere ac paene puerilem.* Socrates quoque dicere solebat, *omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes.* Scire autem est rem, de qua dicturus sis, universam ante pernoscere: (in hanc rem constat etiam Catonis praeceptum paene divinum, qui ait: *rem tene, verba sequentur:*) et peristasin causae, quam susceperis, et in ea iudicatum, *τὸ κρινόμενον*, per singulos proprii status articulos investigare: et tunc ad statuenda principia et ceteras orationis partes cogitatione respicere: ideo quod illa prima, quae dicuntur, si vehementer velis congruere et cohaerere cum causa, ex his ducas oportet quae secuntur. Accepto igitur themate, primum circumstantiam sectari debes, cuius partes sunt VII. hae: *quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis.* Harum vero omnium aut plurimarum rationalis congregatio facit causam, et hac primum perspicitur, an assistat controversiae ratio, an vero materia, quae proposita est, asystatos sit.

II. DE ASYSTATIS.

Asystaton est enim thema, quod circumstantiam non habet: ut, *reum facit iniuriarum pauperem dives.* Vides hanc causam stare non posse. Neque enim quando nec ubi nec cur nec aliud praeterea potest quaeri, ut altercationem controversia videatur admittere, sed quasi nuda et debilitata proponitur. Nec tamen putes omnes species circumstantiae in themate omni posse reperiri; sed aliquando omnes, aliquando plerasque; ac si, ut in suprascripto, paene omnis desit circumstantia, causam stare non posse. Sunt et alia vitia tria, quae asystatas controversias faciunt, ut *κατ᾽ ἰσάζουσαν*, quum ex utraque parte circumstantia eadem utique est, et nulla ne parva quidem differentia discerni potest: ut, *vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, nocte*

---

35. *Scholion in marg.* Nota hanc . . quam hic isazus*am* . . alius auctor aliis nomi*nibus* scilicet eter . . isonta . . tenta.

8. Pro *discusserit?* 9. *ex*] Cod. *et.* Ibid. Edd. *cognitione.* 19. Ita Cod. prisca ortographia. 20. Cod. *circumstantiu.* 23. *et*] Num pro *ex*, ut supra? 27. Sic scripsi, Maius *asystatos.* Os. Ibid. *circumstantium*] Ita Cod. etsi superius per *c.* 33. Fortasse *ut.* Os. 35. Deest *ν.* 37. Attonsus est codicis margo.

9. De Or. I. 6.
12. De Or. I. 14.
14. Fortasse in libro de oratore, quem memorant prisci aliquot.

alter alterum obvium habuit; accusant se invicem adulterii. Nihil est enim, quod non aequaliter ab utroque possit invicem dici. Item καθ' ἑτερομερίαν, quum reo nulla defensio est et color facto probabilis non est nec controversiae, sed communis loci speciem obtinet: veluti, *decem iuvenes nuntiato bello digitos sibi amputaverunt: rei sunt laesae rei publicae.* Nulla enim defensio facinoris invenitur. Est etiam aporon, in quo iudex ferendae sententiae rationem explicare non possit: veluti, *petebat alter ab altero usuram quasi creditae pecuniae; ille velut depositam sine usuris restituere certabat. Pendente iudicio lex de tabulis novis lata est; reposcit ille quasi depositam, hic quasi creditam retinet.* Non enim perspici potest, quid in sententia ferenda iudex sequatur, quum petitor interdum creditam, interdum depositam, reus autem nunc depositam, nunc creditam dicat. In omni igitur controversia perspicies secundum ea, quae suprascripta sunt, diligenter, num aut plures partes circumstantiae desint, aut similitudo interimat quaestionem, aut inclinatio partium reo auferat actionem, aut caligo iudicis causam disceptare non possit. Et si ex his nullum inerit vitium, attende identidem etiam atque etiam et inhaere origini quaestionis, id est, intentioni et repulsioni. Intentio est id, quod primum dicit qui movet litem, sive accusator sit sive petitor: id est, *occidit patrem Sextus Roscius.* Repulsio est, *non occidit.* Ex intentione et repulsione nascitur quaestio, *an occiderit.* Hoc τὸ κρινόμενον Graeci dicunt. Hic est status causae, qui nascitur ex intentione et repulsione. Non omnis tamen status ex prima propositione et repulsione comprehenditur, sed sunt status, qui multis propositionibus et depulsionibus invicem frequentatis sero eruantur: ut, *caedem fecisti;* si respondeat, *non feci*, sicut supra, perventum ilico ad statum sit, ut quaeratur, *an fecerit.* Si vero quum obiectum sit *caedem factam*, respondeatur *factam quidem caedem, sed iure, quoniam adulter occisus sit;* non iam ἀπόφασις a reo opposita erit, sed causativum, quod Graeci αἴτιον appellant. Cui accusator aeque etiam non per κατάφασιν insistit, quia confessus est quod obiecerat, sed per συνέχον, quod est causativi destructio; id est, non habuisse eum potestatem perimendi, quoniam infamis fuerit: deinde referetur a reo, negatam non esse etiam infamibus perimendi potestatem. Vides, quam

---

5. *Sch.* Heteromerian Fortunatianus monomerem et epomerem appellat. Exemplum vero, quod hic sub heteromerian est, superius sub achromo posuit Fortunatianus. Heteromeria autem ab achromo differt, quod monomeres in omnibus deficit, achromos in solo colore.

7. *Sch.* Nota quod hic aporon, superius antistrefusa vocatur.

23. Glossa sive interpretatio in marg. *iudicationem.* 30. Cod. *etiam.* Ibid. Gloss. *depulsio.* 31. Gloss. *facti rationem.* 32. Deest *per* in Cod. Ibid. Gloss. *intentionem.* 36. Ita revera scribitur *epomeres* in codice apud Fortunatianum sub initio libri primi.

10. Nempe χρεοκοπία seu σεισάχθεια. Confer autem in Capperonnerii editione Fortunatianum p. 55., Augustinum p. 325., qui et hunc locum mihi emendaverunt. In codice enim praepostere legitur *reposcit ille quasi creditam; hic quasi depositam retinet.*

sero et per quot gradus ad statum ventum sit, id est, ad τὸ κρινόμενον, de quo partes congrediuntur, de quo iudex pronuntiaturus est, an etiam infamibus adulterum liceat occidere. Hoc ergo interest, quod in superiore ex cataphasi et apophasi tantum, id est, ex intentione et depulsione, τὸ κρινόμενον invenitur: in hac autem posteriore, relicta cataphasi et apophasi, ex causatione, ἐκ τοῦ αἰτίου, et continentia, ἐκ τοῦ συνέχοντος, τὸ κρινόμενον apparet. Quintilianus dicit primitus inveniri statum, id est, τὸ κρινόμενον, si cogites id, quod sive accusator vel petitor dicat, utrum controversum sit, an confessum: si confessum sit, non potest ibi esse quaestio. Transeundum ergo ad aliud, et illud subtiliter intuendum, confessumne sit, an controversum: ut ubi primum coepit controversum esse, id est, ubi primum non convenerit inter partes, ibi statuatur quaestio, id est, status, hoc est, τὸ κρινόμενον. Hoc per exemplum insinuari manifestius potest, ut in superiori materia: *occidisti hominem;* si respondeatur, *non occidi*, controversum est, non convenit inter partes, potest hic esse quaestio, *an occiderit*. At si respondeatur, *occidi*, confessa res est, convenit inter partes, quum quod alius intendit, alius confitetur. Longius ergo proficiscendum est: *puniendus es, quum occidisse te fatearis. Adulterum occidi, et interimi adulterum licet:* quod hic confessum est; convenit enim inter partes adulterum occisum. Quaerendum ergo est aliquid ultra: ut, *adulter fuit quidem, sed, quia exul eras, tibi non licuit occidere;* respondetur contra, *licuit*. Ac vicissim quum aliunde dicatur *non licuit*, aliunde *licuit*, coepit inter partes non convenire; et potest hic stare quaestio, ut sit τὸ κρινόμενον, *an exuli adulterum licuerit occidere*. Sed harum rerum rationem ac differentiam, nisi perceptis statibus consequi plenius non potes: et idcirco disce de singulis statibus.

III. §. 1. DE STATIBUS.

Omnium omnino causarum status sunt octo. Ex his rationales quattuor, quattuor legales. Rationales IIII. sunt coniectura, finis, qualitas, translatio, quae vel rationalis est vel legalis. Legales sunt scripti et voluntatis, legum contrariarum, collectio, ambiguitas.

§. 2. DE CONIECTURA.

Coniectura dicta est a coniectu animi, id est, intentione mentis ad veritatem acumine suo tendentis. Huius proprium est id, quod obiicitur, totum negare, quod iudex suspicionibus sectatur. Status hic temporum est; nam quaeritur *an fecerit*, *an faciet*, *an facturus sit*. Alia est coniectura, quae plena dicitur, alia, quae non dicitur plena. Aut enim et in personis et in rebus quaestio est, et est plena coniectura: aut in personis tantum vel in rebus tantum, et est non plena.

---

4. Ita cod. sine nomine substantivo. Sed inferius *materia*. 6. Cod. εἰς τοῦ αἴτιων 7. Cod. εἰς. 15. Cod. *m.* superposita *a*. 39. Fort. *dicitur non plena*. Or.

7. Cf. Inst. III. 6.

Coniectura plena est, ut est illa: *despondit filiam petenti pater; exclamavit mater potius esse, ut moriatur, quam ut illi nubat; obiit puella ambiguis signis citra nuptiarum diem; ream veneficii facit maritus uxorem.* Hic enim et de re quaestio est, *an veneno obierit puella*, et de persona, *an mulier dederit.* De re tantum quaestio est, ut in illa controversia: *pater et filius ducatum petierunt; filius praevaluit; aciem commisit: captus est et patibulo affixus. Inventus est pater cum auro ab hostibus veniens; reus est proditionis:* hic enim de facto ambigitur solo. De persona tantum quaeritur: ut *quum caedis reus est, qui iuxta cadaver recens in solitudine cum gladio inventus est.* Hic enim res apparet, hoc est, homicidium, sed de auctore dubitatur. Sunt et duplicis coniecturae species plures: prima quum utrique se reos directo consistunt, et sunt duae accusationes, duae defensiones, id est, anticategoria, et iudici licet quemcunque damnare, ut in hac controversia: *vir fortis, cui noverca erat, captivae nuptias praemii nomine impetravit. Obiit vir fortis veneni signis; reas se faciunt veneficii captiva et noverca.* Secunda species est, in qua reus eligit aliquem facinoris auctorem, tamen citra accusationis periculum; ut M. Tullius removendi a Sexto Roscio criminis causa Capitonem et Magnum et Glauciam designat facinoris auctores. Tertia species est, in qua quaeritur, *hic testamento nominatus, an ille: veneni sint, an cruditatis?* Quarta species est, in qua uterque a se factum esse consistunt, ut in hac controversia: *tyrannus suspicatus est sibi venenum a medico suo datum: alium medicum advocavit: ille ait veneno eum appetitum, et antidotum pollicitus dedit potionem, qua epota, tyrannus obiit. Ambigunt medici de praemio.* Fit coniectura et ex una parte duplex aut multiplex, quum duo aut plura crimina accusator intendit, quae defensor negat.

§. 3. DE FINE.

Si neque de facto neque de persona negamus, superest, ut confessi commisisse nos quod obiicitur, negemus id, quo accusator vult nomine vocandum, ut sit finis. Ut, *dives inimici pauperis statuam verberavit; reus est iniuriarum.* Hic enim non negat a se dives quod intenditur factum, sed difforte se tuetur, id est, non hanc esse iniuriam. Diffors enim est oratio, quae id, quod definit, explicat quid sit: et ideo in hoc nomine controversia est, quia, quum de facto conveniat, quaeritur, quo id, quod factum est, nomine appelletur. Omnis quaestio finitiva fit, quotiens aliqua res ex parte perfecta est, ex parte imperfecta. Nam si sit omni parte perfecta, nulla erit quaestio:

---

5. *mulier*] Sic codex. Maius sine necessitate edidit *mater*. Or. 17. *Vir fortis* supperadditur in Cod. 22. Videtur supplendum *signa*. Mai. Malim: *veneni signa, an cr.* Or. Ibid. Codex quidem habet *cditatis*, *u* posita super *c*. (Sulpicius Victor p. 273. legit item *cruditatis*. Or.) 23. *consistunt*] Ita Cod. (Fort. *esse confessus se consistunt.* Or.) 36. Cod. *diffinit.*

27. Hanc nominatim atque alias eiusmodi, quae sequuntur, controversias in scholis agi solitas ait Auctor dialogi de causis corr. eloq. cap. XXXV.

ut, *sacrilegium illud est, quia de sacro loco vas ablatum est. Sacrilegium illud non est, quia non sacrum vas ablatum est.* Et semper sive in simplici sive in duplici finitor eo, quod est, nititur. Infirmatur diffors eo, quod deest. Illud etiam respiciendum est, quod in omni finitivo statu aut minoris poenae oblatio est et maioris repulsio: ut, *non debeo capite puniri, quia non sacrilegium est, quod admisi, sed furtum: ob hoc quadruplum solvendum est.* Aut omnis omnino poenae repulsio est: ut, *nullam poenam mereor, quod statuam verberaverim; non est enim iniuria, quod admisi.* Huius status species sunt plures. Est enim simplex, quando de uno nomine quaestio est, ut in illa controversia, in qua reus est iniuriarum, qui statuam verberavit: nam quoniam hoc tantum in disceptationem venit, quid sit iniuria, simplex finis est. Est et duplex finis, in quo duo nomina veniunt in quaestionem: ut, *fur quadruplum solvat; sacrilegus capite puniatur. Is, qui ex fano pecuniam privatam subripuit, ad poenam deposcitur: offert quadruplum.* Hic duplex finis est, quia quaeritur et quid sit furtum et quid sit sacrilegium. Est et alia species duplicis finis, in qua non de duobus nominibus quaeritur; sed quum ei rei, quae proprium nomen obtinet, aliud extrinsecus nomen adhibetur: ut, *saepe se verberanti marito uxor amatorium dedit, eumque repudiavit; obsecrantem reconciliari, respuit; ille se suspendit; rea est mulier veneficii.* Hic constat potionem illam amatorium vocari: an tamen et veneficii nomen accipere debeat, quaeritur. Est et multiplex finis, qui fit aut per partitiones aut per divisiones: per partitiones, quum res ea, quae proposita est, quasi in membra discerpitur, ut si quis dicat: *ius civile est, quod in legibus, senatus consultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistit.* Per divisiones autem, quum formas omnes complectimur, quae sub eo genere sunt: ut, *abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexo aut cessio in iure.* Est etiam finis per etymologiam: ut, *tyrannicida optet praemium; ascendit quidam arcem necaturus tyrannum, ipso non reperto liberos eius interfecit, et ibi gladium reliquit, quo se, quum supervenisset, tyrannus occidit.* Qui eum negat praemio honorandum, etymologia utitur, dicens, tyrannicidam esse, si quis occidat tyrannum, non si quis ei causa mortis exstiterit. Est et alius finis, in quo aliud continet et aliud continetur: ut, *si quis sacra indicaverit, poenas luat: quidam initiatum se sacris somniavit; eam rem sacerdoti retulit; sacerdos ita esse respondit; petitur ad poenam.* Hic continens finis est quid sit indicare; *dicere, an assentire nescienti?* Continetur ille, *an profanus sit, qui talia somniavit.* Ex cuius quaestionis fortuna dependet etiam prioris eventus.

---

10. Cod. *qd.* superimposita *o.*

15. *qui*] Ed. Rom. *quis.*

28. Notemus hanc egregiam civilis iuris definitionem.

§. 4. DE QUALITATE.

Qualitatis status vel in primis ad notitiam necessarius est, propterea quod multiformis ac varius est et in plerisque forensibus negotiis magis quam in pragmatibus scholasticis assiduus. Est igitur qualitas, ut ex nomine ipso deprehendi potest, genus quaestionis, in quo nihil aliud tractatur, quam cuiusmodi sit ea res, quae in controversiam adducitur. Sunt autem qualitatis primae species duae secundum M. Tullii auctoritatem; pragmatica, id est, negotialis, et dicaeologica, id est, iuridicialis.

§. 5. DE PRAGMATICA, ID EST, NEGOTIALI.

Negotialis est, in qua infinite et quodammodo citra personae complexum de re ipsa quaeritur, qualis ipsa sit. Pragmatica fit modis pluribus. Nam et deliberativum est quaestionis genus. Sed si modo res apud iudicem agatur, persuasoria est controversia negotialis; quo in genere sunt omnes fere diffortes. Item fit quum simplex petitio inducitur, vel quum quaeritur, in quo iure sit res aut persona. Item negotialis status est, quum quaeritur de quantitate alicuius rei vel in mensura vel in numero: quod genus quaestionis incidit nonnunquam in civiles actiones, quum aliqua ratio acceptorum, expensorum et solutorum inducitur, vel quum de iugeratione agitur inter vicinos. Et modo primo quaestio nascitur, vel quum propter onera fugienda de bonorum permutatione tractatur. Et ut breviter explicem, quaecunque controversia versatur in aestimatione litis vel pretii vel quantitatis vel numeri vel alicuius huiusmodi rei, ea cadit in statum negotialem; sicut etiam de aestimatione litis aut de modo poenae constituendo his, quorum de culpa iam pronuntiatum est: quales sunt duae orationes Catonis et Caesaris de poena coniuratorum; quaeritur enim illic, quanti lis coniuratorum debeat aestimari. Hoc autem genus quaestionis totiens nascitur, quotiens nulla lex certam poenam constituit maleficio, quod constat: aut quum plura genera poenarum sunt divisis legibus constitutarum, contra voluntatem alter alterius sibi vindicabunt, et non arbitrium iudicis, sed necessitatem legis spectabunt. Et ideo ne sit error, totiens negotialis status esse dicetur, quotiens poenae in condemnatum reum electio erit in iudicis potestate nullam statutam formam vindicante. Praeterea etiam illud est negotiale quaestionum genus, in quo singulae rerum qualitates patiuntur quaestiones per universales propositiones, an honesta, an utilis, an iusta res sit: quae ferme etiam in legum et in rogationum lationibus observari solent. Item alia est species negotialis, quum hae eaedem qualitates rerum inter se comparantur, utrum iustior, an honestior, vel quum aliquis reddit causas voluntariae mortis. Fit negotialis status ἐπιβολῇ ποιο-

6. Cod. ubique *nichil*. 20. *de iugeratione*] Sic scripsi. — *de numeratione* Cod. et Ed. Romana. Os. 21. Num pro *veluti?* 23. Cod. *praecii* cum diphth. constanter, ut alii prisci codices. 31. Num pro *diversis?*

8. De Invent. I. 11.
27. Apud Salustium.

τήτων, id est, iniectione qualitatum, quum quasi iniicitur et supervenit qualitas qualitati, sicut in illa controversia: *qui servus dicebatur, coepit in libertatem vindicari: placuit omnia iudicia in annum differri: postulat ille, ut medio tempore in possessione libertatis sit.* Est enim una qualitas, quia servus videbatur: deinde supervenit qualitas alia, quia liber hodie videri vult, et exinde quaestio oritur; quae tamen quaestio non fuisset, nisi adumbrata esset influentibus in se quodammodo prioribus qualitatibus: et seposita persona quodammodo generaliter quaeritur, quum paullo ante servus, hodie autem liber dicatur, et necdum de altero constet, utrum sit aequius eum in libertatis possessione consistere, an in servitute retineri. In summa omnis negotialis status neque facti defensionem habet neque coniecturam futuri, sed suadet etiam, quid oporteat fieri. Ideoque eiusmodi res ad ius quodammodo futuri temporis spectat. Diximus retro duas esse primas species qualitatis, negotialem et iuridicialem. Quoniam igitur de negotiali satis tradidimus, nunc iuridicialem videamus.

§. 6. DE IURIDICIALI, ID EST, DICAEOLOGICA.

Iuridicialis est, in qua non sicut in negotiali quid debeat statui, sed quid fieri oportuerit, consideratur. Et licet similis sit superioribus, differt tamen, quod criminibus refutandis commodior videtur. Proprium autem eius est, quod ita subest de ista materia, ut, an criminose an licite factum sit, disseratur. Hoc scinditur in duas partes, in antilepsin, quae est absoluta, et in antithesin, quae est relativa.

§. 7. DE ABSOLUTA, QUAE EST ANTILEPSIS.

Absoluta qualitas fit quotiens de facti tantummodo qualitate contenditur, ipsaque res, quae in iudicium vocatur, perniciosa non esse vere monstratur, recteque facta et iure: quoniam frustra est paene licitum quid esse, nisi sit et bonum atque iustum; et ita tamen secundum iustum non vetetur, ceterum si legem profert, legalem statum. Veluti, *damnato Milone exclamavit M. Tullius, Romam sedem bonis viris esse non posse; et reus est laesae rei publicae.* Hic enim neque dictum a se, quod obiicitur, infitiatur, neque de nomine criminis disputat, nec de transferendo iudicio laborat, nec lege contra legem aliquam utitur, nec contra sententiam scripto nititur, nec ambiguitatem distinguit, nec colligit aliquid, collectumque dissolvit, nec sicut in negotiali qualitate quid oporteat fieri tractat; sed de qualitate eius, quod iam dictum est, contendit, et nullo iure prohibitum et perniciosum non esse.

§. 8. DE ANTITHESI, QUAE EST RELATIVA.

Antithesis genere et ipso exprimit qualitatem: sed idcirco tantum species habenda, quia non usquequaque simili, ut absoluta, consistit

---

12. Cod. hoc loco *negocilis*. 23. Cod. *antilensi* et mox *antithesi*. Ed. Rom. *antilensin* et mox *ANTILENSIS*. 29. *ceterum*] Ita Cod.

39. Cfr. Quintil. VII. 4.

articulo. Namque illa, ut quae prima vim generis sui, id est, qualitatis, exceperit, in eo universa est, ut de qualitate eius, quod fecisse aut dixisse arguitur, reus disputet, id est, non esse improbum doceat. Antithesis autem non ex qualitate eius, quod fecisse reus arguitur, defensionem praestat, sed ex alia re extrinsecus appetita, id est, ex causativo, quum rei ipsi non potest assistere, sed causam asserit, propter quam fecisse dicat. Et interest inter absolutam et relativam, quod ibi facti qualitate reus se tuetur, hic qualitate causae, propter quam dicitur factum, id est, *αἴτιον*. Veluti, *Orestes accusatur, quod matrem interfecerit*. Non potest enim factum quod obiicitur, recte factum ostendere, sed *αἴτιον*, id est, causam, propter quam fecit, allegat, id est, ob patris sui necem. Fit antithesis per IIII. species, aut *κατ' ἀντέγκλημα*, aut *κατ' ἀντίστασιν*, aut *κατὰ μετάστασιν*, aut *κατὰ συγγνώμην*. *Κατ' ἀντέγκλημα* est, quum in eum ipsum, cuius gratia arguimur, culpam referre conamur, et causativum ad defensionem facti ex ipsius incusatione deducimus: ut supra, *Orestes reus ob necem matris, ipsam, propter quam accusatur, accusat, et in eam, quae maritum interemit, causam criminis refert, ac per accusationem matris sui defensionem comparat*. *Καταντίστασις* fit, quum aeque factum ipsum quasi recte factum probare nequeamus, causativum autem inducimus, ut ex incommodo, propter quod arguimur, maius commodum enatum veluti rei rem rependimus atque pensamus: ut, *imperator fugientibus ad moenia militibus, bis acie pulsus, tertio disiecit muros et conflixit et vicit*. Nemo potest dicere recte factum, quod civitati muri sint adempti; sed adfirmat maius ex eo incommodo commodum esse quaesitum, victoriam scilicet; cuius beneficio consecuti sunt, ut vel alia moenia meliora etiam exstruere possint. Catametastasis fit, quum factum, propter quod arguimur, aliorsum a nobis dirivare conamur; nec compensamus, sicut in catantistasi; nec in eum ipsum, propter quem rei sumus, regerimus incusationem, sicut in catantenclemate; sed contenti a nobis removere, aliorsum transferimus vel in personam vel in rem: in personam, ut si *Ahala Servilius Spurio Maelio occiso ita se defenderet, occidisse quidem, sed iussu dictatoris*. In rem, ut *si Hannibal reus, quod a tertio lapide Urbis recessisset, diceret fulminibus et tonitruis se esse deterritum*. *Κατὰ συγγνώμην* est, quum et factum confitemur, quod intenditur, et culpam esse concedimus et eam in alium transferre non possumus et commodum nullum ex ea probare conamur; sed, omissis omnibus, veniam precamur aut ignoratione aut necessitate aut casu: ut est Marci Tullii pro Ligario sententia: *si omnia defecerint, superest deprecatio, in qua et male et sponte nos fecisse confessi, nihil aliud quam preces allegamus*. Quod genus actionis apud humiliores iudices nihil valet, si sola sit. Quid enim apud eum preces agant, cui necesse est damnare confessos?

---

9. Cod. cum adspiratione heic et alibi. 19. Cod. *occasionem*. 20. Cod. *eque*. 29. *dirivare*] Ita Cod. 32. Cod. et Ed. Rom. *Huala*. 34. Deest *si* in Cod. 44. Cod. 2. manu *dampnare*.

40. Cf. cap. X.

§. 9. DE METALEPSI, ID EST, RATIONALI ET LEGALI.

Translatio est, id est, praescriptio, quum id agimus, ut causam non dicamus, id est, excludamus actione adversarium. Consistit autem haec quaestio aut ratione, aut lege. Ratione praescribimus modis sex; aut persona, aut loco, aut tempore, aut re, aut modo vel numero. Persona, ut, *ignominiosus es, accusare tibi non licet:* aut, *magistratus sum, accusari me non licet*, et alia. Loco, ut, *non in senatu accusari debeo, sed apud iudicem: non Romae, sed Athenis*, et alia. Tempore, ut, *non nunc, sed olim agere debuisti*, aut, *nondum tibi agere permittitur*, et alia. Re, ut, *dementiam tibi agere licet adversus patrem, tyrannidem non licet*, et alia. Modo, quod difficile in scholasticis pragmatibus invenitur, ut, *non hanc formulam mihi intendere debuisti, sed illam: non ex hoc edicto mecum agere, sed ex illo: non tanti litem taxare, sed tanti* [*litem*,] et alia. Nonnunquam et in una controversia duae translationes exsistunt. Necesse est tamen praescriptionem in aliquem statum continuo transire: ut si dicam, *non potes me accusare, nam infamis es;* et respondit ille, *non sum;* et fit coniectura: aut respondebit *aequum esse et infamibus actionem dari;* et fit qualitas, et alia.

§. 10. DE TRANSLATIONE LEGALI.

Translatio est legalis, quum aliquod nobis ius patrocinatur ad excludendum actionem diversae partis, ut in illa controversia: *bis de eadem re agere non liceat; pauper duorum divitum inimicus filio in urbe relicto peregre profectus est; filius eius inventus est occisus et spoliatus: et accusaverunt se divites caedis, ambo absoluti sunt; regressus pauper vult eos accusare; illi ex lege praescribunt.* Non fallat autem nos, non in his solis controversiis esse praescriptivas quaestiones, quae totae praescriptione tollantur; ut est controversia, quae supra scripta est; sed sunt et aliae controversiae, in quibus erunt quidem primae praescriptivae quaestiones, sed non ita, ut controversia finiatur in ipsis. Utrinque enim, omissa praescriptione, descenditur ad causae disceptationem; ut, *mortem petit vir fortis unius ex civibus; decreta est; non occidit; petit ille, ut occidatur.* Erit quaestio prima praescriptiva, *non licet tibi postulare, semel decreta morte mea; et si adversus alium licet, adversus me non licet.* Quae quamquam sint praescriptiva, necesse est tamen ab his descendant actiones ad iuris aut praemiorum disputationem.

§. 11. DE STATIBUS LEGALIBUS.

Sunt autem legales status, sicut supra dictum est, quattuor: ambiguitas, quam Graeci *ἀμφιβολίαν* vocant; collectio, quam Graeci *συλλογισμόν* vocant; contrariae leges, quem Graeci *ἀντινομίαν* vocant; scriptum et voluntas, quem Graeci *ῥητὸν κατ᾽ ἔννοιαν* vocant.

---

10. *dementiam*] Ita Cod. — *clementiam* Maius. 14. Ita Cod. — Del. *litem*. Or. 22. *excludendum*] Sic Ed. Romana. 27. Ita Cod. 33. An *occiditur?* Or. 41. *quem*] Ita Cod. heic et infra, ita ut referatur ad voc. *status*, nisi mendum est. 42. Corruptum est in Cod. hoc vocabulum, nempe *catiano*.

§. 12. DE AMBIGUITATE.

Ambiguitas est, quotiens varia pronuntiatione vel varia significatione quaestio nascitur. Fit autem vel in scripto vel in voluntate scripti. In scripto aut per distinctionem fit aut per similitudinem nominum, quod est ὁμωνυμία. Per distinctionem fit sic: *periurus ter dena milia solvat: periuratum semel; petuntur ab eo triginta milia.* Sic enim totum in distinctione consistit, utrum pronunties *periurus ter*, an vero *periurus*, et distinguas, et sic postea adiicias *ter dena milia det.* Per similitudinem autem nominum, velut *heres sit Tiberius*, et multi Tiberii ambigant; vel quum *legatur taurus*, et quaeritur, *utrum bovem, an servum Taurum legaverit*, et talia. Per voluntatem vero fit ambiguitas, quum tota quaestio in voluntate scriptoris consistit. Veluti *meretrices, si ancillas habeant, publicae sint:* hic enim neque distinctio discernere potest quaestionem, nec de nominis similitudine altercatio nascitur, sed tantum quid lex voluerit quaeritur, utrum meretrices publicas esse, an ancillas, an utrasque.

§. 13. DE LEGIBUS CONTRARIIS.

Legum contrariarum status est, quum aut duo scripta contraria inveniuntur, et comparatione in diversa nituntur, quod perquam raro accidit; aut quum peristasis ipsa, quamvis diversissimas leges, ita tamen comminus conducit, ut contrariae esse videantur. Veluti *sacerdotibus Vestae sit perpetua virginitas; viri fortes praemium accipiant: fortiter fecit quidam, et petit nuptias virginis Vestae.* Hic enim ipsae leges contrariae non erant; quippe ne eadem quidem de re scriptae, sed incidentia, quam peristasin dicimus, ita eas ex diverso comminus adegit, ut repugnare sibi videantur. Fit autem legum contrariarum status, non modo quum duae leges videntur esse contrariae, verum etiam quum aliqua incidit duplex, et actores alter alteram tuentur partem: veluti, *rapta raptoris mortem aut indotatas nuptias optet: duas quidam eadem nocte rapuit; altera mortem, altera nuptias optat.* Hic quamquam una lex sit, tamen legum contrariarum status dicitur. In simplicibus quoque aliquando nascitur legum contrariarum status: velut *fortis praemium accipiat, fratres, qui patrem habebant proditionis reum, fortiter fecerunt; petunt alter, ut aboleatur iudicium, alter, ut agatur.* Quod enim ad legem attinet, simpliciter unam rem praescribit, *ut vir fortis praemium accipiat;* non ut illa superior *aut mortem aut nuptias flagitet:* sed voluntates diversae virorum fortium quandam speciem ediderunt quasi duarum legum contrariarum. Hoc genus quaestionum nonnulli quasi sine statu, asystaton, repudiant, quum omnia videantur utrimque paria esse et sint ἰσάζοντα. Sed comparatio per omnes tracta articulos ab hac calumnia vindicat quaestionem.

---

6. *periuratum*] An *periurat (peierat) quidam?* Or. 24. Desideratur *de* in Cod.

§. 14. SCRIPTI ET VOLUNTATIS.

Quando alter verba praestat, quae scripta sunt, alter sententiam interpretatur vel quiddam excipit, scripti et voluntatis status appellatur. Hic autem status non in legibus solum est, sed in testamentis et edictis, in dictis, in omni re, quaecunque in literas referri potest. Ut in hac controversia: *peregrinus murum si ascenderit, capite puniatur; murum peregrinus ascendit, hostem advenire nuntiavit, processit exercitus et vicit; petitur ad poenam.* Is, qui petit, lege utitur; is, qui recusat, voluntate: dicit enim *non omnes, qui ascenderint, sed eos, qui malo voto ascenderint, puniendos.* Scripti autem sententiam intemptamus tribus modis: aut scripto ipso; patet non semper id posse servari; non enim et infantes et debiles vinciuntur. Aut ex legibus exempla ducuntur, quibus probetur non semper scripto stari posse. Aut quum ex ipsis legis verbis argumentantur non id, quod dixerit, voluisse latorem. Ut in hac controversia: *noctu qui cum ferro fuerit inventus, vinciatur; cum massa ferri quidam deprehensus est; petitur ad poenam:* apparet enim legis latorem in ferri nomine telum cogitasse.

§. 15. DE COLLECTIONE.

Quum ex eo, quod certum est, id, quod incertum est, ratiocinatione inquiritur, collectivus status vocatur. Hic colligitur duplici modo. Nam quaeritur aut an satis lege cautum sit, aut an nihil propriae legis habeat et similitudine uti debeat. Superioris collectionis species sunt IIII. Ab eo, quod semel, et saepius: ut *incesta praecipitetur: praecipitata evasit; petitur ad poenam:* dicitur enim, quae praecipitari iussa est, saepius debere praecipitari, nisi obierit. Aut quod in uno et in pluribus: ut, *qui duos tyrannos uno tempore occidit, petit duo praemia; contra dicitur.* Aut quod ante est et postea: ut, *rapuit quidam et profugit; rapta nupsit; reversus raptor petitur ad mortem.* Aut quod in parte est totum: ut, *vomerem pignori accipere ne liceat; aratrum accepit; contra dicitur.* Secunda collectio fit a simili: ut, *quum vir fortis praemium accipiat, et tyrannicida debeat accipere.* A contrario: *desertor capite puniatur; vir fortis praemium debet accipere.* A maiore ad minus: *exulem intra terminos liceat occidere; utique et flagellare.* A minore ad maius: *furem licet verberari; latronem utique interfici.* Haec sunt, quae de cognoscendis statibus insinuanda tibi existimavi. Sed in his ille error non debet exsistere, quod plerumque in pragmatibus rationalium statuum multae leges inveniantur. Quamvis enim ista sit pugna, tamen omnis lis atque contentio non ex legibus, sed ex ratione extrinsecus adposita consurgit. Veluti *fur quadruplum solvat; sacrilegus capite puniatur; de templo qui privatam pecuniam sustulit, offert quadruplum, et petitur ad poenam.* Hic quamquam duae leges positae

---

12. Ita Cod. (Excidit fortasse: ut in hac lege: *capitis rei vinciantur;* non enim cet. Or.)
14. *stari* scripsi pro *stare* Cod. Or. 32 *debeut*] Leg. *debet*, ut v. 34. Or.

sint, quaestio tamen non ex legibus nascitur, sed ex criminis proprietate; et fit status finitivus, qui est unus, sicut retro didicisti, ex rationalibus statibus. Contra et legales quaestiones, quamvis multae extrinsecus rationales altercationes admoveantur, pugnam tamen et contentionem ex ipsis legibus gerunt. Ut, *vir fortis praemium petat; fortiter quidam fecit et petit mortem civis.* Hic etsi ratiocinatio adhibeatur extrinsecus, disceptatio tamen omnis nominis in legis voluntate consistit; et fit status scripti et voluntatis, qui est et unus ex legalibus statibus. Post haec meminerimus, alias esse controversias simplices, alias coniunctas. Simplices, tres status habere; id est, aut *non feci*, aut *non hoc feci*, aut *iure feci*, et cetera. Coniunctas vero totidem status plerumque recipere posse, quot sint crimina vel species. Velut quum uni reo multa intenduntur, et aliud negat, aliud definit, aliud iure factum contendit, et cetera, prout causa postulaverit. Aliud autem interest inter simplices et compositas controversias; quod compositae, sublata una re aut pluribus, manent tamen; simplicium omnis contentio contra unam rem consistit. Et ideo quum incidit composita causa, licebit eam sic tractare quasi plures causas.

IV. §. 1. DE DIVISIONE.

Quoniam, quemadmodum possis dinoscere statum, plenissime tibi traditum est, protinus accepto themate cura perspicere, cuius quid sit statûs. Habent enim singuli quandam ad dividendum regulam propriam, licet sint eius pleraque communia; illo quod in omni statu divisio rectius ordietur a generalibus quaestionibus, quae in unaquaque causa generales esse potuerint: et a generalibus gradatim descendunt ad speciales, id est, ad causae proprias. Generales sunt, quae non in ipsa tantum causa tractari possunt, sed habent aliquid commune cum pluribus: ut, *an veri simile sit a divite tyrannidem affectari.* Hoc enim non in hac tantum causa, sed ubicunque dives reus affectatae dominationis fuerit, disputari potest. Deinde sequitur, *an quum habeat magnam secum manum.* Haec quoque generalis quidem est, aliquatenus tamen iam devergit ad speciem: non enim omnibus reis hoc idem obiici potest. Ex hac pervenitur ad specialem, id est, propriam praesentis iudicii: *an quum abdicatos secum habeat.* Ita sensim defluit generalitas ad speciem, id est, ad τὸ κρινόμενον. Eadem ratio est divisionis et in ceteris omnibus statibus. Intuendum tamen est, ne nimis immoremur generalibus quaestionibus, sed praecipuam congressionem ad causae proprias conferamus species. Disputatio enim generalium apud animos iudicum praeparabit tantummodo aditum, ut magis persuadere possis, quum de specialibus disputabis. Ceterum omnis causae firmitas in τῷ κρινομένῳ non est specie iudicii propria. Cui etsi generales nonnihil prosunt, nisi tamen cum summa industria speciales fuerint elaboratae, frustra sit in generalibus opera consumpta. Sunt et incidentes quaestiones, sed et incidentium incidentes, id est,

---

10. Vocabulum *tres* est corruptum in Cod. 23. *illo*] Ita Cod. Num pro *eo*?

quum ad iudicandum statum eum, qui est causae proprius, alius extrinsecus status supervenit. Sed hoc planius per divisionum exempla percipies. Nullus enim omnino est status, qui non vel sibi ipse vel cuicunque alii statui possit incidere. Accepto tamen themate cura perspicere ante omnia, num praescriptio possit opponi per aliquam sui speciem, de quibus retro didicisti, id est, aut persona aut loco aut tempore aut re aut modo vel numero aut aliquo scripto. Potius enim est, si litis condicio patitur, adversarium ab actione depellere, quam cum intentionibus eius conluctari. Sed tamen acriter praecavendum est, ne in praescriptivis quaestiunculis aut leves admodum aut nullius momenti occasiones sint, aut invidiosae et contrariae. Si autem inventa fuerit praescriptio, dividetur ea ratione, quam suo loco status huius divisione cognosces. Nunc primum de coniectura tractemus.

§. 2. DE CONIECTURA.

Plena coniectura dividitur locis septem; a persona, a causa, a consiliis, a potestate, ab initio ad finem, a translatione causarum, a veri simili defensione. In persona consideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, vita, amici, aetas, incessus, vultus: nunc haec omnia, nunc quae causa habuerit. Nec enim semper necesse est omnia considerare ista, sed quae praesens negotium subministraverit. A causa autem: amor, odium, spes lucri, vel futurorum timor, et cetera. A consiliis: an suppliciorum metu retardari potuerit, an reum futurum se non speraverit. A potestate: pecuniae, arma, conspiratio, numerus clientium, servorum. Nexae autem inter se esse debebunt causa et potestas. Nam ut frustra est voluisse, si non potuerit, ita potuisse, si noluerit, vanum est. Ab initio autem ad finem, in quibus factum ipsum excutimus, variae sunt usquequaque quaestiones. Nam in illis facta, dicta, affectus, eventus etiam considerari solent; praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, iusiurandum, testes, responsa, vox aliqua emissa; et ea, quae dicuntur signa, id est, vestis cruentata, livor et talia; et omnia, quae in causa inveniuntur, non ingenio nec arte excogitantur, sed ingenio et arte scrutari solent, et appellantur ab initio ad finem, quod Graeci dicunt *ἀτέχνους πίστεις*. Et nunc ordinem sequimur, nunc eum convertimus pro utilitate causarum. A translatione causam facti transferimus in id, quod facere licuit, et haec est sedes coloris, in qua parte vel maxime coniecturales causae laborant. Veri similis defensio est, quae plerumque horum argumentorum est confirmatio. Haec resolvitur ab accusatore locis tribus; ignoratione, casu, necessitate; quorum omnium usum in exemplo experiemur. *Dives adolescens multos abdicatos recipit; reus est adfectatae dominationis.* A persona, *an veri simile sit, ut dives tyrannidem affectaverit.* A causa, *an propter lucra et voluptates, quae*

---

5. Cod. heic *perscr.* 21. *A*] Ita Cod. etsi superius est *in*. Ibid. Cod. *amorem*. Tum *spem*, *timorem*. Sed tamen infra merito redit rectus casus. 32. Ita Cod. Ceterum colon *sed ingenio et arte scrutari solent* rectius abesse videretur. 33. Cod. *ἀτέχνου*.

sunt in dominatione. A consiliis, *an metu supplicii retardari potuerit: an reum futurum se non speraverit; et si speraverit, evasurum crediderit;* quae pars similis est ac paene eadem cum veri simili defensione. Atque iccirco Marcus Tullius pro Milone per utrumque istorum locorum tractatum consiliorum divisit. A potestate, *an quum habeat magnam secum manum eorum, quos recipit*: ab initio ad finem, *an quum abdicatos recipiat, signum sit adfectatae tyrannidis; an quum multos.* Quod quoniam est pro accusatore, resolvere id reus causarum translatione conabitur, quae sunt sedes coloris. Quo in loco coniecturales causae laborant, *an ideo recipiat, quod misereatur civium calamitosorum, simulque eos sustinendo innoxios praestet.* Huic parti necessario adiicitur veri similis defensio. A veri simili defensione: *an si hoc destinaret, non utique palam abdicatos reciperet, sed eos clam sibi foederaret; ac non solos abdicatos, sed et alios homines.* Hunc locum quia resolvi diximus ab accusatore ignoratione, casu, necessitate, nascentur quaestiones hae: *an nescierit posse se accusari: an divino casu hoc modo instruxerit dominationem, ut possit teneri: an et necessitate hoc genus hominum susceperit, quia aliud non habebat.* Sic dividitur plena, hoc est, illa, in qua et rerum et personarum vertitur quaestio, sed non plenarum. Altera est, quae in personis solis litem patitur, ut in hac controversia: *Vir fortis habeat praemium; quidam fortiter fecit; praemio captivae mulieris nuptias accepit, veneno periit; rea est captiva veneficii.* A persona: *an credibilis homicidii voluntas in muliere, an veneficii, an in captiva, an in uxore.* A causa: *an causam habuerit sceleris odium illud hostile; in quo an post nuptias potuerit permanere.* Consilia etiam tractabimus, quod quidem in huiusmodi controversiis vice veri similis defensionis hoc in loco plenius exsequimur: *an speraverit occultum futurum scelus, an se ream non futuram, an prosperas sententias relaturam.* A potestate: *an potuerit venenum parare in aliena civitate; an in ea civitate, in quam captiva pervenerat; an potuerit dare ei, a quo diligebatur, et per hoc non timebatur.* Sequens est ex non plenis coniectura, in qua de re quaeritur, quia persona manifesta est. Ut, *quidam inventus est recens cadaver in via solus sepeliens; caedis reus est.* Hic scilicet venire in controversiam persona non poterit; certa enim est, cuiusmodi sit; et ideo nec voluntati locus est nec potestati. Tres igitur reliqui loci divisionem fungentur. Ab initio ad finem: *an quum iuxta recens cadaver solus sit inventus, hic sit caedis auctor; an quum in via, an quum sepeliens.* A translatione causarum: *an omne illud iniuria fecerit.* A veri simili defensione: *an si ipse esset interfector, utique fugisset potius, quam ibi substitisset; an vero neminem putaverit adfore; vel tutiorem existimaverit cadaveris obliterationem.* In coniecturae divisione voluntatis et potestatis loci communes sunt et accusatoris et defensoris, perinde etiam ab initio ad finem; quae nunc recto prosequimur ordine, nunc vero

38. *divisionem*] Ita Cod.

confundimus pro utilitate causarum. Causarum quoque translatio communis esse debebit. Nam quum constitit partes ab initio ad finem, quae nobis officiunt, causarum translatione solvendas; utrique autem possunt officere; causarum etiam translatio utrique subveniet. Veri similis defensio semper defensoris esse tradita est, quae ut resolvenda sit, supra dictum est. Si quis autem curiosius spectaverit, inveniet nonnunquam accusatorem quoque aliquid tale temptare, quum erit facti alicuius ratio reddenda, quod ad mutuam accusationem attineat. Eadem ratione dividenda erit, qua simplices coniecturales causae: hoc tantum accedente, quod unoquoque loco duplicatur divisio. Ordo tamen legitimus erit, ut prior sit nostra purgatio: nemo enim accusationem fert, cuius adhuc innocentia incerta sit.

§. 3. DE FINITIONE.

Finitiva dividitur sex locis, definitione, collectione, quantitate, comparatione, qualitate, coniectura. Definitio nominis proprietatem verbi explicat, ut quid sit *furtum*. Collectio autem contrariae partis definitionem expugnat. Contendimus enim primum hoc esse atque illud, de cuius culpa non dubitatur; et hoc operatur collectio, ut cum sua definitione adversarium poenae faciat obnoxium. Quantitas de commissi modo quaerit, quem defensor minuit, accusator amplificat, et defensionibus suis quisque adaequat. Comparatio quantitatem supercrescit. Illa enim esse contenta est, haec se ulterius extollit. Qualitas in hoc assumitur, ut accidentiam rei dispiciamus, an iusta, an bona, an turpis, an utilis, et cetera. Non tamen semper omnia, sed utique quae materia portaverit. Illud tenendum est, non solum rerum qualitates sed et personarum inspiciendas per accidentiam suam et factorum reputationem. Sed et modus inspicitur, quomodo factum sit; qui locus latus est et gaudet collationibus sive exemplis. Coniectura sexto loco fungitur, nonnunquam et secundo, quae si validior erit, locis suis dividetur. Scire debes in ea materia, in qua duplex finis fuerit, duplicari etiam collectionem. Quantitas principalis est defensoris; dicit enim minus esse quam accusator affirmet. Comparatio accusatoris est: vult enim maius esse hoc, quam esse nomen, de quo quaeritur. Qualitas utrique communis est, in qua solent partes ab initio ad finem multas recipere definitiones. Nunc sub exemplo finem dividamus. *Aeger militia vacet; qui amat, petit militiae vacationem.* A fine: *an qui amat, aeger sit.* A collectione: *an perinde sit amor atque languor.* A quantitate: *anne tanta res sit amor, qui mereatur vacationem.* A comparatione: *an gravior sit morbus animi quam corporis.* A coniectura: *utrum hoc ei divinitus, an culpa mentis acciderit, praesertim belli tempore.*

§. 4. DE NEGOTIALI QUALITATE.

Dividuntur negotiales, quae in legum et rogationum lationibus reperiuntur, primo quidem ab obscuritate, si nobis materia largitur;

12. Num pro *accusatorem?* 33. *esse*] An *eius?* Or.

ut Marcus Tullius de lege agraria facit, et Cato saepe, et saepissime Gracchus. Sequens locus est; legem esse contrariam vetustis legibus, ut Demosthenes adversus Androtionem, Aeschines adversus Ctesiphontem faciunt; qui tamen locus in scholasticis materiis quam est rarus, nisi forte sub nomine sit controversiae. Tertio loco spectabimus universales propositiones, quibus gaudet suasoria, honestum, utile, iustum, et cetera talia. Nunc suasionem legis dividamus. *Pauper et dives inimici visi sunt in gratiam revertisse, commutatis liberis per adoptionem; fert legem dives, ut indemnatos liberos liceat occidere; contradicit pauper.* Ab obscuritate: *quos dicat liberos, utrum naturales, an adoptivos, utrum a se natos, an hos, qui inde nascentur.* A contrarietate: *an obroget vetustis legibus, quae de salute civium caveant, id est, ne quis telum hominis occidendi causa ferat.* Ab universalibus propositionibus: *an iustum indemnatos necari, an ipsis quoque patribus inutile, an impium, an periculosum, an impossibile.* Hic plane et coniecturae vehemens tractatus est, *quo animo ferat.* Nec miremur coniecturam intervenire: omnis enim status, sicut saepe iam dictum est, in omnem controversiam potest incidere; qui si erit levior, uno capite divisionis cum eo transigemus; si validior, locis et ipse suis omnibus quasi principalis dividetur. Hoc eodem modo rogationum quoque lationes dividemus. Reliquas negotiales, quae nec in legum neque rogationum lationibus erunt, dividemus locis his, ab initio ad finem, definitione, consilio, qualitate, comparatione qualitatum; nunc his omnibus, nunc, ut se materia offert, quibusdam. Perinde in hac quoque divisione incidentium statuum formas et quantitates considerabimus. *Is, cuius filius non comparebat, edixit se certam pecuniam daturum ei, qui filium sibi exhibuisset; quidam mortuum ostendit; petit indicivam: contradicitur.* Ab initio ad finem: *an quum promiserit, exsolvere debeat, an non debeat, quod mortuum ostendit.* A definitione: *an hoc exhibere sit mortuum demonstrare.* A consilio: *quo consilio promiserit; utrumne qualemcunque quis demonstrasset, an vero si vivum.* A qualitate: *an aequum sit compelli eum ad pretia in orbitate numeranda.* Possit hic fortassis et comparatio qualitatum moveri, *utrum illi melius fuerit non videre omnino filium, an velut talem videre.*

§. 5. DE ABSOLUTA QUALITATE.

Dividimus absolutam qualitatem locis tribus, ab initio ad finem a partibus iusti, a consilio. Partes ab initio ad finem perinde hic etiam persequimur, atque in causis coniecturalibus inveniuntur. Partes iusti excutientur in eo, quod est natura iustum, more iustum, pacto iustum. Natura iustum est, quod nobis nascendi sorte obvenit, ut parentes amare, amicis benefacere, inimicos persequi. Hic est locus, in quo quid

4. Cod. *Stesiphontem.* Ibid. *quam*] Ita Cod. (Et recte quidem pro *perquam* vel *quam maxime*, ut Cap. 16. *verbis, utique quam propriis et accommodatis.* Ibid. *compositio quam lenis et placida decurrat.* Or.) 25. An *proinde?* 28. *indicivam*] In margine quoque repetitur hoc vocabulum. 35. Ita Cod. pro *vel.*

dignum sit examinatur. More iustum est apud Scythas sexaginta annos natum occidere. Et apud Lacedaemones flagro verberari lege vel pacto iustum est. In quo consideratur, an non sit prohibitum; nam si scriptum pertendit, alius erit status. In hoc spectantur aetatum licentiae et sectae: quibusdam enim quaedam videntur esse concessa, ut philosophis, oratoribus, pictoribus. Tertius est consiliorum locus, in quo quaerimus, quo consilio fecerit; ac si incertum, destruetur et resolvetur, causa, persona, modo, tempore, loco. Ab initio ad finem principalis est accusatoris locus; a partibus iusti, principalis est defensoris. Locus consilii utrique communis est. Nunc absolutae qualitatis materiam dividamus. *Matrona Cynicam sectam exercet; de moribus rea est.* Ab initio ad finem: *an quum affectet insolita feminis, male vivat, an quum litterarum artes, an quum philosophorum, an quum Cynicam legem sequatur.* A partibus iusti: *an liceat velle, quae prohibita legibus non sunt, an studere, an sic studere.* An consilio: *cur hoc faciat; utrumne, quod suo nomini sapientiam praestet; an vero, quod libere velit et sine observatione cuiusquam vitam ducere.* Potest hic et communis illa qualitas incidere, quae eadem per comparationem est, ubi quaeritur, *utrum e re publica sit damnari hanc, an absolvi.*

§. 6. DE ADSUMPTIVA QUALITATE.

Adsumptiva per relationem, et adsumptiva per remotionem, et adsumptiva per compensationem, et adsumptiva venialis iisdem omnes locis dividuntur, ab initio ad finem, ab adsumptione, ab adsumptionis destructione. Destruimus autem locis VI., coniectura, qualitate, definitione, translatione, quantitate, comparatione: nunc istis omnibus, nunc plerisque eorum. Horum effectus in controversiis inspiciamus. Relativa: *dux exclamantem in acie militem*, vincimur, *interfecit: reus est caedis.* Ab initio ad finem: *an quum militem interfecerit ob nullum commissum, quod lex morte punit, poenam luere debeat.* Ab adsumptione relativa: *an quum exlamantem*, vincimur, *interfecerit, absolvendus sit.* A destructione adsumptionis relativae per coniecturam: *propter hoc, an propter aliquas simultates interfecerit.* A qualitate: *an iustum fuerit sic animadverti in militem.* A fine: *animadversio fuerit illa, an vis.* A translatione: *an nec ipse, nec illo loco, nec illo tempore, sed iudices dicta causa iudicare debuerint.* Per quantitatem: *anne tanto supplicio dignum fuerit commissum* [*vindicare*] *militis.* Per comparationem: *utrum potius fuerit tunc eum interfici, an postea reum fieri.* Remotiva: *legatus intra diem tricesimum proficiscatur; legatus non accepto viatico remansit, et reus est.* Ab initio ad finem: *an quum legatus non sit profectus, debeat poenam sustinere.* Ab adsumptione remotiva: *an quum non exceperit viaticum, crimini non sit obnoxius.* A destructione remotivae adsumptionis, iisdem gradibus, id est, per

4. *pertendit*] Ita prorsus videtur Cod. habere. 38. *Vindicare* superadditur in Cod. Utique omitti poterat. 43. An *acceperit?* Os.

coniecturam, *cur profectus non sit: utrumne quod viaticum non acceperit, an ob insidias, vel contumaciam, vel laedendae rei publicae studio.* Per qualitatem: *an iustum sit cessationis causa non accepisse viaticum.* Per translationem: *an agere cum quaestore debuerit, et rem vel ad senatum vel ad populum deferre.* Per quantitatem: *an magnum sit quod commisit.* Per comparationem: *an potius fuerit vel non accepto viatico pergere quam manere.* Definitio huic controversiae defuit, sed iam praediximus, non omnes locos in omnibus materiis inveniri. Adsumptiva per compensationem: *tyrannus, trecentos nobiles uti secum gubernator transveheret, imperavit; ille omnes naufragio per dolum perdidit; reus est laesae rei publicae.* Ab initio ad finem: *an laeserit rem publicam trecentis perditis, an nobilibus.* A compensativa adsumptione: *an quum simul tyrannum perdiderit, non modo non laeserit, verum etiam iuverit rem publicam.* A destructione compensationis iisdem gradibus per coniecturam: *quo consilio navem fregerit; utrum quod perdere tyrannum voluerit, an vero quod patres et rem publicam laedere.* Per qualitatem: *an iusta causa, propter quam tot homines perirent.* Per translationem: *an tantam rem non debuerit suo arbitrio agere.* Per comparationem: *utrum melius fuerit cum tyranno illos vivere, an sic perire. Damnatus est quidam caedis, et in tricesimum diem debebat in vinculis esse: rediit qui occisus videbatur post tricesimum diem; damnatum magistratus eduxit; reus est contra legem fecisse.* Ab initio ad finem: *an cum acto tricesimo die damnatum non abstulerit ad poenam, contra legem fecerit.* A veniali adsumptione: *an venia dignus, quum innocenti pepercerit.* A destructione per coniecturam: *cur pepercerit? quod leges sperneret, an quod illum rediturum suspicaretur?* Per qualitatem: *an iustum sit istis de causis contra legem fecisse.* Per quantitatem: *an magnum sit quoquo modo contra legem fecisse.* Per comparationem; *utrum melius fuerit innocentem servare, an legem transgredi.*

§. 7. DE TRANSLATIONE.

Rationalis translatio dividitur locis tribus. Ab initio ad finem, in quo sunt persona, locus, tempus, ipsa res modusque eius, per quem movemus praescriptionem. Sequens locus est translativae qualitatis, tertius communis qualitatis. *Adultero stigmata inscribantur; scriptus praecedebat: maritus foribus eius scripsit,* hic adulter habitat; *reus est iniuriarum.* Ab initio ad finem; *an quum adulter sit, cuius domus inscripta est, agere non possit: an quum ipse maritus inscripserit:* in quo incidere etiam finis potest, *an etiam iniuria vocanda sit.* A qualitate translativa: *an ei ad impunitatem proficere debeat, quod adulter sit, cuius fores inscripserit.* A communi qualitate: *an absolutione dignus sit, qui effecerit, ne occulta esset impudicitia; an vero poena magis, quod supplicium ultra praescriptum legis extenderit.*

---

3. *iustum*] Malim *iusta.* conf. l. 18. Bait. 21. *Damnatus est* cet.] Ante haec excidisse videtur: *Adsumptiva venialis,* Bait.

§. 8. DE LEGALI TRANSLATIONE.

Legalis translatio dividitur locis his: a propositione scripti, ab homonymia vel synonymia, quod istorum inciderit in scriptum; a genere scripti in species, ab initio ad finem, a translativa qualitate, a communi qualitate: saepe istis et finitiva quaestio incidet. Nunc locorum vim sub exemplo consideremus. *Caedis sit actio. Adversus patrem ne qua sit actio, nisi dementiae: bis de eadem re agere ne liceat: pauper et dives inimici visi sint in gratiam revertisse; commutaverunt liberos per adoptionem; inventus est pauper in publico inspoliatus occisus; instituit accusare caedis adoptivus filius; praescripsit ille, et abduxit et abdicavit; vult ille rursum reum caedis facere; praescripsit dives.* A propositione scripti: *an quum lege cautum sit, ne bis de eadem re agere liceat, non possit hic rursum aggredi iudicium, quod iampridem instituerat.* Ab homonymia: *quam rem dicat, de qua bis agi vetet; utrumne plene pertractatam et diiudicatam, an etiam verbotenus tactam.* A speciebus, quae genere continentur: *an omnes causas bis agi prohibuerit; an vero privatas, non publicas, non capitales, non caedis.* A fine: *an et actio sit praescriptio.* Ab initio ad finem: *an quum abdicatus sit, agere possit et debeat.* A translativa qualitate: *an ei abdicatio possit aliquid adversus leges conferre.* A communi qualitate: *an et alias iustum sit res praeponere crimini; an caedis crimini, an quum patrem filius ulcisci velit, an et ipsi diviti honestius sit habita contentione vincere potius quam beneficio legis evadere.* Illud plane in primis scire debemus, quod saepissime legalibus translationibus coniectura implicatur, tendens ad id crimen, quod praescriptio tuetur: quae coniectura ferme omnibus locis dividitur, perinde ut si sola esset nulla interposita praescriptione. Probabile est enim genus actionis, ut videamur iure, non defensionis desperatione, praescribere. Scripti et voluntatis statum dividimus locis his: a propositione scripti; ab eius, quod scriptum est, generis divisione in species, ex quibus speciebus exceptionem voluntatis adversum scriptum afferimus; ab aliquo incidenti rationali statu. Per eos locos, quibus necandus sit hic, qui in templo Cereris inventus est, divisus est quicunque status erit, non tamen omnes eos, sed quosdam, qui opportuni erunt. Omnis autem scriptionis et voluntatis quaestio necesse est ut implicitum sibi habeat aliquem rationalem statum et vel maxime finem, coniecturam, veniam, compensativam qualitatem, universales etiam propositiones, id est, honesti, iusti et ceterorum, quae incidere solent, nonnunquam et comparationem. *Vir si in templo Cereris fuerit inventus, capite puniatur; quaedam in templo Cereris puerum enixa est; petitur ad poenam puer.* A propositione scripti: *an quum lex caveat, necandum qui in templo Cereris inventus est.* Ab specie, ex qua exceptio voluntatis adversus scriptum trahitur: *an vero lex non omnes puniat, sed eos, qui prudentes et scientes inlicito proposito fana adierunt.*

---

3. *quod*] Ita Cod. 10. *inspoliatus*] Ita Cod. (Et recte quidem. Or.) 42. Cod. *ne cavendum*.

A fine: *anne vir possit vocari infans*; *et quid sit comprehendi: quum latere cupiat, teneri? an vero quoquo modo inveniri?* A simplici qualitate: *an iustum sit, an impium, hominem huius aetatis interfici.* A coniectura: *an providentia deae illic natus sit, ut statim necaretur.* A comparatione: *utrum melius sit hunc interfici, an reservari.*

§. 9. DE STATU LEGUM CONTRARIARUM.

Statum legum contrariarum dividimus locis his: propositione scripti, interpretatione eius, comparatione scriptorum. Comparatio autem scriptorum ducitur per universales propositiones honesti, utilis ceterorumque, quos supra didicimus, statuum. Adiuvemus autem comparationibus tempus, ut quae lex antiquior sit, et quae magis congruat legibus civitatis, et quae lex super rebus maioribus caveat; quae de magis necessariis; quae privata quorundam; quae communis omnium; quae sacra, quae profana. Sed horum locorum non omnes semper in omnem materiam incidunt status; et ideo etiam ingenio est opus ad divisionem. *Abdicatus ne quid ex bonis patris capiat; qui ultus fuerit alicuius mortem, bona mortui obtineat; obiit, qui ex duobus liberis alterum abdicaverat; abdicatus accusaverat fratrem veneficii, et obtinuit; vindicat sibi bona; contradicunt propinqui.* Ab intentione scripti: *an quum lege caveatur, ne quid ex bonis patris abdicatus obtineat, hic bona patris obtinere non possit.* Ab interpretatione sententiae per exceptionem: *an non omnibus modis abdicati excludantur paternis bonis, sed tum demum, si ea sibi filiorum nomine et sanguinis iure deposcant.* Ab intentione alterius scripti: *an quum lex caveat, ut ultorem exspectent bona mortuorum, hic accipere debeat bona, qui ultor exstiterit.* Ab interpretatione alterius sententiae: *an non omnes ultores bona accipere debeant, sed hi, qui salvis aliis legibus possint.* A comparatione legum: quae lex potior habenda sit, eane, quae in patrem caveat, id est, de patribus; an ea, quae in omnes, id est, de ulciscendis quorumcunque civium mortibus: utra lege standum, magisne ea, quae puniat, an ea, quae honoret: utra melior, utra iustior, utra religiosior sit. Nonnunquam et rationalis status incidit, quem et ipsum, quatenus permittit eius subiectum, suis locis dividere debemus. Accidit etiam, ut inter duas leges ita sit quaestio, ut alteri alter status superveniat; quibus inventis locis divisiones non deerunt.

§. 10. DE AMBIGUITATE.

Ambiguitatis statum dividimus locis his: propositione partis, quae ex lege nobiscum facta est; propositione eius, quae adversus nos facit; collatione partium per universales propositiones, utra pars hu-

---

21. Cod. *intentione.* 25. Cod. *intentione.* (Pro quo voc. Maius utrobique dedit *interpretatione.* Sed *intentio scripti* eadem est, quam initio §. dixit *propositionem scripti.* Os.) 26. *expectent*] Ita Cod.

manior sit, utra congruat moribus civitatis; in quibus de animo latoris coniectura dominatur. Hos locos sub exemplo consideremus. *Qui periuraverit ter publice virgis verberetur; convictus semel periurii petitur ad poenam ut verberetur; contradicitur.* A propositione, *an periurum, ter censeat verberandum.* Ab oppositione: *an vero lex ter periurum verberandum censuerit.* A comparatione: *utrum honestius, utrum iustius, utrum legibus congruentius, utrum disciplinae aptius;* in quo quid credibile sit voluisse latorem cernitur.

§. 11. DE COLLECTIVO STATU.

Collectivus status dividitur locis his: collectione, quantitate, comparatione, qualitate. Nunc locum sub exemplo consideremus. *Adulterum cum adultera liceat occidere; mulier maritum cum adultera occidit; caedis rea est.* Ab ipsa collectione: *an lex, quae maritis facultatem ultionis dedit, dederit et feminis; an vero solis maribus scripta sit.* A quantitate: *an non tantum sit adulterii peccatum in maribus, quantum in feminis.* A comparatione: *an hoc peius sit peccatum, et iccirco morte dignius.* A qualitate: *an dignus mori maritus, qui tam intemperans fuit; an salute digna mulier, quae tam iuris tenax fuit; an hoc aliis et in commune utile sit.*

V. DE COMMUNIBUS ARGUMENTORUM LOCIS.

Divisionis in quantum breviter potui praecepta collegi. Sed enim vereor, ne quam tibi caliginem faciat, quod haec argumentorum locos appellaverint, ut ex his argumenta depromerent, cuiusque status causa esset; quod quidem confitemur esse non utile. Sed plurimum prodest, ut singuli status singulas suas quisque divisionum, id est, argumentorum, formas habeant; quia ex omnibus locis argumentorum, qui communes sunt et appellantur, sunt certi quidam unicuique statui familiariores, et magis adhaerentes fiunt: quos sicut recte accepisti, teneri oportet, ut proposito themate, quum statum eius comprehenderis, illico compendium divisionis expedias, protinus per demonstrata decurrens. Multum plane ad probationis abundantiam poteris adiuvari, si etiam, ut illi volunt, universos locos in commune traditos teneas, ut praeter obviam divisionem, quae supra est tradita, ex his amplius etiam argumenta vestiges; quae tamen tibi causae praesentis utilitas largietur. Qui igitur communes argumentorum locos tradiderunt, alios dixerunt artificiales, alios inartificiales.

VI. §. 1. DE ARTIFICIALI ARGUMENTATIONE.

Artificialium distributio quadripertita est. Sunt enim primi loci, qui rem praecedunt; deinde, qui in re ipsa sint; deinde, qui circa rem; post haec, qui post rem. Rem praecedunt persona, causa, tempus, locus, materia, modus sive ratio. In re ipsa sunt a toto, a parte,

---

1. Cod. *congruit.* 2. Cod. *consideramus*, sed infra cum *e.* 31. Cod. *approbationis* sine *ad.*

a genere, a specie, a differentia, a proprio, a definitione, a nomine. Circa rem a simili, a dissimili, a pari, a contrario, a maiore, a minore, a praecedente, ab eo, quod simul est, a consequente. Post rem, ab eventu, a iudicatis. Hi loci ideo communes appellantur, quia in omni genere causarum ex his argumenta duci possunt. Namque a persona considerabitur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, vita, amici, aetas, incessus, vultus. Itaque proposita quaestione, etiam in coniectura considerari potest cuiusmodi persona sit, ut per quae illi accidunt aut confirmetur crimen aut repellatur. Si ex barbara natione, vel contra si ex miti, si ex seditioso genere, vel ex feroci, si nobilis, si robustus, si invalidus, si bonis moribus, vel contra nequissimis. In quo ferme ante acta vita percurritur; si bonis iunctus vel pessimis, si qua arte praeditus, si verbis semper arrogans, si mansuetus et modestus. Item aetas dat aliquod argumentum in utramque partem, dat etiam fortuna: nonnunquam et incessus et vultus et habitus; sed et nomen ipsum quasi indicium morum apprehenditur. Et in controversia finitiva, argumenta nihilominus duci possunt a persona. *Non est sacrilegium, quum ab eo quid de templo detrahitur, cuius tutelae atque custodiae commissum est. Si praeceptor discipulum verberaverit, iniuria non est.* Similiter et in qualitate: *si honesta sit persona, factum quoque eius honestum iudicetur*, ut Cicero pro Cluentio fecit. A causa in coniectura: *causam adulterii fuisse amorem, aut parricidii avaritiam.* Quae plerumque poni argumentorum locis satis non est, nisi oratorum viribus adiuventur, id est, de vi avaritiae et de vi odii latius disputetur, tam in defensione quam in accusatione. Nam sicut illi valet fuisse causam, ita defensori proderit non fuisse. A causa finitiva: *si inimicitia pulsavit, iniuria est; et qui lucri faciendi causa in templum venit, sacrilegus est. Non enim res maleficium facit, sed causa faciendi. Si non ut lucrum facerem, sed ad ornatum commodarem, detraxi aliquid de templo, non est sacrilegium.* A causa in qualitate: *si causa honesta videtur, res quoque honesta videatur necesse est. Bona consumpsit; si per luxuriam, turpius; si per liberalitatem, honestius.* A tempore in coniectura: *si nox, si sollemnitas aliqua, si opportunitas, si dies.* A tempore in fine: *ut* Demosthenes *publicum crimen esse dicit, quod ludis pulsatus et festis diebus videretur.* A tempore in qualitate: frequenter enim tempore res aut turpis aut honesta potest videri, aut utilis aut necessaria: *ut arma habuisse, quum latrocinia plurima committerentur, aut domus expugnarentur.* A loco in coniectura: *ut si silvam, montem, campum, templum, domum, civitatem causarentur, quorum aut opportunum crimini quod intenditur aut alienum argumentando effici potest.* A loco in fine, ut idem illud Demosthenis: *quod in theatro et in templo pulsatus sit, esse publicum crimen.* A loco in qualitate:

---

13. Cod. *praeditis.* 14. Cod. *mansuetis et modestis.* 40. *Si* deest in Cod.

35. Contra Midiam de alapa.

sicut quae domi iure fieri dicamus, haec in publico fieri non oportet, ita is, qui adulterum in lupanari cum uxore deprehensum interemit, videatur non iure interemisse. A materia in coniectura: *ut si tyrannidis accusetur, qui paratam habeat multitudinem, qui pecuniam, qui arma et vim; vel defendatur, qui nihil horum habeat.* A materia in fine; ut Marcus Tullius pro Caecina vim colligit: *ubi armati homines, ubi convocati, ubi multi fuerint, ibi vim non esse factam videri non posse. Quibus igitur rebus aliis vis intelligatur, si in his non intelligatur?* A materia in qualitate. Qualis enim materia est cuiusque rei, talis ipsa res videri potest. Sic artes honestas aut turpes esse dicimus ex his rebus, quia instrumenta earum sunt. Nam et musicam laudamus artem, quod sint materia illius voces et modi; et oratorem vituperamus, quod eius sint materia iudicia et lites et testimonia et damnationes. A modo in coniectura, id est, a ratione, in eo est, ut quaeramus, quomodo factum sit aut fieri potuerit aliquid. Potest enim quis et causam habere et materiam; sed rationem utendi materia non habere, id est clam, aperte, vel sperasse impune facturum. Considerandum est autem, ut ratio personae accommodetur. Nam si callidus, credibilius erit clam et per fraudem quam per vim et palam admisisse; contra, si audax et impudens. A modo in fine, ut Marcus Tullius *dolum circa servos Publii Fabii definivit ex eo, quod insidiati sint.* Et idem: *non esse detrectationem circa pacem, quum non clam nec furtim profectus sit, sed palam.* A modo in qualitate: *an, si ratio faciendi iusta est, et factum iustum videri potest.*

§. 2. DE LOCIS IN RE.

In re autem coniectura argumenta ducuntur a toto, a parte, a genere, a specie, a differentia, a proposito, a definitione, a nomine. A toto: *si totam rem publicam prodidit, quod ex multis rebus ostenditur, non est incredibile eum classem et equitatum prodidisse.* Et ut Marcus Tullius in defensione fecit pro Fonteio: *si nulla pecunia numerata est;* quod est totum: *cuius pecuniae quinquagesima est?* quod est pars. Contra a parte totum: *si unumquemque laeserit, totum populum laesit. Si congressus est, si secreto constitit, si mariti domum venit;* quae sunt partes; *adulter esse colligitur:* quod est totum. A genere: *si libidinosus, et adulter; si avarus, et*

---

21. Cod. *Favii.* 22. Cod. *detractionem.* 26. Hic titulus a me suppletur in vacivo codicis spatio. 31. Num legendum *sin ulla?* (Minime vero. Os.) 36. Cod. *libinosus.*

6. Cap. VIIII. sqq.

21. Scilicet in oratione deperdita pro M. Tullio, cuius orationis videsis partes a me editas Mediolani capp. VIIII. sqq.

25. Sermo esse videtur de vadimonio, quod Fabio Romam promiserat in agro Thurino M. Tullius. Atque ex his rhetoris nostri verbis lux affulget Ciceroniano loco supra citato, vel potius illi lacunae, quae post cap. X. est.

31. Haec inedita imperfectae orationis particula collocanda videtur iuxta eas reliquias, quas e Palatino palimpsesto edidit ill. Niebuhrius.

fur. A specie: *ut, quum probare crudelem volumus, quaedam ab eo crudeliter facta doceamus.* A differentia, quum in eodem genere species ab alia specie secernitur. Ut Marcus Tullius: *qualis in urbana praetura fuerit Verres, talem in provinciali esse.* Illud nos non fugiat, incidere hoc genus argumenti, quod est a differentia, in alios locos saepe, et maxime in eum, qui est a minore usque ad maius. Nam quum dico, *qui in civitate legibus non obtemperavit, hunc per regionem modestum fuisse creditis?* a maiore ad minus ostendo; *qui civitatem praedavit, quanto magis domos incendit?* A proprio sic argumentum ducitur: *proprium est tyrannorum leges contemnere; qui ergo legem a vobis latam circumscripserit, non hoc ipso tyrannidem se affectare declarat?* Et apertius Marcus Tullius docet, quemadmodum hoc loco utamur, qui assignat propriam Caesari esse clementiam, et dicit: *bellicas quidem laudes † cum exercitu cum belli casibus ei cum ceteris esse communes. Ex ista vero laude nihil centurio, nihil cohors, nihil turma decerpsit.*

§. 3. A DEFINITIONE.

Definitio est oratio vim et substantiam rei significans. Eius duplex ratio est. Aut enim praecedente definitione quaeritur, *sitne hoc virtus*, aut *quid sit virtus.* Id aut universum verbis complectimur, ut *rhetorice est inveniendi et disponendi et eloquendi cum firma memoria et cum dignitate actionis scientia.* Sed illa prior subtilius et limatius philosophicis disputationibus coartatur; at vero haec inferior oratoris actionibus dilatatur, et magis descriptionibus et eiusmodi definitionibus explicatur, quae ex pluribus speciebus rem notent, ut Marcus Tullius contra contionem Quinti Metelli: *qui animum hostilem habet et cuius facta hostilia sunt*, et cetera. Hoc utique modo in utramque partem valebit definitio. Omnis namque, qui, quod habet, arguitur, eodem, quia non habeat, defenditur. Argumenta a definitione ducuntur et per etymologiam. Ut *locupletem* a *locorum copia*, et *pecuniosum* a *pecorum copia* dicamus. Definitioni subiecta maxime videntur genus, species, differens, proprium. Ex his omnibus argumenta ducuntur. Genus ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque non, *quae est arbor, platanus est*; at *quod non est arbor, utique platanus non est.* Nec *quod virtus est, utique iustitia est;* at *quod non est virtus, non potest esse iustitia.* Species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam *quod est iustitia, utique virtus est; quod non est iustitia, potest esse virtus, si est continentia, fortitudo.* Nunquam itaque tolletur per speciem genus, nisi ut omnes species, quae sunt generi subiectae, removeantur hoc modo:

---

4. Cod. *provincia.* 9. *praedavit*] Ita Cod. Cf. Priscianum Gramm. VIII. 6. 12. In margine scribitur *quum pro M. Marcello.* (§. 7.) 20. *aut*] Ita Cod. 24. Leg. *oratoriis.* Or.

4. Cf. in Verr. II. 6. 7.
27. Ineditus deperditae orationis locus.
31. Cicero de Rep. II. 9.

quod neque immortale neque mortale est, *animal non est.* His adiiciunt propria et differentia. Propriis confirmatur finitio, differentibus solvitur. Proprium est autem quod soli accidit, ut homini sermo, risus. Sunt eiusdem rei plura propria, ut igni lucere, calere. Sed hic ubi plura sunt propria, quodcunque proprium deerit, solvet finitionem; non utique quodcunque erit confirmabit: quod autem proprium non erit, differens erit. Ut aliud est *servum esse*, aliud *servire.* Qualis esse in addictis quaestio solet: *qui servus est*, *si manumittatur*, *fit libertinus*, *non idem addictus.* A proprio vero ad coniecturae quoque pertinent partem. Ut *quia proprium est boni recte facere*, *iracundi autem verbis aut manu labefactare; hoc ab ipsis esse credamus*, *aut contra.* Nam ut quaedam in quibusdam utique sunt, ita quaedam in quibusdam utique non sunt. A nomine, tenuis omnino et exilis; dat tamen nonnunquam facultatem argumentandi. Sic ostendimus Marcum Tullium fecisse de *Verris* sive de *Apronii* nomine; et cetera, quae similiter in hunc locum conveniunt. Sed et in finitivo statu vel multo magis iisdem locis uti possumus; item in qualitate. Nec interest utrum defendamus, an accusemus, pareamus, an resistamus: quum locorum fide monstrata, in utramvis partem inde argumenta trahi possunt.

§. 4. DE LOCIS CIRCA REM.

Secuntur hi loci, qui circa rem. Omne enim, quod in quaestionem venit, habet aliquid, cui comparetur, cum quo conferatur; quia est ei aliquid simile, est par, est contrarium, est maius, est minus, est praecedens, est, quod simul sit, est, quod consequens. Ab his in hunc modum argumenta ducuntur. A simili: similitudo est res similis ei rei, de qua quaeritur, ut ex eo, quod certum circa rem similem acciderit, id quoque, quod dubium est et in quaestionem venit, probetur. Et ducetur aut ab exemplo, aut a parabola, aut a fabula, aut ab imagine. Ab exemplo, sicut hoc est: *si custodes corporis Dionysio dederitis*, *idem faciet*, *quod Pisistratus*, *qui quum a suis civibus custodes corpori postulasset*, *tyrannidem occupavit.* Hoc enim manifestum est de Pisistrato; dubium autem erat de Dionysio. Parabola est res aut genere similis aut ratione. Ratione, ut hoc: *quod in mari gubernator*, *id in re publica magistratus*, *quia ut ille navem*, *sic ille rem publicam regit.* A genere: *quod magister pecoris*, *hoc bonus imperator;* quia genus utriusque imperium est: eo differt, quod aliud in homines imperium, aliud in muta animalia. *Quod tempestas in mari*, *hoc seditio aut discordia in populo; quod medicina in corpore*, *hoc leges in civitate.* Ab apologo autem, id est, fabula, quum inducuntur nota iam et vulgata quaedam et proban-

9. Leg. *item.* Or. 10. Cod. *bonis.* Sed mox *iracundi.* 19. *fide monstrata*] Ita Cod. (An *vi demonstrata?* Or.) 29. Cod. h. l. *parabula.* 36. *sic ille*] Corr. *iste.* 40. In Cod. reficitur *appologo.*

15. Cf. in Verr. II. 6. III. 9.
32. Cf. Cic. de Rep. I. 44.

dae rei causa ad similitudinem conferuntur. Ab imagine: est autem imago, quum ipsi aliquid simile effingimus, quamvis non sit in rerum natura, ut Marcus Tullius in Verrem: *nam sicut Scylla*, inquit, *ipsa accipimus*. A simili in finitivo statu, non aliter quam in coniecturali, ab exemplo, a parabola: *ut si ex alto aliquis portum tenens adversa tempestate prohibitus peteret, ut in eum locum, ex quo eiectus esset, restitueretur; non illud postularet, ut in salum, sed ut in ipsum portum et ut in ipsa civitate restitueretur: sic et is, qui prohibitus est ab aliquo loco, ex illo deiectus debet videri, quem petebat, non in quo pulsus est*. Et in qualitate, ut si dicamus: *utile fuisse amitti aliquam partem civitatis, ut ceterae salvae esse possint: et gubernatores in tempestate saepe vel mercium vel armamentorum facere iacturam, ut cetera stare possint*. A dissimili et in coniectura et in ceteris statibus sic argumenta sumemus. Et quemadmodum supra quaerebamus, quid esset simile, ita et e contrario consideremus, quid in se dissimile habeat ea res, quae in quaestionem venit: ut pro Fonteio Marcus Tullius exsequitur, *quod eius causa non sit eadem, quae Verris:* et in pluribus aliis orationibus. Quibus illud colligitur, ut, si dissimilia sint ea, quae obiiciuntur, atque ea fuerint, quae alii obiecta sunt, causa quoque dispar sit, et absolvi debeat hic, quum sit ille damnatus. A pari in coniectura. Fortasse hic argumenti locus similis videatur esse illi, qui appellatur a simili; sed habet aliquam differentiam. Nam id, quod est par, quantitate aestimatur; simile autem est illis modis, qui supra dicti sunt. Hic locus pertinet ad statum finitivum. Namque in eo non solum quaeritur, an hoc sit, an quid; sed an idem sit, sicut Marcus Tullius definit *id esse prohibere, quod deiici, quoniam ex utroque id consequatur, ut aliquis amittat eum locum, ex quo prohibitus est vel deiectus: ut si quis neget caedem a se esse commissam, quod non ipse percusserit, dicetur ei nihil interesse, utrum auctor quis fuerit caedis, an ipse percusserit; quoniam ex utroque in eundem exitum scelus venerit*. A pari in qualitate, ut si dicamus *utile esse tolli legem, quae inutilis est, quia nec recipiantur leges, quae noceant: idem autem esse, quam rem expertus fueris inutilem, tollere, et eam, quam nocituram putes, repudiare*. A contrario in coniectura, quod fit per cataphasin et apophasin. Si enim tibi proponitur, divitem non esse veri simile de tyrannide cogitasse, tu a contrario argumentum ducas ita: *ut si pauperem accusarem tyrannidis incredibile videretur propterea, quod facultatem non haberet; ergo quia divitem accuso, probabile videri oportet*. A contrario in fine: *ut si*

8. *in ipsa civitate*] Ita Cod.

4. In Verr. V, 56., sed libere.
10. Cic. pro Caecina XXVIII., sed aliis fere verbis.
18. Haec quoque inedita est Ciceronis particula. Porro autem, qua ratione Cicero Verrem accusaverat, eadem Fonteius a suo accusatore postulatus repetundarum fuerat, criminatione per omnes eius magistratus deducta.
Ibid. Ex. gr. pro Scauro.
27. Pro Caecina XII. sqq.

desertor appellandus sit, qui hostem vitat ac fugit, is certe, qui non vitavit nec fugit, sed ultro appetiit, desertor dici nullo modo potest. A contrario in qualitate: *ut si honestum est aliquid, turpe non est; et si iure factum est aliquid, non potest per iniuriam vindicari.* A comparatione et coniectura, a minore ad maius: *si exiguae pecuniae causa peccare non dubitavit, quid quum illi maius esset propositum lucrum? Certe non abstinuit.* A minore ad maius in fine: *si commovisse aliquid eorum, quae in templo erant posita, aut contaminasse sacrilegium videtur, quanto magis eo crimine tenetur aliquid de templo sustulisse?* Et Marcus Tullius pro Caecina: *si videre armatos satis est ad vim probandam, quanto magis pulsum esse metu ac terrore vis est?* Similiter et in ceteris a maiore ad minus. Nec necesse est in his locis ostendere, quemadmodum et in accusatione et defensione utamur. Demonstrata enim parte, facile, qui non sit hebes ac nimis brutus, assequitur quomodo in utramque partem, si facultas detur, his uti locis possit.

§. 5. EX PRAECEDENTIBUS IN CONIECTURA.

Omnis res habet aliquid praecedens, aliquid simul, aliquid consequens. Et ex eo, quod praecedit aliquid aut simul est aut consequitur, colligimus argumentum, ut Marcus Tullius pro Milone: *quum ante diem tertium dixerit Clodius Milonem periturum; quum ille non dubitaverit praedicere quid esset facturus, vos dubitatis pronuntiare quid fecerit?* Defensionis autem argumenta ab hoc loco duplici modo duci possunt. Nam si quod praecedere debuit, non probatur, nec id credibile debet esse, quod sequitur: *si non sum locutus, non possum videri prodidisse.* Aut certe hoc ipso, quod praecessisse dicitur, crimen diluimus, ut si dicatur: *occidisti, nam ante minatus es:* et contra dicas, *ex eo, quod minatus sum, credibile non est me peremisse: omnes enim, qui aliquid tale sceleris cogitant, occulte habent, quo facilius efficere possint.* A praecedenti in fine: *si omnino venisse in templum furandi causa iam sacrilegium est, quia non exitu, sed conatu male facta existimantur, quanto magis e templo quodcunque abstulisse?* Et Marcus Tullius: *denuntiasti mortem Caecinae: si hac vi perterritus discessisset, neminem dubitare oportebat, quominus vi pulsus videretur. Itane tandem audire armatos satis est ad vim probandam; videre, non erit satis?* Ab eo autem, quod praecedit et simul est et sequitur in qualitate argumentari possumus ita: *nam si quod praecedit honestum est, necesse est et quod sequitur honestum sit.* Ut, *si utile est exerceri ad vires corporis, et bene valere utile est. Si bona est sanitas, et uri et secari bonum est, quia haec pro sanitate futura suscipiuntur.* Comparativis quoque locis non minus in hoc genere quae-

30. Cod. *quod.*

10. Cap. XVI.
20. Cap. XVI. cum varietate.
33. Pro Caec. XVI. cum var.

stionis utemur, quam in ceteris. *Nam et si unum protexisse civem pulchrum est, universam civitatem eripuisse periculo multo pulchrius iudicabitur.* Et contra: *non eo multum sibi vindicare debere oratorem, si salutem homini praestiterit; nam et gubernatorem simul navigantibus, et eum, qui propugnacula aedificaverit, de muro dimicantibus aeque fecisse certum est.*

§. 6. NUNC POST REM.

Ab eventu in coniectura, quod Graeci ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως dicunt. *Si ante nobis discordia luctus et maeroris et inopiae, maximarum calamitatum, fuit causa, nunc quoque aestimare debemus eadem ventura, si discordare coeperimus.* Et ut a Gaio Fannio adversus Gracchum dictum est: *si Latinis civitatem dederitis, credo, existimatis vos ita ut nunc constitisse: in contione habituros locum, aut ludis et festis diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupaturos putatis?* Collegit enim non esse recipiendos in civitatem, ex his, quae eventura sint. *Prodere voluisse patriam arguor. Quid ita? an ut eversa patria, dignitatem a maioribus acceptam, fortunas optime constitutas amitterem, ut cui liceret beatissimo cum summa gloria vivere, idem hostium potestati subditus cum infamia degerem?* Ab eventu in fine, ut Marcus Tullius Cicero: *si iudicaveritis sine dolo malo posse familiam congregari, hominem occidi, omnibus facinorosis eandem licentiam permiseritis. Et si prohiberi non potest aut deiici, prohiberi domo tua potueris, et non habebis interdictum, quo restituaris.* Et in defensione: *quod si ex eo, quod hi naves reliquerunt et ad pedestrem exercitum transierunt, victoriam paraverunt, desertores eos appellare non possumus.* Ab eventu in qualitate: *ut, qualia sint ea, quae evenerunt, aut quae videantur eventura, tale illud quoque existimetur, ex quo evenerunt.* Ut Sabinis Ennius dixit: *quum spolia generi detraxeritis, quam*

---

11. An *eventura?* Or. 13. Cod. *contentione.* 20. Num pro *Cicero* est in codice *dicendo?* Certe vocabuli compeudium mihi paulo obscurius est. 23. Cod. 1. manu *domna tua*; 2. *dominia tua.*

12. En fragmentum ineditum Fannianae orationis, quae apud Tullium Brut. XXVI. laudibus celebratur. „Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt: quorum C. filius, qui consul cum Domitio fuit (anno urbis DCXXII.) unam orationem de sociis et nomine Latino, contra Gracchum (Caium Gracchum scilicet) reliquit, sane et bonam et nobilem." Pergit deinde Cicero vindicare Fannio eam orationem, contra nonnullorum dubitationem. Tum ait: „oratio fuit optima illo quidem tempore orationum omnium" cet. „Fannius nunquam est habitus elinguis: nam et causas defensitavit, et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit." (De Fannii tribunatu, Africano censore, rursus Cicero ad Att. XVI. 13.) Praedictae orationis prima verba apud eundem Tullium extant de Or. III. 47.: „a quo numero (cretico) exorsus est Fannius; *Si, Quirites, minas illius.*" Paulo iunior, sed tamen coaetaneus, fuit alius Fannius, Laelii gener, qui interfuit dialogis de re publica. Cic. Brut. XXVI. (Corruptum videtur v. *constitisse.* Fortasse: *existimatis vos ita, ut nunc constitutum est, in contione* cet. Or.)

20. Adhuc exempla petuntur ex oratione pro Caecina cap. XII.

29. Hoc inedito loco confirmatur Ennio titulus operis *Sabinae*, quem diserte memoraverat Macrobius Saturn. VI. 5., sed quidam criticus immerito abolendum

inscriptionem dabitis? A iudicatu in coniectura uberrimus et late patens locus est. Ex hoc fere omnia sunt quaecunque ἔνδοξα Graeci vocant, nos autem probabilia dicimus. Utimur autem iudicatu tum omnium, tum plurimorum, tum optimorum, praeterea eorum, qui in unaquaque arte peritissimi sunt. Omnium iudicatu utitur Marcus Tullius quum dicit, *nullum ordinem in civitate fuisse, quibus non licentibus ab exilio rediret.* Bonorum autem iudicatu, quum *ex senatus consulto sibi domum restitutam.* Optimorum iudicatu, *quum Pompeium et ceteros auctores reditus sui nominat.* Scientium iudicatu, quum *domum suam dicit a religione pontificum sententia liberatam.* A iudicatu in fine, similiter ex iisdem locis: ut, *si quaeratur, quid sit princeps, eum esse dicamus, qui sit nobili genere et facultatibus affluens; quod ita omnes appellandos esse principes credant.* Vel si ita dicamus, *eum esse principem, qui virtute praecellat, quod ita sapientes censeant.* Et cetera eodem modo percurremus. A iudicatu in qualitate. Hic vel maxime convenit qualitati locus. Nam et in opinione uti possumus omnium, quae turpia et honesta iudicentur, et plurimorum excellentium et peritorum aeque, ut retro didicisti. Adiiciendum videtur duci argumenta etiam a fictione, ex omnibus iisdem locis, quibus superiora. Fictio autem est proponere aliquid, quod, si verum est, aut solvat quaestionem aut adiuvet: deinde id, de quo quaeritur, facere illi simile. Hoc quo sit notius, subiiciamus exemplum. *Lex: qui parentes non aluerit, vinciatur; non alit aliquis; ut vincula recuset, utitur fictione: si filius infans sit; si rei publicae causa absit.* Et illa, quae solent contra praemium dici: *si tyrannidem petat; si templorum eversionem.* Utitur his Cicero pro Caecina: *unde tua familia aut procurator. Si me vilicus tuus solus deiecisset. Si vero ne habeas quidem servum praeter eum, qui me deiecerit.* Et alia in eodem libro plurima. Haec autem fictio quum plurimum valet adversus scripta, tum etiam ad qualitates habet vires non mediocres. *Si Lucius Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re publica posset iudicare, condemnaret Lucium Murenam.* Et, *si hoc tibi inter cenas et*

---

6. Ita Cod. Sed malim *libentibus*, ita ut haec vox referatur eleganter ad votum, ut non raro in inscriptionibus. 8. Cod. *obtimorum*. 16. *et in op.*] Ita Cod. (Del. *in*. Or.) 22. Cod. *quod*. 25. Cod. *puplicae*. 27. Edd. *unde tu aut.* Ibid. *vilicus*] Ita Cod. 1. manu; at 2. *villicus;* male, nam in priscis Codd. constanter scribitur unica *l*. 32. *Publica* deest in edd.; scribitur autem explicate in Cod.

curaverat, ut dixi ad Cic. de Rep. II. 7. Videntur autem haec verba Sabinarum feminarum bello Romuli et Tatii oratricium pacis. (Scil. *generi* non est τῷ γένει, sed Romani, *generi*, γαμβροί, Sabinorum, et pro *dabitis* fortasse leg. *dicabitis* in templo. Or.)

6. Ad Quir. post red. I.
8. De harusp. resp. VII.
9. Ad Quir. post red. VII.
10. De harusp. resp. VI.
15. Lege als Ciceronem de Rep. I. 33. 34.
27. Cap. XVIIII.
33. Pro Murena cap. XXXVIIII.

illis immanibus poculis tuis accidisset. Et, *si Appius ille caecus loqueretur.*

§. 7. DE INARTIFICIALIBUS.

Inartificiales sunt, quos non oratoris ingenium invenit, sed causa ipsa in se habet, ut praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, ius iurandum, testes, responsa, omina, vox aliqua emissa; in quibus maxima pars forensium contentionum consistit. Haec, ut ipsa carent arte, tractanda sunt: et adiuvantur iisdem locis, quos tradidimus; a persona, a loco, a tempore, a ceteris omnibus, qui in probationibus artificialibus communes argumentorum loci appellantur. Nec tamen omnia tradi possunt, sed tamen demonstratur via quaedam atque ratio, qua percepta non modo in exsequendo suas quisque vires debet adhibere, sed etiam inveniendo his, quae traduntur, similia, ut quaeque condicio litium poscit. Neque enim de omnibus causis quisquam potest dicere, quae sunt infinitae et numero et varietate.

§. 8. DE PRAEIUDICIIS.

Praeiudiciorum vis omnis tribus in generibus maxime versatur. Rebus, quae aliquando ex aliis causis sunt iudicatae, quae exempla rectius dicuntur, veluti de rescissis patrum testamentis vel contra filios confirmatis. Item iudiciis ad ipsam causam pertinentibus, unde etiam nomen hoc ductum est, qualia in Oppianicum facta dicuntur et a senatu adversus Milonem. Item quum de eadem causa pronuntiatum est, ut in reis de piratis, et adsertione secunda, et partibus centumviralium, quae in duas hastas divisae sunt, constet oratio. Confirmatur autem praecipue duobus, auctoritate eorum, qui pronuntiaverunt, et similitudine rerum, de quibus quaeritur. Refelluntur vero raro per contumeliam iudicum, nisi forte manifesta in his erit culpa, ne offendantur iudicum animi: vel aliqua dissimilitudine causae, quia vix ulla res est, quae per omnia alteri similis sit. Si id non continget, aut forte causa erit eadem actionum, incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum quaerendum, contra quas erit iudicatum; aut de gratia, quae testes corrupit; aut de invidia, aut de ignorantia; aut videndum, quid causae postea accesserit. Quorum si nihil fuerit, licet tamen dicere multos iudiciorum casus ad inique pronuntiandum valere: ideoque damnatum Rutilium, absolutos Clodium atque Catilinam. Rogandi etiam iudices, ut rem potius tueantur ipsam, quam iuri iurando alieno suum donent. Adversus consulta autem senatus et decreta principum vel magistratuum nullum est remedium, nisi aut inventa quantulumcunque causae differentia, aut aliqua vel eorundem vel eiusdem potestatis hominum posterior constitutio, quae sit priori contraria. Famam atque rumores pars altera consensum civitatis et velut publicum testi-

11. Lege *sed tantum.* Or. 15. Cod. *sint.* 23. Leg. *in reis deportatis* e Quintiliano 5, 2, 1. Or. 31. An *querendum?* Bait. 36. Lege *intueantur* e Quint. Or.

1. Philipp. II. 25.
2. Pro Caelio cap. XIIII.

monium vocat; altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium, credulitas incrementum affert; quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa vulgantium. Exempla utriusque non deerunt. In tormentis quoque pars altera quaestionem vera fatendi necessitatem vocat; altera falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Et si de vi habenda quaestio agetur, plurimum intererit, quis et quem postulet aut offerat, et in quem, et ex qua causa: sive iam erit habita quaestio, quis ei praefuerit, quis et quo modo sit tortus; an credibilia dixerit; an inter se consonantia; an perseveraverit in eo, quod coeperat; an aliquid dolore mutaverit; prima parte quaestionis, an praecedente cruciatu: quae utrinque tam infinita sunt quam ipsa rerum varietas. Contra tabulas saepe dicendum est. Quum sit autem in his aut scelus signatorum aut ignorantia, tutius ad ignorantiam nos convertimus, quo pauciores rei fiant. Sed ad hoc ipsum argumenta et causa trahuntur, si forte aut incredibile est id actum esse, quod tabulae continent; aut aliis quoque probationibus aeque inartificialibus solvitur, si aut is, in quo signatum est, aut aliquis signatorum dicitur afuisse vel prius esse defunctus; si tempora non congruunt; si vel antecedentia vel sequentia tabulis repugnant. Inspectio etiam ipsa falsum saepe deprehendit. Ius iurandum qui offert, aut ita se tuebitur, ut eum non sit credibile periuraturum; aut ipsa vi religionis, in quam plus fidei consequitur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare videatur: aut si causa patiatur, modo litis, propter quam devoturum et se ipse non fuerit passus: aut, si praeter alia causae instrumenta, adiiciet ex abundanti hanc quoque conscientiae suae fiduciam. Qui non recipiet condicionem, et a multis contemni iuris iurandi metum dicet, quum etiam philosophi quidam sint reperti, qui deos agere curam rerum humanarum negarent; eum vero, qui nullo offerente iurare sit paratus, ipsum velle de causa sua pronuntiare et ostendere, quam id, quod offerat, leve ac facile credat. Qui deferat aliis iuris iurandi condicionem, modeste agere videtur, quum litis adversarium iudicem faciat, et eum, cuius cognitio est, onere liberet: qui profecto alieno iure iurando stari quam suo mavult. Quo difficilior recusatio est, nisi forte res est ea, quam credibile sit notam ipsi non esse. Quae si excusatio deerit, hoc supererit, ut invidiam sibi quaeri ab adversario dicat, atque id agi, ut in causa, in qua vincere non potest, quaeri possit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc condicionem fuisse, se autem probare malle, quae affirmet, quam dubium cuiquam relinquere, an peierarit. Praecipere tamen quidam solent, nunquam temere ius iurandum deferri oportere, sicut optionem iudici adversario dandam. Nam si dicere contraria turpe advocatum videtur, certe est turpius facere quod noceat. Testimonia aut per tabulas dicuntur aut a praesentibus. Simplicior

---

7. *si de vi*] Leg. *sive de habenda quaestione.* Burm. 9. *ortus* Ed. Rom. 16. Lege *ex causa.* Os. 18. *in quem* Quint. 22. *in quam*] Ita Cod. 27. *et* inutile videtur. 34. Maius contra Cod. *iuri iurando.* 43. *advocatum*] Ita Cod.

32. *Sch.* Modestum auctoris praeceptum.

contra tabulas pugna est; nam et minus obesse videtur pudor inter paucos signatores mentiendi, et probandi diffidentia premitur absentia. Et si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet deinde, quod nemo dat per tabulas testimonium nisi sua voluntate. Contra haec dicitur, et amicum pro amico et inimicum posse verum integra fide dicere. Et late locus uterque tractatur. Contra praesentes vero communis locus est, quum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit, quam quae sit hominum scientia nixa; altera omnia, per quae fieri solent falsa testimonia, enumerat. Verumtamen non est in eiusmodi quaestionibus immorandum, an credendum testibus, an credendum tormentis sit. Sed tamen sumendus est transitus ad propria causae; debemus enim probare velle non nullis testibus nec nullis tormentis esse credendum, de quibus tum maxime agitur. Sequens ratio est, quum specialiter iam quidem, sed tamen multos invadere patroni solent. Nam et gentium simul universarum testimonia elevantur, et de auditionibus possunt inveniri: non enim ipsos esse testes, sed iniuratorum offerre voces. Ut eos, qui se reo numerasse pecunias iurant, litigatorum, non testium habendos loco. Interim adversus singulos dirigitur actio. Ob quam rem multum interest, ut totam orator causam familiariter norit. Ea enim res docebit, ad quae iudicis animus actione sit praeparandus: debet enim vel fieri vel detrahi testibus fides oratione perpetua, quia sic quisque dictis movetur, ut est ad credendum vel non credendum ante formatus. Saepe inter testes et argumenta contentio est: et inde scientiam et religionem esse; hinc vero ex argumentis dicitur testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu depravari. Argumenta autem ex natura dici possunt: in his iudicem sibi, in illis aliis credere. Communia haec multis causis ac saepe iactata sunt. Aliquando etiam utrinque sunt testes. Sed confirmatio sequitur ex supradictis, si his adiicientur divina testimonia, id est, responsa et omnia cetera similia. In quibus tractatus erit unus generalis, qui inter Stoicos et Epicureos solet rogari, *providentiane mundus gubernetur?* alter specialis contra partes divinationis, ut quaeque ad quaestionem cadet. Hic enim fidem confirmabit, hic refellet, quod adiiciat aliquis et voces, si quae sunt, per vinum vel per somnum vel per dementiam vel ab infantibus emissae: quos pars altera nihil iudicare dictura est, altera nihil fingere. Haec omnia, quae inartificialia supra dicta sunt, non tantum praestantur quum sunt, sed etiam ubi non sunt, desiderari solent. Ut puta, *pecuniam dedisti; quis numeravit? ubi? unde? Venenum arguis; ubi emi? a quo? quanti? per quem dedi? quo conscio?* Ideo autem retro eorum statuum, qui sunt in scripto, non fecimus mentionem, quia eadem ratio est in omni genere quaestionum, qua semel accepta ad

2. Cod. *praemitur.* 4. (Fort. *inde.* On.) 11. (L. *Sed tantum.* On.) 12. Ita Cod. (Leg. *non illis testibus nec illis.* On.) 18. Ita *interim* in Cod. pro *interdum* heic et alibi. 26. Lege *duci.* On. 30. Num pro *omina et?* 31. Num pro *quia?* 32. Cod. *gubernatur.*

27. Sic fere Cicero pro Scauro ed. Mediol. p. 25.

cuiusque status controversiam probationum argumenta parantur. Illud quoque studiosi eloquentiae et de artificialibus et de inartificialibus cogitent, neque in unaquaque causa ea, quae monstravimus, cuncta posse reperiri; nec eodem ordine, quo sunt tradita, semper debere tractari: neque quum proposita fuerit materia dicendi, tum demum scrutanda singula argumentorum loca et velut ostiatim pulsanda, ut ad probandum id, quod intendimus, respondeant. Infinitam enim et inutilem faciat ista res dicendi tarditatem. Propter quod opus est non tantum arte, sed ingenio et studio et exercitatione nimia, quae plus plerumque et arte et ingenio valet. Ut quemadmodum in syllabis, quae scribentium cogitationem non exigunt, si sit usus et consuetudo, sic in oratoribus sponte quaedam argumentorum facultas dicendi vel scribendi consuetudine ultro se necessariis locis offerat.

§. 9. DE ARGUMENTO.

Non est satis argumentorum locos vel divisionum argumenta invenisse, nisi exornentur inventa et ceteras in partes distinguantur. Dicere enim, *veri simile est eum homicidium fecisse, qui ex barbaris est;* aut, *concubuit haec mulier, nam peperit;* non argumentari est, sed argumentum proferre. Est igitur argumentum inventum aliquo ex genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie.

VII. DE NECESSARIA ARGUMENTATIONE.

Necessarie demonstrantur ea, quae aliter, ac dicuntur, neque fieri nec demonstrari possunt: hoc modo, *si peperit, concubuit cum viro; si lac habet, peperit.* Hoc genus argumentandi, quod in necessaria ratione versatur, tractatur in dicendo aut per complexionem aut per enumerationem aut per simplicem conclusionem. Complexio est, in qua utrum concesserit, reprehenditur: ut, *si improbus est, cur tueris? si probus, cur accusas?* Enumeratio est in qua, pluribus rebus expositis et ceteris infirmatis, una res aliqua necessario confirmatur: ut, *necesse est aut inimicitiarum causa ab hoc esse occisum aut metus aut spei aut alicuius amici gratia: aut si horum nihil est, ab hoc non esse occisum. Nam sine causa maleficium susceptum non potest esse. Ergo si neque inimicitiae fuerunt, neque metus ullus, neque spes, neque ad amicum pertinet huius mors illius; relinquitur igitur, ut ab hoc non sit occisus.* Simplex conclusio est : *si vos me istud eo tempore fecisse dicitis, (ego) autem eo ipso tempore trans mare fui, restat, ut id quod (dicitis) non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere.* Atque hoc diligenter videri oportet, ne quo pacto genus hoc refelli possit, ut non sola confirmatio, verum et ipsa argumentatio ex necessaria ratione constet.

---

13. *offeret?* Os. 16. Num pro *certas?* 19. Cod. *quum igitur argumentum sit.* (Sed vitium fortasse alibi latet, veluti : *Quum igitur argumentum sit inventum aliquo ex genere, rem aliquam aut probabiliter ostendet* [vel *ostendes*] *aut necessarie.* Os.) 36. Verba parenthesi inclusa abscissa fuerunt.

VIII. DE PROBABILI ARGUMENTATIONE.

Probabilis argumentatio in eo genere est, quod credibile est, quod vere solet fieri, quod in opinione positum est, quod sine ullo teste auditoris opinio confirmat. Ut, *si mater est, diligit; si avarus est, contemnit ius iurandum.* In hoc omnis argumentatio aut per inductionem tractanda est aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assentit, probetur. Ut, *dic mihi quaeso, mulier, si vicina tua melius habeat aurum, utrum illiusne an tuum malis? Illius, inquit. Quid, si et vestem et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat quam tu, tuumne, an illius malis? respondit, illius vero. Quid, si virum meliorem habeat illa quam tu habes, utrumne tuum virum malis, an illius?* Hic quum rebus non dubiis assensum est, fiet propter similitudinem, ut etiam illud, quod dubium videretur, si quis separatim quaereret, propter rationem interrogandi concedatur. Hoc in genere praecipiendum nobis videtur, primum ut illud, quod inducemus per similitudinem, eiusmodi sit, ut sit necesse concedi. Nam ex quo postulabimus nobis illud quod dubium sit concedi, ipsum dubium esse non oportet. Deinde, illud, cuius confirmandi causa fiet inductio, videndum est, ut simile his rebus sit, quas res ante induxerimus quasi non dubias. Nam aliquid ante concessum nobis esse, nihil proderit, si ei dissimile erit id, cuius causa illud concedi primum voluerimus. Demus oportet non intelligi, quo spectent illae primae inductiones, et ad quem sint exitum perventurae. Nam qui videt, si ei rei, quam primo rogetur, recte assenserit, illam quoque, quae sibi displiceat, esse necessario concedendam, plerumque aut non respondendo aut male respondendo longius procedere rogationem non sinet. Quapropter ratione interrogationis imprudens ab eo, quod concessit, ad id, quod non vult concedere, deducendus est. Ad extremum autem aut taceatur oportet aut concedatur aut negetur. Si negabitur, aut ostendenda similitudo est earum rerum, quae ante concessae sunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda argumentatio est. Si tacebitur, aut elicienda responsio est, aut, quoniam taciturnitas imitatur confessionem, pro eo, ac si concessum sit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi, id est, inductionis, tripertitum, ut prima pars ex similitudine constet una pluribusve, altera ex eo, quod concedi volumus, cuius causa similitudines exhibitae sunt; tertia ex conclusione, quae aut confirmat confessionem, aut, quid ex ea conficiatur, ostendit.

---

3. Leg. *fere*. Bait. 11. Ita Cod. 2. manu; at 1. *inquid*. 24. An *demum* vel *deinde?* Or.

11. Cicer. de Invent. I, 31.

IX. DE RATIOCINATIONE.

Ratiocinatio, id est, syllogismus, est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. Syllogismi membra sunt enthymema et epichirema. Syllogismus constat partibus complurimis, aliquando quinque, aliquando IV., aliquando III. Plerumque, quotiens quinque partibus constat, prima est propositio, qua exponitur summa argumentationis ad hunc modum: *melius adcurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur*. Secunda est confirmatio propositionis, quae rationibus variis et quam copiosissimis approbat superiorem hoc modo: *domus ea, quae ratione geritur, omnibus est instructior rebus et apparatior, quam ea, quae temere et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, commodius regitur, quam qui stultitia et temeritate administratur. Navis optime cursum conficit, quae scientissimo gubernatore utitur*. Tertia est assumptio, quae id, quod velit ostendere, assumit hoc pacto: *navis autem melius quam omnis mundus administratur?* Quarta est, quae approbat assumptionem hoc modo: *nam et signorum ortus et obitus definitum quendam ordinem servant, et annuae commutationes non modo ex necessitate quadam semper eodem modo fiunt, verum etiam ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae: et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulla re unquam mutatae, significant non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari*. Quinta est conclusio, quae id infert, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: *consilio igitur mundus administratur*. Haec est ratiocinatio in quinque partes distributa, quam omnes ab Aristotele et Theophrasto profecti maxime secuti sunt: ut illam per inductionem Socrates et Socratici tractaverunt: et mox oratores ab utrisque transtulerunt. Et tamen aliquando est quadripertita ratiocinatio, quum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id autem fieri debet, quum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio nullius approbationis indiget. Item est et tripertita ratiocinatio, id est, trium partium syllogismus, qui constat propositione, ratiocinatione, conclusione. Ut, *bonum est virtus; nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest; virtute autem nemo male uti potest; bonum ergo est virtus*. Et contra idem syllogismus: *non est bonum pecunia; non enim bonum est, quo quis male uti potest: pecunia autem potest quis male uti; non igitur bonum est pecunia*. Syllogismorum propositio aut confessa est aut probanda: confessa, ut, *omnes beatam vitam vivere volunt*. Sequitur ergo argumentatio et conclusio probanda; ut, *qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet*. Non enim conceditur, nisi confirmata fuerit. Assumptio quoque interim confessa est;

---

11. Leg. *regitur*. Bait. 17. Leg. *Nihil autem — administratur*. Bait. 27. Cod. *Aristotile*.

1. Cic. de Invent. I. 31. 35. 38. Quintil. V. 14.

ut, *omnes autem volunt beatam vitam vivere.* Interim probanda, ut, *quod autem dissolutum est, sensu caret:* quum hoc non constet, quia potest soluta corpore anima vel immortalis vel ad tempus manere. Omnia genera conclusionum in syllogismis intelligi oportet. Nam ita concludimus, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem, atque ita conclusionem adnectamus hoc modo: *quod si leges omnes ad utilitatem rei publicae consuluit, profecto non potest eodem facto et saluti communi consuluisse et legibus non obtemperasse.* Aut ita, ut ex contrario conficiatur conclusio, hoc modo: *summa igitur amentia est in eorum fide spem habere, quorum perfidia totiens deceptus sis.* Aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum: *urbem igitur diruamus.* Aut id, quod eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est, hoc modo: *si peperit, cum viro concubuit; peperit autem;* conficitur hoc, *concubuit igitur cum viro.* Hoc si nolis inferre et inferas id, quod sequitur; *fecit igitur incestum;* et concluseris argumentationem. Quare in longis argumentationibus ex conductione aut ex contrario complecti oportet; in brevibus id solum, quod conficitur, exponere; in his, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti.

X. DE ENTHYMEMATE.

Enthymema est imperfectus syllogismus: non est enim in eo necesse primum proponere, deinde argumentari, et postremo concludere; sed vel primam propositionem praeterire licebit, propterea quod ipsa tantum praesumptione iudicis vel auditoris contenta esse poterit, et sola ratiocinatione exsequi, et conclusionem superaddere, vel certe conclusionem praemittere, et sensibus iudicis id, quod ratiocinatus est, colligendum relinquere. Quare ergo dialecticis illud necessarium est, ut omnibus partibus colligant, oratoribus non semper? Quoniam illis veri inveniendi ratio, his suadendi proposita est. Persuadere autem non poterunt, si ipsa diligentia et redditione partium obscuraverint quae colligunt. Deinde ad illos non pertinet, ut suaves et iucundi sint in disserendo; oratori autem maxime, ne aures auditoris offendat, studendum est; offendit porro iisdem nominibus utendo saepius et eadem collectione referendo. Debemus etiam illam differentiam scire, quod is, qui disserit, interim longe probationem petit, et multis in ratiocinatione positis colligit: orator autem, quo sit lucidior probatio eius, ex proximo petit nec spectabit, quam vera sint ea, quibus colligit, sed quam probabilia. Ut si colligendum sit mortem malum esse, dialecticus ille repetet huius rei probationem ex natura, quod illa nos vitae conciliavit; vel etiam altius et obscurius ex disparatione animae et corporis, ut vel interire animam probet, vel si immortalis sit, poe-

---

7. Cod. rursus *puplicae.* Ibid. Ita Cod. Malim *utilitati rei p. consulunt.* MAI. Fuitne potius: *ad utilitatem rei p. constitutae sunt?* Os. 15. Cod. *conferre.* 25. Ita Cod. At inferius *exequi.* 40. Cod. *disperatione.* Os.

11. Cic. de Invent. I. 40.
21. Quintil. V. 14.

nas eorum dare, quae hic commiserit; et ideo, quum hoc ipsum incertum sit, an recte vixerimus, timendum esse, ne quas poenas sustineamus. At vero orator nihil horum sibi probandum putat, nisi forte haec ipsa pompatice exsequi volet alio modo et alia ratione. Locuples enim et speciosa vult esse eloquentia, quod non sequetur, si conclusionibus certis et crebris et in unam prope formam cadentibus concessa, ex copia satietatem et ex similitudine fastidium attulerit. Probationem autem ex proximo petet: ut, *omnes homines aut maior pars hominum mortem timent, quod sui lugeant eos, qui mortui s nt, quod carituri sint voluptatibus.* Est enim illi oratio apud homines, qui non recondita disputationum subtilitate, sed communi sensu universa percipiant.

XI. DE EPICHIREMATE.

Et quoniam diximus, quid differat syllogismus ab enthymemate, non alienum hoc loco videtur et de epichiremate dicere; quoniam quaerere quidam solent quid inter epichirema et enthymema intersit. Est autem diafora utrumque et vi et substantia idem. Quid ergo interest? Quod enthymema correptior probatio, epichirema autem exsecutio enthymematis sit. Quod dico, tale est. Quum partes hae, quibus colligitur aliquid, ita probabiles sint, ut nullum praeterea firmamentum desiderent, enthymema erit nudum et viduum, quale est hoc: *si vero creditis eum, qui patri non temperavit, quo minus manus inferret, alienis temperaturum.* Hoc quia statim probabile videtur, nullam confirmationem desiderat, et circumcisum enthymema est. At vero hoc ipsum, quia quasi parum probabile hoc modo proponat aliquis, deinde exsequitur: *si ostendero iudici ab hoc pulsatum patrem, dubitabitis ab eo iniuriam extraneo factam? Non opinor.* Deinde longius prosequatur: *Etenim multi, quamvis petulantes in alienos essent, suis tamen temperaverunt: at vero, qui patrem non manu dico, sed vultu tantummodo laesit, quid est, quod non audere possit? Credo existimationem impudentiae verebitur, qui crimen impietatis suscipere non recusavit, aut leges verebitur, qui parente violato, non solum humana, verum etiam divina iura permiscuit.* Et licet in quantum vis aliquid exsequi, deinde hoc probato et confirmato, tum demum imponere enthymemati conclusionem ita deinde: *quum ab hoc pulsatum patrem constet, ab eo non videbitur aliquid iniuriose circa hominem alienum et extraneum esse commissum?* Et omnino, quia est tripertita, quae est minima collectio syllogismi: proponimus enim id, quod colligendum est, deinde confirmamus, deinde concludimus: illa ratiocinatio, quae est inter propositionem et conclusionem, enthymema dicitur. Enthymematon et epichirematon formae sunt quinque, elencticon, item dicticon, item gnomicon, item paradigmaticon, item syllogisticon. Elencticon, quod

---

7. Ita Cod. pro *congesta.* (Edd. *concisa*) Contra Virgilius apud Frontonem in exemplis elocutionum *quo congessere columbae* pro *concessere.* 9. Cod. *timent.* 17. *diafora*] Ita Cod. 21. Cod. *disiderent.* 25. Cod. *parvum.* 27. Cod. *dubitatis.* 39. Cod. *conclusimus.* 42. Haec vocabula explicantur exemplisque inlustrantur in margine. „Elencticon, id est, convincibile, est quod evidenti ratione

solum apud veteres tractabatur, in quo repugnantia colliguntur, cuiusmodi est hoc: *liberalem se praedicat; idem peculatum fecisse convincitur.* Pugnant enim liberalitas et peculatus. Alii postea adiecerunt enthymematicon: *quod si apparet huic nunquam officio pecuniam fuisse potiorem, certe eum liberalem iudicari oportet.* Non enim pugnant haec inter se, sed consecuntur; et est haec forma enthymematicon, quod appellatur dicticon, et fit a consequentibus. Tertium gnomicon: nam gnomicon est sententia, sicut illa: *difficile est modum pretio statuere, nisi libidini feceris.* Et illa: *non potest verus accusator esse, qui cum reo criminum societate coniungitur.* Sed enthymema gnomicon hoc a sententia differt, quod ibi tantum simpliciter sententia pronuntiatur, hic autem simul et ratio sententiae redditur, quale est hoc: *Karthaginienses nobis iam hostes sunt; nam qui omnia parat contra me, ut quo tempore possit, bellum velit inferre, hic iam mihi hostis est, tametsi nondum armis agat.* Paradigmaticon enthymema quamquam ad exemplum se refert, hoc tamen differt ab exemplo, quod exemplum per se positum probationem adiuvat, conversum autem in speciem argumenti, formam accipit paradigmatis enthymematici. Ut sit exemplum: *non debetis largitionem permittere; nam et Dionysius et Pisistratus cives largitione corruperunt*: at vero ut enthymema sit paradigmaticon, illo modo corripitur et concluditur: ut, *si Phalaridi et Pisistrato et ceteris omnibus una res maxime largitio dominationem comparavit, quid est, quod non idem Gracchum affectare credatis, quem eadem, quae illos facere videatis?* Syllogisticon enthymema est, quod ad imaginem syllogismi ex multis aliquid colligit. Ut si dicamus: *adulterium multis modis arguitur, quod munuscula missa sint, quod ad cellulam saepius convenit ancillae, quod ad domum mariti accessum sit, quod, qui accesserit, latere voluerit.* Atque haec omnia quum astruxerimus, tunc concludimus: *quod si munera misisse doceo, et cum ancillulis familiaritatem habuisse, et egressum furtim; quid est, quod non ex his omnibus adulterium videatur esse commissum?* In eliciendo enthymematibus raro utendum est. In pathe-

---

convincit. Ut Cicero fecit pro Milone: *eius igitur mortis sedetis tutores* (Edd. *ultores*) *cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis?* — Dicticon, id est, ostentabile, est quod a rei demonstratione constringit. Ut Cicero in Catilinam: *hic tamen vivit? immo in senatum venit.* — Gnomicon, id est, sententiale, est quod sententia generali . . . ut apud Terentium: *obsequium amicos, veritas odium parit.* — Paradigmaticon, id est, exemplabile, est quod alicuius exempli comparatione exitum similem comminatur. Sic Cicero in Philippicis: *te miror, Antoni, quorum exempla* (Edd. *facta*) *imitaris, eorum exitus non pertimescere.* — Syllogisticon, id est, collectivum, est, quod in unum, quae argumentata sunt, colligit. Sic Cicero pro Milone: *quem igitur cum gratia noluit, hunc voluit cum omnium querela? quem iure, quem loco, quem tempore non est ausus, hunc iniuria, alieno tempore et loco, cum periculo capitis, non dubitavit occidere?*" Cf. Quintil. V. 14.

7. Leg. *enthymematon.* Bait. 15. Invertenda haec videntur: *ut quo tempore velit, bellum possit inferre.* Or. 33. *eliciendo*] Ita Cod.

9. In Verr. IIII. 7. cum varietate.

10. Confer in Verr. III. 1. quamquam hic est alius Ciceronis locus.

ticis vero aut ethicis materiis etiam dissolvamus quantum fieri potest enthymemata et destruamus, ne pedibus et numeris constricta sint. In his vero causis, in quibus res omnis in probatione posita est, dictica vitamus, et syllogistica adhibemus. Paradigmatica et gnomica severis et gravibus et magnificis conveniunt: dictica supplicantibus et in affectu positis. In omni autem argumentatione variari orationem magno opere oportebit. Nam sicut in omnibus rebus, ita etiam in hac similitudo mater est satietatis. Variari autem poterit, si non similiter semper congrediamur, si tum inductione utamur, tum ratiocinatione: nec semper ratiocinationem a propositione incipiamus, nec semper quinque partibus eius utamur, nec eadem ratione partitiones explicemus: sed tum ab assumptione incipere, tum ex propositione; tum approbatione, tum hoc, tum illo genere conclusionis uti.

XII. DE REPREHENSIONE.

Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio deluitur aut adleviatur. Haec fonte inventionis eodem utitur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res potest confirmari, iisdem potest infirmari; id est, quos in superiori parte didicisti, communibus argumentorum locis. Nec tantum argumentum, sed argumentatio, tam in confirmando quam in refellendo similiter explicatur. Verum enim sunt huius partis quaedam propria praecepta, quae in refellendo observare debemus. Tradidimus retro argumentum aut necessarium esse aut probabile: necessarium tractari aut per complexionem aut per enumerationem, aut per simplicem conclusionem. Haec quemadmodum in probando tractarentur accepisti: nunc quemadmodum reprehendantur, id est, refellantur, attende. Primum complexio, quae utrum concesseris debet tollere, si vera est, nunquam reprehenditur: id est: *si peperit, concubuit cum viro.* Si vero falsa, et imitatur veritatem, duobus modis, aut conversione aut alterius partis infirmatione. Conversione hoc modo:

Nam si veretur, quid eum accuses qui est probus?
Si inverecundum animi ingenium possidet,
Quid eum accuses, qui id parvi auditu aestimet?

Hic sive vereri dixeris, sive non vereri, concedendum putat hoc, ut necesse non sit accusandum. Refelles ergo conversione sic: *nam si veretur, accuses; non enim parvi auditu aestimabit: si inverecundum ingenium animi possidet, tamen accuses; non enim probus est.* Alterius autem partis infirmatione reprehenditur complexio ita: *verum*

---

16. Ita Cod. 1. manu; 2. *adlevatur.* Sed illa prior retinenda est verissima lectio, contra criticorum dubitationes apud Cic. l. c. Mai. Omne dubium eo solvitur, quod apud Cic. l. c. Cod. Turic. optimus habet *elevatur.* *Adleviare* verbum est barbarum. Or. 35. Edd. *ut neges esse accusandum.*

7. Cic. de Invent. I. 41.
15. Cic. de Invent. I. 42.
27. Cic. cap. 45.
33. Cfr. Rhetor ad Herenn. II. 26. Or.

si veretur, accusatione corripitur, ut ab errato recedat. Enumeratio reprehenditur, si aut praeteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere; aut infirmum aliquid annumeratum, cui contradici possit; aut causa non sit, quare non honeste possimus concedere. Praeteritum quiddam est: *quoniam habes istum equum, aut emeris oportet, aut hereditate possideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus sit; aut, si horum nihil est, surripuisti. Neque emisti, neque hereditate venit, neque donatus est, neque domi natus est; necesse est ergo, ut surripueris.* Hoc totum dissolves, si dicere possis, *ex hostibus equum esse captum*, quod ille in enumeratione praetermiserat. Item reprehenditur enumeratio, quum contradici alicui speciei ex enumeratione possit. Ut, si contendas, *hereditate tibi obvenisse, aut munere accepisse, aut domi natum esse.* Item reprehenditur, quum aliquid ex enumeratione eligere possumus, cui honeste concedamus. Ut si qui dixerit: *aut insidias facere voluisti, aut amico morem gessisti, aut cupiditate elatus es*; et nos contra dicamus, *amico morem gessi.* Simplex conclusio reprehenditur, si id, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod ante sit, cohaerere. Nam hoc quidem; *si spiritum ducit, vivit; si dies est, lucet;* eiusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohaerere videatur. Argumentatio, quae per inductionem appellatur, quoniam per similitudinem maxime exercetur, poterit repelli, dum simile negemus id, quod confertur, et si fieri potest, diversum genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Quo in numero illud, quod per similitudinem affertur, et quo hoc, cuius causa affertur, haberi conveniat, quid res a re differat, ostendendum: ex quo probemus aliud de eo, quod comparabitur, et de quo comparabitur existimari oportere. Syllogismus expugnatur, quum aut intentio eius, aut assumptio, aut conclusio, nonnunquam communia, refelluntur. Et quidem intentio ex his locis argumentorum redarguitur, quibus et confirmatur, id est, contraria ratiocinatione: ratiocinatio autem nunquam est vera, nisi et propositio vera sit. Nonnunquam tamen verae propositionis falsa ratiocinatio est, ut, *virtus bonum est;* verum est; sed si quis ratiocinationem subiiciat, *quod ea locupletes faciat*, verae intentionis falsa sit ratiocinatio. Conclusio autem aut vera negatur, quum aliud colligit quam id, quod ex prioribus exprimitur, aut nihil ad praesentem quaestionem dicitur pertinere. Non est vera, sicut haec: *insidiator iure occiditur; nam quum vitae vim afferat ut hostis, etiam repelli debet ut hostis; recte igitur Clodius ut hostis occisus est.* Nam utique nondum etiam Clodium insidiatorem ostendimus. Et si vera conclusio, *recte igitur insidiator ut hostis occiditur;* nihil ad nos; nondum enim Clodius insidiator apparet. Sed, ut potest vera esse intentio et ratiocinatio et tamen falsa conclusio, ita,

---

3. Cod. *velim.* Ibid. An *enumeratum?* Or. 29. Lege ex Quintil. V. 14, 20. *omnia.* Or. 40. Quint. melius: *non utique, nondum enim.*

35. Quintil. V. 14.

si illa falsa sunt, nunquam est vera conclusio. Praeterea omne genus argumentationis sive in his, quae scripta sunt, sive in enthymemate sive in epichiremate, refutatur aut quasi vitiosum genus argumentationis, ut quum contra argumentum aliud argumentum opponitur firmum, quum ipsum genus vitiosum est aut falsum. Ut, *non potest esse sapiens, qui pecuniam negligit.* Aut quum commune, ut non minus adversariis quam nobis faciat, hoc modo: *iccirco, iudices, quia veram causam habebam, brevi peroravi.* Aut ut vulgare, quod in aliam quoque rem transferri possit: ut, *si causam veram non haberem, vobis me iudicibus non commisissem.* Aut ut leve quid sero inducitur: *si in mentem venisset, non commisissem.* Aut ut remotum, quod ulterius quam satis est petitur: ut, *si in nemore Pelio non cecidissent trabes, hoc scelus factum non esset.* Aut male definitum reprehenditur, ut communia describendo, hoc modo; *seditiosus est is, qui malus atque inutilis civis est;* quum non magis seditiosi quam ambitiosi et calumniatoris sit. Aut false definiendo: ut, *sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia.* Item vitiosum est argumentum, quum controversum est, id est, quum incertis incerta vult probare; vel quum relicta controversia de eo, in quo non est quaestio, argumentatur. Non honestum est argumentum, quod aut loco, in quo dicitur, aut homine, qui dicit, aut eo tempore, quo dicitur, aut his, qui audiunt, aut ea re, de qua agatur, indignum est. Offensum est argumentum, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit. Inconstans est argumentum, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur, ut qui dicat *virtutem ad beate vivendum nulla re indigere*, et idem postea neget *sine bona valetudine posse bene vivi.* Adversarium est argumentum, ut, *si quis hostium vim et copias augeat, quum ad pugnandum milites adhortetur.* Vitiosum est argumentum, si plurima in partitione pollicitus, pauciora demonstret: aut quum, si totum debet ostendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: *mulierum genus avarum est, nam Eriphyla auro viri vitam vendidit.* Vitiosum est argumentum, et si res ex hominis vitio vituperabitur, ut, *qui doctrinam alicuius docti vitiis reprehendunt:* aut si qui, *quum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicet.* Aut *si rem cum re ita comparabit, ut alteram se non putet laudare, nisi alteram vituperaverit.* Aut si, quum de certa re quaeritur, de communi instituerit orationem; ut, *si, quum aliqui deliberent, bellum gerant an non, pacem laudent omnino, non illud bellum inutile esse demonstrent.* Parum idoneum est argumentum hoc modo: *maximum bonum est amicitia; plurimae enim delectationes sunt in amicitia.* Quum contra argumentum aliud firmum argumentum opponitur, hoc genus in deliberationibus maxime versabitur, quum aliquid, quod contra dicatur, aequum esse concedimus, sed id, quod

1. Cod. *vera falsa.* 6. *ab adv.* et *a nobis* Cic. 14. Cod. *his.* 25. Cod. *utendum.* 26. Ita fortasse in Cod. 1. manu; al 2. *vivere.* 32. Leg. *aut si res.* Or. 33. *ex alicuius* Edd.

15. Ennii Med. initio. Et apud Cic. Invent. I. 49. Ad Herenn. II. 22.
17. Cic. Invent. I. 49. sqq.

nos defendamus, necessarium esse demonstramus; aut quum id, quod ille defendat, utile esse fateamur; quod nos dicamus, honestum esse demonstremus.

XIII. DE PROPOSITIONE.

Quaeri etiam solet, an semper approbationes propositione uti necesse sit. Propositio autem est omnis confirmationis initium. Sed aliquando sine propositione quoque satis manifestum est, quid in quaestione versetur; utique si narratio ibi finem habet, ubi initium quaestio, adeo ut aliquando subiungatur expositioni, quae solet in argumentis summa esse collectio; ut est: *haec si, ut exposui, gesta sunt, iudices, insidiator superatus est, vi victa vis est.* Nonnunquam valde utilis est propositio, ubi res defendi non potest, et de iure quaeritur, ut pro eo, qui pecuniam privatam de templo sustulit. Ut si dicas: *de sacrilegio cognoscitis:* ut iudices intelligant id unum esse officii sui quaerere, an id, quod obiicitur, sacrilegium sit. Item necessaria est propositio in causis obscuris aut multiplicibus, non solum ut fiat causa lucidior, sed quia aliquanto magis movet, si protinus subtexantur aliqua, quae prosint. Ut est: *lex aperte scripta est, ut peregrinus, qui murum ascendit, morte multetur; peregrinum te esse certum est, et ascendisse murum; quid superest, nisi ut puniaris?* Haec enim propositio confessione adversarii premitur, et quodammodo iudicandi moram tollit. Sunt propositiones non tantum simplices, sed etiam duplices et multiplices. Nam et plura crimina simul congeruntur. Ut, *Socrates accusatus est, quod corrumperet iuventutem et novas superstitiones introduceret.* Defensio quoque plures interim propositiones habet. Ut, *pecuniam petis nullo iure; procuratorem enim tibi esse non licuit; sed neque cuius nomine litigas, habere procuratorem potuit.* Et multiplicari haec in quantum libet possunt. Est etiam nuda propositio, qualis fere in coniecturalibus: *caedis ago, furtum obiicio.* Est cum ratione propositio; ut, *maiestatem minuit Cornelius, nam codicem legit.* Praeter haec utimur propositione, aut nostra; *adulterium obiicio:* aut adversarii; ut, *adulterii mecum agitur:* aut communi; ut, *inter me et adversarium quaestio est, uter sit defuncto propior.* Nonnunquam diversas quoque iungimus: ut, *ego hoc dico; adversarius illud.* Habet interim vim propositionis etiam, quae per se non est propositio, quum enarrato rerum ordine subiicimus: *de his, iudices, cognoscetis:* ut sit haec commonitio iudicis, ut ad quaestionem ingredientibus ipse quoque quodammodo novum audiendi sumat exordium.

---

3. Ita Cod. At supra cum *a*. 21. Cod. *praemitur*. 34. *defuncto*] Edd. *intestato*. 38. Edd. *cognoscitis*.

11. Cic. pro Mil. XI. cum varietate. Confer autem Quintil. IV. 4.
31. Ascon. argum. or. pro Cornel. et Cic. in Vat. II.

XIV. DE PARTITIONE.

Et de partitione quaesitum est, an ea semper esset utendum. Partitio autem est nostrarum aut adversarii propositionum aut utrorumque in ordinem collocata enumeratio. Hac aliquando utendum non est. Primum quia pleraque gratiora sunt, si inventa subito nec domo adlata, sed inter dicendum ex re ipsa nata videantur. Unde illa non iniocunda schemata: *paene excidit mihi;* et *fugerat me;* et *recte admones.* Deinde quod interdum etiam fallendus est iudex, ut aliud agi quam quod petimus putet. Nam est nonnunquam dura propositio, quam iudex si praevidit, non aliter reformidat, quam qui ferrum medici prius, quam curetur, aspexit. At si de re non ante proposita securum ac nulla denuntiatione in se conversum intrarit oratio, efficiet, quod promittenti non crederetur. Deinde refugienda interdum non modo partitio quaestionum, sed omnino tractatio est, et affectibus turbandus et ab intentione auferendus auditor. Non enim solum oratores docere, sed nonnunquam plus debent movere. Cui contraria est maxime tenuis illa et scrupulosa partitio: quod interdum, quae per se levia sunt et infirma, congerenda sunt et turba valent, ut velut eruptione pugnetur, quod tamen rarum esse debet et ex necessitate demum; quum hoc ipsum, quod dissimile rationi est, coëgerit ratio. Praeter haec in omni partitione est utique aliquid potentissimum, quod quum audierit iudex, cetera tamquam supervacua gravari solet. De illo quoque genere defensionis plerumque dubitatur: *si occidi, recte feci; sed non occidi.* Quo enim pertinet prius, si sequens firmissimum est? sequente enim, si modo indubitabile est, solo utendum est. Verum tamen si quid in eo, quod est fortius, timebimus, utraque probatione nitamur. Alius enim alio moveri solet. Et qui factum putabit, iustum credere potest; et qui tamquam iusto non movebitur, factum fortasse non credet. Ut certa manus uno telo potest esse contenta, incerta plura spargenda sunt, ut sit et fortunae locus. Ut pro Milone insidiatorem primum ostendit Clodium; tum ex abundanti addidit, etiam si id non fuisset, talem civem cum magna virtute interfectoris necari potuisse. Quotiens tamen hac duplici defensione utendum est, nitendum est, ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim videri, qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non habere. Et illud utique faciendum est, ut quotiens suspicamur iudicem aliam probationem desiderare, quam de qua loquimur, promittamus nos statim plene satis esse facturos. Frequenter autem suscipitur causa parum verecunda, sed iure tuta, de quo ne inviti iudices audiant, frequentius sunt admonendi secuturam defensionem probitatis, ut exspectent et agi ordine sinant. Quaedam nos invitis litigatoribus simulandum est dicere. Nonnunquam, si interpellamur, ab his subsistere: saepe avertenda ad ipsos oratio: hortandi etiam, ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo iudicis, et dum

---

7. *schemata*] Ita 2. manu; at I. *scemata*, ut apud Frontonem. 11. Cod. *curvetur.* Sed recte Quintil. IV. 5. 42. Leg. *quasi interpellemur ab his*, *subs.* BAIT. 44. *surripitur* Ed. Rom.

sperat probationem pudoris, asperioribus illis iuris adlegationibus minus repugnabit. Sic utraque se res invicem iuvabit, eritque iudex circa ius nostrum spe modestiae attentior; circa modestiam, iuris probatione proclivior. Sed ut non semper necessaria aut utilis est partitio, ita opportune adhibita, multum et lucis et gratiae confert. Neque enim solum id efficit, ut clariora fiant, quae dicturi sumus, sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in scriptis lapidibus spatia. Partitio igitur quotiens adhibenda est illustrem et distinctam facit orationem. Partitionis partes sunt duae, quarum utraque magno opere ad aperiendam causam et constituendam pertinet controversiam. Una pars est, quae quid cum adversariis conveniat, et quid in controversia relinquatur ostendit; ex qua certum quiddam destinatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera est, in qua rerum omnium, de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa, qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Quae partitio quid conveniat et quid non conveniat ostendit, haec debet illud, quod conveniat, inclinare ad suae causae commodum hoc modo: *interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis; item contra interfectum esse ab uxore Agamemnonem convenit; an sceleratus Orestes, et an scelerata Clytaemnestra, non convenit:* et hoc τὸ κρινόμενον. Sed quum scelus sit matrem interemisse vel maritum interemisse, idque conveniat, plurimum proficit etiam ad id, quod non convenit inter partes, ut scelerati videantur, qui id admisisse doceantur. Ut, *dicam de avaritia, de superbia, de crudelitate.* Ut, *dicam primo, quae in quaestura, quae in aedilitate, quae in praetura Romae, postremo quae in provincia commiserit;* et talia. Sic et Marcus Tullius fecit pro Tullio: *damnum datum Tullio et vi hominibus armatis et a familia P. Fabii constare* dicit; *in controversia autem esse, an dolo malo damnum datum sit*; quod est τὸ κρινόμενον, quodque adiuvatur plurimum ex his, de quibus convenire constitit. Idem: *dolum malum esse, quum familia armata sit, quum ad vim venerit, quum damnum intulerit.* Quae autem partitio omnium, quas dicturi sumus, rerum distributam continet expositionem, haec habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, quum nisi necessarium nullum assumitur verbum; quae iccirco est utilis, quod rebus ipsis et partibus causae, non verbis neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. Absolutio est, per quam omnium, quae incidunt in causam genera, de quibus dicendum est, amplectimur. In qua partitione cavendum est, ne aliud aliquod genus utile relinquatur, aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponantur, neque

5. Cod. *oportune.* 29. Cod. 2. manu *dampnum;* at 1. *damnum.* Sic et infra. 30. Cod. pro *P. Fabii* habet *praeda vi*, qui est librarii error notas veteres non intelligentis. 39. Edd. *omnia.* 41. Lege *ne aut aliquod.* Bait.

10. Cic. de Invent. I. 22.

permixte cum partibus implicentur. Nam genus est, ut animal; pars est, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est: Nam homo animalis pars est; Troiani aut Graeci genus est. Hoc ideo, ut aperte intellecta generali partitione paucitas generum in partitione servari possit. Nam qui ita partitur: *ostendam propter cupiditatem et audaciam et avaritiam;* non intelligit in partitione exposito genere partem se generi admiscuisse. Nam genus est omnium nimirum libidinum *cupiditas;* eius autem generis sine dubio pars est *avaritia.* Hoc igitur vitandum est, ne cuius genus posueris, eius sicut aliquam divisam ac dissimilem partem ponas. Quod si in genus incident partes, id genus quum in prima causae partitione erit simpliciter expositum, eo tempore commodissime distribuetur, quum ad ipsum ventum erit explicandum in causae dictione. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura quam satis sit demonstraturos nos dicamus, hoc modo: *ostendam, adversarios, quod arguamus, et potuisse et voluisse et fecisse,* quum satis sit *fecisse* ostendere; aut quum in causa nulla partitio sit, et quum simplex aliquid agatur, tamen utamur distributione, id quod perraro potest accidere. Meminisse debemus, quod prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic in ordine primo quaeque transigatur. Est autem magna prudentia, quum multa argumenta occurrunt, non uti omnibus, sed electis et magis profuturis, nec tam enumerare argumenta quam pendere. Argumenta semper desiderant purum sermonem et dilucidum et distinctum et minime elatum, maxime in rebus minoribus. Etiam sermone ac verbis propriis utendum est. Nam, ut ait Marcus Tullius, *ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque hominum in more et sermone versatur; ut in ceteris artibus id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum; in dicehdo autem vitium vel maximum sit, a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.* Hoc quum Marcus Tullius de omni parte orationis dixerit, praecipue tamen in argumentatione servandum est, in quo etiam obscuritas magis fugienda est. Si quando tamen maior erit materia, nonnullus etiam argumentationi indulgendus est ornatus, quod et Tullius fecit: *silent leges inter arma,* et *gladium nobis interim ab ipsis porrigi videmus legibus.* Sed et Quintilianus praecipit in argumentatione ante omnia peraccurata utendum esse perspicuitate: in maioribus dumtaxat causis licere ornatu aliquo delectare. Quicquid natura magis asperum est, hoc pluribus est condiendum voluptatibus, dummodo in his argumentis pius habeatur modus, ut sint ornamenta, non

---

3. Edd. male *Thebani.* 22. Cod. *pandere.* 26. Edd. *e fontibus.* 28. Edd. *in hominum.* Ibid. *Artibus* deest in Edd. 30. Edd. male *est*, ubi recte emendabat Pearcius *sit.* 33. Leg. *qua.* Or. 36. Edd. *interdum.* 41. *pius*] Ita Cod.

25. De Orat. I. 3.
36. Pro Milone III. IV., et Quint. V. 14.
37. Lib. V. 12.

impedimenta. Quum igitur argumentorum locos perspexeris et quemadmodum his sit utendum, tum suscepta causa constitue, quid habeat boni, quid mali: nulla enim potest esse, quae non habeat utrumque: et quod boni habet, id amplectere, id exorna et axaggera et in eo commorare. A malo autem vitioque causae ita recede, non ut te fugere appareat, sed ut totum bono illo ornando et augendo obruatur. Et si causa est in argumentis, ad ea te potissimum converte; si in consiliatione, insiste. Summa denique huius generis haec sit, ut si in refellendo adversarium plus spei sit, quam in confirmandis nostris, omnia in illum tela conferamus: si nostra probari facilius quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione et ad nostram conemur adducere. Diximus retro inventione excogitare principia, narrationem, excessus, quaestiones, epilogos. Itaque his, quae prima in omni causa spectanda sunt, id est, quaestionibus, disputatis iam reliqua videamus.

XV. DE PRINCIPIIS.

Non tantum in prohoemio, sed in omni parte actionis maxime prodest, ut dicturus intueatur, qui et apud quem et pro quo et contra quem et quo tempore et quo loco et quo rerum statu et qua vulgi fama dicendum, quid iudicem sentire credibile sit. Ita etiam facilius, quid adnitendum, poterit institui. Oportet autem, ut aedibus ac templis vestibula, sic causis principia, nec magnis parva nec parvis magna praeponi. Principium autem non semper est necessarium. Nam vel temporis angustiae non patiuntur, vel causa perparva est, vel iudex mora offenditur. Plane potest nonnunquam post narrationem prohoemium poni. Si enim est quod apud suspicionem iudicum causae officiat, ipsi autem expositionem negotii statim desiderent, possumus utrique rei satisfacere, ut explanata omni controversia, quibus medendum est principiis, leniamus. Ac si ad probationes transeamus, quod genus Graeci μερικὰ prohoemia appellant, quae non initio, sed ubicunque usus exegerit, quibusque actionis partibus accommodantur. Quum autem erit utendum principio, praeparare eo debemus iudicem, benevolum, attentum, docilem faciendo. Quae tamen per totam actionem custodienda sunt, sed in initiis praecipue, ut in animum iudicis possimus admitti. Benevolus aut personis efficitur aut causis. A personis, si ducatur exordium vel ab actore causae vel ab ipso litigatore, et ab accidentibus unicuique personae; ut aut dignitas allegetur aut infirmitas aut merita: sed verecundius, ne invidiam provocemus. Prosunt etiam et liberi et sexus et aetas et condicio et cetera, quae iudicem ad misericordiam inclinant. Degustanda tamen in principio, non consumenda latius. Adversarii quoque persona prope iisdem omnibus e contrario impugnari solet. A iudice quoque principia ducuntur, non nimis laudando eum, quia suspectum est et parti utrique commune; et ideo, si

8. *consiliatione*] Ita Cod. 18. Leg. *quid et apud.* Or. 31. Cod. *exigerit.*

16. Cf. Quintil. IV. 1.

fieri potest, laudem eius ad utilitatem causae conferamus: ut adlegemus pro honestis dignitatem illi suam, pro humilibus iustitiam, pro infelicibus misericordiam, pro laesis severitatem, et similiter cetera. Propter quod mores quoque, si fieri potest, iudicis velim nosse. Nam prout asperi, lenes, iocundi, graves fuerint, ita aut assumere in causa naturas eorum, quae competunt, aut mitigare, quae repugnabunt, oportebit. Praeterea detrahenda vel confirmanda opinio, si quam videbitur domo iudex attulisse. A causis benevolentia ducitur, si quae in actione favorabilia nobis fuerint, et tractemus et augeamus: ea vero, quae laedant, aut omnino repellamus, aut certe aliqua ex parte minuamus. Sed sicut in persona diximus, res omnes, quae affectus movent, id est, vel pro nobis gratiam, misericordiam, benevolentiam, vel contra etiam adversarios odium, iram, invidiam, parcius et modestius in principio praegustanda sunt, quia hoc differt principium ab epilogo, quod hic restrictius, illic liceat effusius evagari. Namque in epilogo et allocutionem permittitur inducere et defunctos excitare et pignora producere et cetera, quae animos audientium moveant. Quae omnia tamen sicut in principio praecerpenda sunt pro nobis, ita ex diverso amoliri opus est. Illud in universum praeceptum sit, ut si causa laborabimus, persona subveniat; si persona oberit, causa prosit; si nihil fuerit, quod adiuvet, quaeramus, quid adversarium laedat. Non inutile est interdum occurrere, quae videntur obstare. Ut Cicero: *scire se mirari, quod qui per tot annos defenderit, subito ad accusandum descenderit.* Multum gratiae exordio dabit, si ab actione diversae partis trahatur, quia non compositum domi, sed ibi natum existimabitur. Attentum iudicem facies, si res agi videatur nova, magna, atrox, pertinens ad exemplum, praecipue tamen, si iudex aut sua vice aut rei publicae commoveatur spe, metu, admonitione, precibus, promissione etiam nos non diu moraturos nec quicquam extra causam esse dicturos. Sed intentio, si quam sibi pars diversa conciliaverit, minuetur e contrario, quaedam quasi levia, quaedam quasi non pertinentia ad causam praedicando. Et si actio diversae partis iudicum animos occupavit, praemittendae sunt nostrae probationes et diversarum refutatio. Docilem sine dubio haec ipsa praestabunt, attentio et benevolentia; sed et illud, si breviter et dilucide summam rei, de qua cognoscere debeat, indicemus, ut Homerus atque Virgilius operum suorum principiis faciunt, cuius rei modus esse debet, ut propositioni similior sit quam expositioni: nec quomodo quidque sit actum, sed, de quibus dicturus sit, orator ostendat. Licet etiam principales quaestiones in principio praecerpere, sed praecursu solo atque tactu, ut de his quaeri videatur, quomodo pro Flacco et pro Fonteio Marcus Tullius, *nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non audeant imperare sociis, quod ex usu rei publicae sit.* Saepenumero in principiis etiam causam praedividimus ex utilitate no-

---

7. Cod. *sed.* 28. *Ammonitione* Cod. et sic in aliis antiquis Codd. vidi. 30. Cod. *si quem.* 43. Inserenda videtur negatio. Os.

22. In Verr. I. 1.

stra, ut Demosthenes contra Aeschinem. Est etiam illud nonnunquam aptum ad prohoemiandum, quum praeiudicatum aliquid de ea re ostendimus, vel quum incipimus ab his, quae acciderunt. Tenendum est et in principio et in quacunque parte actionis, ne ante invehare in crimen, quam id coargueris. Prohoemio convenit non semper, sed frequenter sententiarum et verborum conpositio; id enim nostris iam temporibus exigitur; quum autem apud priscos multo utilius praecipi soleat, minime ostendendam eloquentiam in principiis, quia facilius simplicitate simulata surripere possit orator. Sed et nunc delicatius audientium fastidium hanc saltem moderationem capit, ut demus operam, ne videamur callide, sed accurate potius dicere. In principiis cavere debemus, ne quod inusitatum verbum, neve audacius translatum aut obsoletum a vetustate aut poëtica licentia sumptum sit. Nondum recepti sumus, et custodit nos recens audientium intentio. Et ideo illud quoque turpissimum est, in principio turbari memoriam vel verborum facultate destitui vel in quocunque reprehendi. Solet in principiis apostrophe admitti secundum veterum exempla, quod diligentiores prohibent. Non enim quia potest bene aliquando fieri, passim facienda est, quum sit magis secundum naturam, ut eos adloquamur potissimum, quos conciliare nobis studemus. Sunt illa vitia principiorum, si id dicas, quod ad plures causas accommodari possit; quod appellatur vulgare principium; vel quod causae non cohaereat et aliunde translatum sit, quod alienum dicitur.

XVI. DE NARRATIONE.

Narratio esse debet brevis, perspicua, probabilis. Nam etsi in omnibus, in hac tamen vel maxime vitanda est obscuritas, et modus custodiendus et credibilia facienda, quae dicas. Brevis erit, si narrationem nec repetamus altius nec persequamur longius quam quaestiones exigant, neque inseramus minime necessaria, nec locos communes, nec egressus appetamus. Poterimus enim haec aut in argumentando aut in commovendo reddere, nisi de hac re niti voluerimus indignam aliquam rem et miserabilem demonstrando; quia prodest, quum quid narres, etiam quemadmodum gestum sit exponere. Sed hoc, sicut supra dictum est, in narratione breviter. Alias autem breviter narrare eam virtutem, quae narrationis est maxima, et iocunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit. Denique illa: *nam is postquam excessit ex ephebis*, non tam brevis narratio quam iocunda; mores adolescentis ipsius et mors Chrysidis et vultus et forma et lamentatio et reliqua pervarie collocantur. Quaedam narrationis vitiosa prolixitas est, quum specie brevitatis ea omnia singulis verbis exsequimur, quae aut ex sequentibus aut ex praecedentibus nihilo minus, etsi taceantur, intel-

12. Cod. 1. manu *abs.* 2. *obs.* Sed nec prior scriptura, a verbo *absolesco*, prorsus repudianda erat. (?) 15. Leg. *memoria.* Or. 21. Cod. cum unica *m.* 24. Cf. Quintil. IV. 2. 35. Leg. *ut ioc.* Or. 38. Cod. *Chirsidis.*

37. Ter. And. I. 1. 24.

ligi possunt; ut est illud: *ecfertur*, *imus*, *venimus*, *in ignem imposita est*. Videtur haec brevitas esse, quia concise proposita est. Sed abundat. Potuit enim ex eo, quod dictum est *ecfertur*, intelligi etiam quod sequebatur, licet non esset dictum. Item *navigare volens ad portum descendi*, *dominum navis conveni*, *locum conduxi*, *ascendi*, *navigavi*. Hoc quoque in pari culpa est. Ex eo enim, quod dictum est *navigavi*, satis potuerunt praecedentia subaudiri. Abesse a narratione praecipue, ut maxima vitia, debent tautologia et perissologia. Perspicua erit narratio, si utamur verbis usitatis et significantibus et propriis; si ordine temporum servato, si non interrupte narrabitur; si amphibolia absit, si hyperbaton et translatio alte repetita et brevitas nimis coartata et nimis praeceps continuatio verborum. Probabilis erit narratio, si circumstantiam persequamur, vel omnem vel quaecunque ex ea subpeditaverint. Circumstantia autem est, sicut retro tradidimus, peristasis, quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis. Dicendum ergo: *ille quum illi inimicus esset*, *quumque ante insidiaretur vitae eius*, *in solitudine*, *circa illum locum*, *nocte*, *quum ipse cum pluribus esset armatus*, *iurgio orto*, *commisso proelio*, *gladio eum transfixit*. Haec narratiuncula habet omnia, et personam et tempus et causam et locum et rationem et adminicula. Sed hoc tamen frustra erit, nisi certa ratione ponantur, ut inter se congruant et conveniant, et quae singulis accidunt, probabiliter affecta sint. Nam si aut personam eam posuerimus, quae a re semota sit, aut tempus alienum a re gerenda aut locum aut haec ipsa inter se repugnantia, locus reprehensionis erit: quam sicut in nostris narrationibus cavere debemus, ita in adversarii reprehendere, quum occasio datur. Solet et sine persona narratio esse, quum res aliqua per se ipsam exponitur. Nonnunquam et causa sola faciendi enarrari solet. Sunt aliae narrationes, in quarum singulis partibus probationes singulae reddantur, et dicuntur μερικαι: quod accidit duobus modis, aut quum longa rerum series est et verendum, ne iudex aut auditor obliviscatur eorum, quae prima dixeris, et statim singulae quaeque partes proderunt: aut quum sub unum crimen plures res gestae cadunt, ut in repetundarum iudiciis et tutelae actionibus. Itaque quasi multae causae sint, sic oportet singula narrari et probari. Sunt narrationes, quae appellantur ἐγκατάσκευοι, quae incertas probationes habent non tam longas quam habent illae retro. Hoc enim interest, quod illic singulorum criminum vel singularum specierum narrationem

---

1. Cod. *haec fertur*. Ita et mox. Sic enim audivit, qui dictata scripsit. 9. Haec vitia declarantur in scholiis sic: „tautologia est idem eloquium; ut: *quem si fata virum servant*, *si vescitur* (cod. *sive fruatur*) *aura aetherea*, *nec adhuc crudelibus occubat umbris*. Totum enim, quod repetitur, una res est, sed crebro sermone adnuntiata (enuntiata). Perissologia est adiectio plurimorum verborum supervacua; ut: *vivat . . . ea et non moriatur*. Hyperbaton est transcensio, quum verbum aut sententia ordine commutatur. Sunt autem quinque species, anastrophe, hysteron proton, parenthesis, tmesis, synchysis. Amphibologia est ambigua oratio; ut: *video statuam auream hastam tenentem;* dubitatur enim, utrum *auream* referatur ad *statuam* an ad *hastam*." 14. Ita Cod. 16. Cod. *amminiculis*, quod scripturae genus antiquum est. 23. *affecta*] Ita Cod.

probationes plenae sequuntur; hic autem sic mixta probationum semina habent, ut in narrationis cursu, quo laborare causa videtur, aut quod per se aut invidiae aliquid habiturum sit, aut parum fide fulciatur. Ut, *Quintus Ligarius, quum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam profectus, non modo ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli, domum spectans, ad suos redire cupiens.* Ita, quod exponebat, et ratione fecit credibile et affectu; verumtamen non argumentatione, sed argumento. Si quando omnia narranda sunt, observandum est caute, ut contraria praetervolemus quantum poterimus, minuentes quoque, aliam causam, aliam mentem, aliam rationem afferentes, luxuriam hilaritatis nomine, avaritiam parcimoniae, negligentiam simplicitatis, et cetera in hunc modum; nostra exaggerantius, instantius immorantes. Sunt causae, quae narrationem habere non possunt; ut si inter duos de sacerdotio quaeratur, uter sit dignior; in quo nos falli non oportet; quum de nobilitate generis aut de meritis disputatur. Verum enim hae non causarum narrationes, sed quaestionum illarum praeparationes, uter nobilior, uter melior meritis, uter praestantior: quae sunt argumenta a persona. Nonnunquam reus narrationem subtrahit, quum id, quod obiicitur, neque negari neque excusari potest, sed in sola iuris ratione consistit. Ut in eo, qui pecuniam ex aede sacra surripuit, confessio verecundior quam expositio est. *Non negamus pecuniam de templo esse sublatam; calumniator tamen sacrilegii agit, quum privata fuerit.* Sed et petitor aliquando narrationem subtrahit, quia satis est propositione: ut, *pecuniam peto ex stipulatione*; *legatum peto ex testamento:* in quo diversa pars tantum exponit, cur non debeatur. Et quod quidam dicunt supervacuam esse narrationem rei, quam vel adversarius narraverit, vel iudex noverit, sic intelligendum est, si non modo, factum quid sit, sciet iudex, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat iudex, sed aliquanto magis, ut, quemadmodum nos volumus, gestum putet. Quare etiam, si non erit docendus, sed aliquando afficiendus, narrabimus inter nos. In narrandis his, quae nota sunt, plurimis figuris orationis erit varianda expositio ad effugiendum taedium, ut assidue iniiciamus, *ne graventur rationem quoque cognoscere*, vel *sicut meministis;* vel *fortasse supervacuum fuerit hic commorari;* vel *quid ego diutius? quum tu optime noris:* et his similia. Quaeri solet, an sit utique narratio prohoemio subserenda. Sed hoc interim mutat condicio causarum. Ideo et Tullius pro Milone distulit narrationem tribus propositis quaestionibus. Nihil enim profuisset exponere, quomodo Miloni insidias fecisset Clodius, nisi fas esset eum, qui a se hominem occisum fateretur, defendi: et cetera, quae necessario ante narrationem est exsecutus. Etenim hae quoque quaestiones vim prohoemii obtinent, quae iudicem praeparant, ut etiam idem Marcus Tullius fecit. Quod fiet utiliter etiam in anticategoria; ut refutatis prius, quae obiecta sunt, veluti initium sit narrandi aliud. Similis narratio

3. Cod. *parvum fidem.* 12. *nostra*] Ita Cod. 32. Leg. *aliquo modo.* Or. 40. Leg. *praepositis.* Or.

est earum quoque causarum, in quibus crimen quidem, de quo cognitio est, facile diluitur, sed multis ante actae vitae oneratur: quae prius amovenda sunt, ut iudex propitius defensionem ipsius negotii, cuius propria quaestio est, audiat. Ut pro Caelio M. Tullius fecit. Interim prodest ita narrare, quasi damnemus ipsi susceptos. *Vis te dicam vino non esse pulsum? errore lapsum? vera sunt ista fortasse; quum tamen ingenuum stuprasti, solve decem milia.* Non semper eo ordine, quo quid actum est, narrare expedit, sed aliquando nobis excidisse aliquid simulabimus, ut id utiliore loco dicamus. Interim reddituros nos reliquum ordinem testamur, quasi sic futura sit causa lucidior. Interim re exposita subiungimus causas, quae antecesserunt. Quaedam tamen turpiter convertuntur: ut si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum exponas, deinde factum. Excessus in narratione perquam raro permittitur, et is tamen brevis et talis, ut vi quadam affectus videamur a recto itinere depulsi, qualis est Ciceronis circa nuptias Sasiae sermo. Quandoquidem adversus iudicem, ut in proboemio dictum est, habet quidem exempla, sed minime probabiliter fit apostrophe: allocutio quoque aeque perquam raro admittenda est, nisi ubi opus tibi et ubi ad celeritatem et ad fidem plurimum confert. Ut apud M. Tullium, *ut adeas, tantum dabis.* Plurimum refert, quae sit natura eius rei, quam exponimus: ut in privatis quaestionibus pressus et velut applicitus rei sit cultus. In verbis, utpote quam propriis et accommodatis et summa diligentia delineatis, compositio dissimulata quidem, sed tamen quam lenis et placida decurrat. Figurae verborum non illae poëticae et contra rationem loquendi auctoritate veterum receptae; debet enim esse purissimus sermo; nec vero in eundem casum simili compositione pares elocutionum tractus incidant. Ubi autem maior res erit, et atrocia invidiose et tristia miserabiliter dicere licebit, non ut consumatur affectus, sed tamen velut primis lineis designetur, ut, qualis futura sit imago rei, statim appareat. Iamque vel iram vel misericordiam vel quodlibet aliud in iudice opus fuerit, ceteris partibus praeparemus. Sententiis quoque fatigatam iudicis intentionem refici oportet, et maxime brevi interiectione, qualis est illa: *fecerunt servi Milonis, quod suos quisque servos in re tali facere voluisset*; nonnunquam et liberior, ut est: *nubit genero socrus, nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.* Finem narrandi quidam dicunt perducendum esse eo, unde quaestio oritur: ut, *his rebus ita gestis Publius Dolabella praetor interdixit* et cetera deinde: *ex hac quaestione vobis iudicandum est.* Quod ait Quintilianus a petitore semper fieri posse, a defensore non semper.

---

1. Cod. *quid.* 6. Malim omittere *non.* 13. *Factum* a me suppletur. 17. *quidem*] Ita Cod. 23. Cod. *deliniatis.* 35. Leg. *liberiore.* Or. 39. Edd. *hac de sponsione.*

16. Pro Cluent. VI.
20. In Verr. V. 45.
35. Cap. X.
36. Pro Cluent. V.
38. Cic. pro Caecina VIII.
40. IV. 2. fin.

XVII. DE EGRESSIONE.

Hoc spatiandi genus non modo narrationi, sed etiam quaestionibus vel universis vel interim singulis opportune subiungi potest: sed non semper, verum quum res postulat aut permittit; si illustratur eo oratio, si cohaeret et sequitur, non si per vim irrumpit, ut ea, quae natura iuncta sunt, disrumpat vel distrahat. Nihil enim tam consequens quam narrationi probatio: nisi excursu illo vel finis narrationis, vel quasi initium probationis adiuvetur. Erit ergo illi nonnunquam locus, ut si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam, veluti irrumpente protinus invectione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit; quia criminum invidia pro reo est prius, quam probatur. Licet autem et, si merita aliqua in adversarium exposueris, invehi in ingratum, et similia; sed omnia breviter: iudex enim crimine audito festinat ad probationem. Praeterea cavendum est, ne ipsa expositio evanescat, aversis in aliud animis iudicum. Sed sicut non semper est necessaria post narrationem progressio, ita frequenter utilis ante quaestionem praeparatio, ut sit hic locus velut sequentis exordium ad conciliandum probationibus iudicem vel mitigandum vel concitandum: quod vehementius et liberius hic fieri potest quam in prohoemio: quia iudici nota iam causa est. Quo loco iudicis quoque noscenda natura est, iuri magis an aequo sit apposita; primumque consideremus, quid faciendum sit. Haec eadem res et post quaestionem perorationis vice fungitur, et appellatur parecbasis, in qua plures sunt occasiones, quae per totam causam varios excursus aperiant, ut laus hominum locorumque, ut descriptio regionum, expositio quarumdam rerum licet etiam fabulosarum. Quo ex genere est contra Verrem laus Siciliae, Proserpinae raptus: et pro Gaio Cornelio popularis illa virtutum Gnaei Pompeii commemoratio. Sales etiam in dicendo nimium quantum valent, vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat, per quem excitata est, vel quod frangit adversarium, odiosasque res saepe, quas argumentis diluere difficile est, ioco risuque dissolvit. Ridiculorum autem quum duo genera sint, unum facetiarum, alterum dicacitatis, utetur utroque orator: sed altero, id est, facetiarum, quod idem etiam cavillatio dicitur, quum narratur aliquid venuste ad risum commovendum, ut Marcus Tullius de Caepasiis fratribus. Hoc quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, perspicitur. Sive habeas quod narres, ut id tamen sit mendacii stillicidiis aspergendum, sive totum fingas, maxima est virtus, ut ita facta demonstres eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus, ut omnia apta et conpetentia videantur, ut qui audiunt cerni illa fierique existiment: nec tamen mimici uti imitatio sit, quia imitationem orator surripiat oportet, ut is, qui audiet, cogitet plus quam videat. Praestet idem

8. An in Cod. *illic?* 30. *quem*] Ita videtur habere Cod. 35. Corruptum hoc est in Cod. vocabulum. Vide autem Cic. pro Cluent. XXI.

1. Quintil. IV. 3.
28. Quintil. VI. 3.

orator ingenuum pudorem, verborum turpitudine et rerum obscoenitate vitata. Alterum vero, id est, dicacitatis, quod est breve aliquod et circumcisum dictum, urbanius ad risum commovendum. Id magnae debet esse cautionis, ut nec nimis frequens sit, nec scurrile videatur, nec subobscoenum, nec mimicum, nec petulans, nec inprobum, nec in calamitatem, nec inhumanum, nec in facinus, nec odii locum risus occupet: et quod maxime fugiendum est, quia est ineptissimum, ne aut suae personae aut iudicis aut ceterorum, aut tempori aut loco aut rei minus accommodatus iocus et parum oportunus existimetur. Valde etiam frigidum erit ridiculum, si quaesitum et non repente enatum intelligatur. Parcendum amicis, qui sint e dignitatibus audientibus kari; vitandae insanabiles contumeliae: tantummodo adversarii figendi: nec tamen semper nec omnes nec omni modo. Per haec igitur parecbasis, id est, egressio, esse intelligitur alicuius rei ad utilitatem causae pertinentis extra ordinem excurrens tractatio. Quicquid igitur dicitur, quod sit praeter illas, quas fecimus, partes orationis, id est, prohoemium, narrationem, quaestiones et epilogum, ea profecto egressio est; id est, indignatio, laus, interpellatio, interventus alicuius, tumultus repentinus, amplificatio, minutio, affectus: de luxuria, de avaritia, de religione, de officiis: et innumerabilia sunt, quae maxime iocundam et ornatam faciunt orationem. Potest autem longius exire, qui praeparat aliquid ante quaestionem, et qui finitae probationi velut commendationem adiicit: at qui ex medio erumpit, cito redire debet eo, unde devertit. Ciceroni placuit in secundo artis rhetoricae hanc partem non ponere in numero; quod de causa egredi nonnisi per locum communem putet oportere.

XVIII. DE EPILOGO.

Epilogus habet partes tres, enumerationem, indignationem, conquestionem. Enumeratio est, per quam res disperse et diffuse dictae unum in locum coguntur et reminiscendi causa unum sub aspectum subiiciuntur. Hoc si semper eodem modo tractabitur perspicue ab omnibus, artificio quodam tractari intelligetur; sin varie, et hanc suspicionem et satietatem vitare poterit: et ideo tum oportebit sigillatim unam quamque rem attingere, et ita omnes transire breviter argumentationes: tum dicere, quas partes exposueris in partitione, de quibus pollicitus sis te dicturum, et reducere in memoriam, quibus rationibus unam quamque partem confirmaris: tum ab his quaerere, quid sit, quod sibi velle debeant demonstrari. *Hoc modo docuimus illud, hoc planum fecimus.* Ita simul et in memoriam redibit auditor et praeterea nihil putabit esse, quod debeat desiderare. Ita fit, ut enumeratio sit aut variarum argumentationum separatim decursus, aut tuarum

---

4. Cod. *scurribile.* 9. Ita Cod., quum alibi sit *parvum.* 12. Ita Cod.

26. Videtur auctor intelligere locum ad Heren. II. 30. Quod si ita se res habet, ipse in eorum sententia est, qui libros illos non Cornificio, sed Ciceroni tribuerunt.

29. Ad Heren. II. 30., Quintil. VI. 1.

et contrariarum comparatio, et quum tuam dixeris argumentationem, tunc contra eam, quae afferretur, quemadmodum dilueris, ostensio. Sic per brevem conparationem auditoris memoria et de confirmatione et de reprehensione redintegrabitur. Hoc aliis quoque actionis modis variari oportebit. Nam tum ex tua persona enumerare potes, ut quid et quo quid loco dixeris admoneas: tum vero personam inducere et ei enumerationem totam tribuere. *Quid si legis scriptor exsistat et quaerat a vobis, quid dubitetis, quid possitis dicere, quum vobis hoc et hoc sit demonstratum?* Atque hic item, ut in nostra persona, licebit alias sigillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitionis singula genera deferre, alias ab auditore quid tenderet quaerere, alias hoc facere per comparationem suarum et contrariarum argumentationum. Nec tantum persona poterit induci, sed et cui oratio attribuetur. Ut, *quid si leges loqui possint, nonne hoc apud vos querantur? quidnam amplius desideratis, iudices, quum vobis hoc et hoc planum sit factum?* In hoc quoque genere omnibus iisdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non potest, id eligatur, quod erit gravissimum, et unum quodque quam brevissime transeatur, ut memoria, non oratio renovata videatur. Indignatio est oratio, quum in aliquem hominem magnum odium aut ira aut gravis offensio concitatur. Conquestio est oratio auditoris misericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo plerumque facilius conquestionem commovere possit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae vis in omnes et hominum infirmitas ostenditur: qua oratione habita graviter et sententiose maxime demittitur animus hominum et ad misericordiam comparatur, quum in alieno malo suam infirmitatem considerabit. Et indignatio autem et conquestio et omnia praeterea adiuvantur maxime locis omnibus argumentorum, quae accepisti a persona, a loco, a causa et a tempore et ceteris his. Et probatio instruitur et amplificatio et deminutio operabitur, et animus movetur et delectatio mulcet. Ita et communes argumentorum loci, tametsi probationum sunt proprii, in omni tamen orationis specie, in omnibus membris, in omni genere actionum praecipue sunt tenendi, recipiendi, intuendi, amplificandi, observandi. Satis quidem de inventione tradidimus, quae excogitari possint ad explicandam orationem; principia, narratio, excessus, quaestiones, epilogus. Sed quum ad haec omnia praeceptis fueris instructus, frustra fuerit, nisi et legendis et quantum fieri potest tenendis orationibus lectissimorum auctorum atque summorum singularum specierum exempla consideres, intuearisque cum cura, quae illic sit in prohoemio conciliandi iudicis ratio, quae narrandi lux, brevitas, fides, quod consilium, quam occulta calliditas, quanta in dividendo, quam subtilis et crebra argumentatio, qua iocunditate permulceat, quanta in maledictis asperitas, in iocis urbanitas, quae ampli-

---

13. Leg. *sed et res*, *cui*. Or. 23. *Commoventie* a me additur. Mai. Voluit sine dubio *commovens*; sed ex Cic. de Inv. 1. 55. ego supplevi *captans*. Or. 25. E Cic. leg. *conquestione commoveri*. Or. 38. Cod. pro *ad. haec* habet *et hoc*.

ficandi, quae minuendi virtus: postremo, quae in omnibus partibus inventio exstiterit, intendas, imitationem cum arte coniungas: quia efficacior est per exempla doctrina, meliusque poteris perficere quod disces, si itidem quemadmodum fecerint, qui didicere, perspicias.

XIX. DE DISPOSITIONE.

Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. Haec autem et verbis et rebus maxime prodest. Omnia enim non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensanda et componenda sunt, prout praesens ratio utilitatis aut decoris aut necessitatis exegerit. Sed quod ad verborum dispositionem pertinet satis plene docetur, quum de elocutione tractatur. De rerum vero dispositione per singula membra orationis, id cum prohoemio et narratione et ceteris traditum accepisti.

XX. DE ELOCUTIONE.

Elocutio est idoneorum verborum ad inventionem accommodatio. Haec et Latina debet esse et apta. Apta erit utendo signantibus et propriis verbis et usitatis, sine ambiguo, non nimis procul ductis translationibus, nec interposito hyperbato; Latina autem, si grammatica sit ratio, auctoritas subsit. Sed de his nequaquam nobis existimo laborandum; neque enim docemus illum, qui loqui nesciat; nec sperandum est, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum; neque qui non dicat, quod intelligatur, hunc posse, quod admirandum sit, dicere. Augenda est potius eloquentia legendis auctoribus, quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi ornate. Neque tamen utendum erit verbis priscis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa parce et tamen usitatis. Ornatur eloquentia aut in verbis singulis aut in coniunctione verborum. In verbis singulis duo sunt, quae orationem illustrant; aut proprium si sit verbum aut translatum. In verbis propriis est illa laus, ut abiecta atque obsoleta fugiantur, electis atque illustribus utamur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. In quo consuetudo etiam bene loquendi plurimum valet. In translatis late patet ornatus, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iocunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris repellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbis translatio instituta est inopiae causa, deinde frequentata delectationis. Nam *gemmare vites*, *luxuriare messem*, *laetas segetes*, etiam rustici dicunt: quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato illustratur. Ea tamen transferri oportet, quae clariorem faciunt rem; ut est, *inhorrescit mare*, et *fervet aestu pelagus*. Nonnunquam etiam brevitas translatione con-

12. *et narr.*] Cod. videtur habere *de* pro *et*. 30. Cod. *absoleta*. 31. Cod. *quicdam*.

15. Ad Heren. I. 2. de Invent. I. 7.
16. Quintil. VIII. 1.

ficitur, ut *telum manu fugit*. Imprudentia enim teli amissi propriis verbis exprimi brevius non posset. Et quoniam summa haec laus est verbi translati, ut sensum feriat, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audient, trahit similitudo; ut dictum est, *morte Africani castratam rem publicam*, ut, *stercus curiae*. Est in utroque deformis cogitatio. Similitudinis translatio non sit maior quam res postulet, ne dicas *tempestas;* aut contra minor, *comessatio tempestatis*. Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset proprium. Si vereare, ne paulo durior translatio sit, mollienda est proposito verbo; ut dicturus, *mortuo Catone, pupillum senatum:* verecundior enim fiet translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irrupisse videatur. Est translatio non in uno verbo, sed in pluribus continuatis, ut aliud dicas et aliud intelligendum sit; ut est, *neque me patiar ad unum scopulum iterum crasse offendere*, et, *iam perii insistente iugo:* quod magnum ornamentum est orationis. Sed in eo fugienda est obscuritas: etenim ex hoc fere genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. Est etiam illa translatio pertinens ad ornatum: ut, *Martem belli esse communem;* et *Cererem* pro *frugibus;* et *curiam* pro *senatu;* et *campum* pro *comitiis; togam* pro *pace*. Aut quum virtutes et vitia pro ipsis, in quibus ista sint, appellemus: ut, *quam in domum luxuries irrupit, et avaritia penetravit*. Est et illud quum intelligi volumus, aut ex parte totum, quum pro *aedificiis parietes* aut *tecta* dicimus: aut ex toto partem, ut quum *unam turmam equitatum:* aut ex uno plures, ut *Romanus invasit:* aut quum ex pluribus unum, ut *Romani sumus*, quum unus dicit. Utimur etiam saepe verbo non tam eleganter, sed licentius tamen translato, ut quum *grandem* orationem pro *longa; minutum animum* pro *parvo* dicimus. Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam formamque desiderat, ut structura velut conpacta decurrat; ne sit hiulca vocalium et maxime longarum crebra concursione: quamquam Tullius dixit, *habet hiatus ille et concursus vocalium molle quiddam et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis*; ne aspera consonantium conflictu earum, quae sunt asperiores, ut si .*s*. ultima cum .*x*. confligat; ne homoeoptota, ne homoeoteleuta; ne monosyllaba multa iungantur, ne brevia multa congerantur, ne longa multa, ne ultima syllaba prioris verbi eadem sit, quae prima posterioris, ne prima cum ultima efficiat obscoenitatem, id est, cacenfaton. Quidam etiam, hique praecipui oratores, etiam pedes observandos censuerunt, quos et poëtae sequuntur, dum ne in versum aut in partem versus incidamus. Id enim maximum vitium est. Quum per totam orationem, tum praecipue in conclusionibus, servandus est ordo verborum; moderate in exordio, in media parte leniter, ita ut magis ad numerum tendat, quam ipsa numerosa

---

7. Ita Cod. 20. Cod. *comitibus*. 32. Deest in Cod. *quiddam*.

32. In Oratore cap. XXIII., et apud Quintil. IX. 4.

sit. Longis syllabis incipiendum potius quam brevibus est, ut sit in exordio dactylus aut spondeus aut paeon primus. Nonnunquam tamen quotiens attenuandus est, et ab iambo optime incipitur. Concludere autem aut creticus, ut una syllaba ei supersit, potest; vel duae, quae spondeum vel trochaeum vel iambum pedem faciant; aut tres, quae eundem creticum geminent. Cludit et paeon primus, si spondeus ei supersit; et paeon posterior, si una syllaba ei supersit. Nec vero ad hanc diligentiam redigimus oratorem, ut in structura semper pedes singulos conspiciat et collocet. Erit enim maximi res impedimenti et tarditatis; sed exercitatione et discendo auctores optimos ad hanc eandem cursu perveniet, ad quam ratio deducit. Cavendum, ne omnes conclusiones eandem formam habeant, quia fastidium creabunt et studium ostentabunt. Maxime tamen fugiendum est id vitium, quo in oratione nihil turpius est, quum cessanti numero verba inania non rei augendae, sed structurae tantummodo implendae causa subveniant. Nec numerosa sint omnia nec dissoluta; nec creticus pes saepius frequentetur. Inter nomina aut pronomina in eosdem casus cadentia nomen diversi casus interveniat. Est ille ornatus eloquii, si vel dictionum vel verborum figuris compositiones convenustemus. Dictionum figurae sunt, quum multiformis se versat orator, ut aut haereat in eadem commoreturque sententia, quod Graeci dicunt κατὰ τοῦ αὐτοῦ; ut interrogando urgeat, quae est ἐπερώτησις; ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat; ut contra ac dicat accipi velit; ut addubitet; ut aliquid relinquat, quae est παράλειψις; ut cum his, qui audiunt, nonnunquam etiam cum adversario, quasi deliberet; ut hominum sermones moresque describat; ut muta quaedam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut se in hilaritatem risumque convertat; ut interpellatorem coerceat; ut aliquid reticere se dicat; ut denuntiet, quid caveant; ut irascatur; ut obiurget; ut deprecetur; ut medeatur; ut optet; ut exsecretur; aliaque similia permulta, quae in orationibus quoniam semper exposita cernuntur, non sunt omnia sequenda.

XXI. DE FIGURATIS.

Sed et illa figura dianoias videri potest, in qua per quandam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus: non utique contrarium ut ironia, sed aliud latens et auditori quasi inveniendum, unde controversiae quoque figuratae dicuntur. Eius triplex est usus: unus, si dicere palam parum tutum est; alter, si non decet; tertius, qui gratiae tantummodo causa adhibetur, si elegantius ita dicitur quam aperte. Prima frequens in scholis est. Nam et pactiones deponentium tyrrannidem et alia, in quibus non licet quid palam dicere, finguntur. Nam vera negotia nunquam adhuc habuerunt talem silentii necessitatem, sed

15. Cod. *agendae*. 22. Corruptum est hoc et paullo post sequens Graecum vocabulum. 33. Gloss. *sententiae*. 39. Num pro *fuctiones?* Mai. Minime vero; sunt conditiones honestae eorum, qui ultro vel ut vitam conservent, tyrannidem deponunt nec se tyrannos fuisse confitentur. Or.

35. Quintil. IX. 2.

aliam huic similem quidem multo ad agendum difficiliorem, quum personae potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri causa non possit: ideoque hoc parcius et circumspectius faciendum est, quia nihil interest quomodo offendas; et aperta figura prodit hoc ipsum, quo figura est. Ac propterea a quibusdam tota res repudiatur, et supervacua videtur, sive intelligatur, sive non intelligatur. Sed modum licet adhibere, in primis ne sint manifestae. Non erunt autem, si non ex verbis dubiis et quasi duplicibus, quale est in suspecta nuru, *duxi uxorem, quae patri placuit*. Aut quod est multo ineptius compositionibus ambiguis: ut in illa controversia, in qua infamis amore filiae virginis pater, raptam interrogat eam, a quo vitiata sit: *quis te*, inquit, *rapuit*. *Tu, pater, nescis?* res ipsae perducant iudicem ad suspicionem. In quo multum etiam affectus iuvant et interrupta silentio dictio et cunctationes: sic enim fiet, ut iudex quaerat illic nescio quid fortasse, quod non crederet, si audiret; et ei, quod a se inventum existimat, credat. Sed ne si optimae quidem sint figurae, esse debent frequentes: nam densitate ipsa figurae aperiuntur. In summa sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere quaedam. Etiam quae non possis probare figura aspergenda sunt. Haeret enim nonnunquam telum illud occultum, et hoc ipso, quod non apparet, eximi non potest. At si idem dicas palam et defendendum et probandum est. Secundum genus figurae est, quum minime decet dicere; hic existimet iudex tegere nos quod sciamus, et verba vi quadam veritatis erumpentia credat coërcere. Nam quo minus aut ipsi, in quos dicimus, aut iudices, aut assistentes oderint hanc male dicendi lasciviam, si velle nos credant? Aut quid interest quomodo dicatur, si et res et animus intelligitur, nisi ut palam sit, facere nos, quod ipsi sciamus non esse faciendum? Tertium genus est, quod etsi palam liceat dicere, elegantius tamen figuratur. Ut Marcus Tullius: *semper hic erro*; et *quum propter nocturnos metus cum sorore cubitaret*; et alia. Vitiosissimum est, quod quidam etiam, ubi opus non est, adhibent figuras.

XXII. DE OBLIQUITATE.

Supervacuum Quintilianus existimat in libro nono Institutionum etiam illud genus dicendi, quod figuris finitimum est. Aliud dicere et aliud velle obliquitas appellatur: ut quum reddunt causas voluntariae mortis, *non enim*, inquiunt, *mori vult*, *sed invidiam facit:* quum sit supervacuum, ut quis, si vivere mavult, mortem potius male petat, quam omnino non petat. Usi tamen et hoc genere multi obliquitatis, ut Marcus Tullius, cuius solum exemplum satis est, suppeditantibus multis, quum de poena coniuratorum fingit se mitiorem, et tamen id agit oblique, ut interficiantur coniurati. In quo quidem genere multo cautius et subtilius et argutius quam in figuratis agendum est, quia

21. *defendendum*] Ambigua haec terminatio in Cod.

30. Dicteria sunt haec in Clodium, in Caeliana.
30. In Catilinariis.

illic aliud dici vis et aliud intelligi; in obliquitate vero et intelligi debes aliud velle, et tamen longe aliud dicendi arte perficere. Quaestionis insidiae nisi astu occulto et latenter operantur, omnem effectum intellectae etiam cum indignatione audientis amittent. Quaesitum, quomodo contra figuras responderi oporteat: et quidam semper ex diverso aperiendas putaverunt, sicut latentia vitia rescinduntur: idque sane frequentissime faciendum est; aliter enim dilui obiecta non possunt, utique quum quaestio in eo consistit, quod figurae petunt: at ubi maledicta sunt tantum, et non animadvertere interim et dissimulare bonae conscientiae est. Si fuerint crebriores figurae, quam ut dissimulari possint, postulandum est, ut nescio quid aliud, quod adversarii obliquis sententiis figurare velint, si fiducia sit, obiiciant palam; aut certe non exigant, ut, quod ipsi non audent dicere, indices non modo intelligant, sed etiam credant. Verborum vero figurae magis apud grammaticos et ex lectionibus percipiuntur, ut si dicamus *hac re invidere*; non ut veteres et Cicero praecipue, *hanc rem invidere:* et *incumbere illi*, non *illum:* et *plenum vino*, non *vini*, et *huic adulari*, non *illum adulari:* et mille alia, quae auctoritate defenduntur. Quo quidem parce et, quum res poscit, utendum est, velut aspero quodam condimento. At qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam veritatis amittit. In elocutione magnum vitium est cacozelon, id est, mala affectatio et per omne dicendi genus peccans. Nam et tumida et pusilla et praedulcia et abundantia et acerba et exultantia sub idem vitii nomen cadunt. Denique cacozelon vocatur quidquid est ultra virtutem, quotiens ingenium iudicio caret et specie boni fallitur; omnium in eloquentia vitiorum pessimum: nam cetera vitia quum fiunt, parum vitantur. Est autem totum hoc in elocutione vitium: rerum enim vitia nomen suum obtinent, ut aut stultum aut commune aut contrarium aut supervacuum vocetur; cacozelon vero est quod dicitur aliter, quam se natura habet et quam oportet et quam satis est. Et ne omnia percurram, hoc satis sit exemplum. *Lecta capite cuiusdam ossa medicus tenenda matri dedit: ille adiecit: infelicissima femina nondum extulisti filium et iam ossa legisti.* Et multa alia similia maxime vitanda, quia impensissimo conatu ingenii irrisionem petunt. Ornat elocutionem praecipue descriptio, quia tota rerum imago verbis describitur, ut velut ante oculos posita videantur quodammodo ab audientibus. Ut apud Tullium: *stetit soleatus praetor populi Romani cum palliolo purpureo, tunica talari, muliercula nisus in littore.* Et apud eundem: *videre videbar alios intrantes, alios autem exeun-*

---

11. Quintil. *ut illud nescio quid.* 16. Quintil. IX. 3. *huic rei.* 18. Cod. bis *adhulari.*

4. Quintil. IX. 2. 27. Alludit ad formulam iuridicam *parum cavisse videtur*, de qua Fronto in Epistulis Alsiensibus Mai. Male omisit Iulius Victor ipse vel librarius necessariam oppositionem apud Quintil. 8, 3, 57. *hoc petitur.* Or.

31. Apud Quintil. VIII. 3.

37. In Verr. V. 33.

39. In fragmento orationis pro Gallio, quod citat Aquila de figur. sent. p. 16.

tes, *quosdam ex vino vacillantes*, *quosdam hesterna ex potatione oscitantes: humus erat immunda*, *lutulenta vino*, *coronis languidulis*, *et spinis cooperta piscium*. Sic et urbium captarum crescit miseratio: sine dubio enim, qui dicit expugnatam esse civitatem, complectitur omnia, quaecunque talis fortuna recipit, sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At si aperias haec, quae verbo uno clausa erant, apparebunt, id est, effusae per domos ac templa flammae, et ruentium tectorum fragor, et ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii extremo complexu suorum cohaerentes, et infantium feminarumque ploratus, et cetera. Licet enim haec omnia, ut dixi, complectatur qui dicit eversam urbem, minus est tamen totum dicere quam omnia. Consequemur item, ut manifesta sit descriptio, si fuerit veri similis. Et licebit etiam falso adfingere quicquid fieri solet. Continget enim claritas etiam ex accidentibus. Ut, *mihi frigidus horror membra quatit gelidusque coit formidine sanguis*; et, *trepidae matres pressere ad pectora natos*. Facillime enim recipiunt animi quod agnoscunt. Ornant elocutionem etiam similitudines: quare aliae sunt illae, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, de quibus inter argumenta didicisti; aliae hae ad exprimendam rerum imaginem compositae, quod est huius loci proprium, id est, ornatus: *inde lupi ceu raptores; atra in nebula*. Quo in genere id est praecipue custodiendum, ne id, quod similitudinis gratia adscivimus, aut obscurum sit aut ignotum: debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Quare poëtis quidem permittamus: *qualis*, *ut hibernam Lyciam Xanthique fluenta deserit*, *et Delum maternam invisit Apollo;* oratorem non decet nisi satis notis et illustribus ea, quae sint obscura. De sententiis sive sensibus consuetudo iam tenuit, ut mente concepta sensus vocemus: lumina autem praecipue in clausulis posita, sententias: quae minus celebratae apud antiquos nostris temporibus modo carent, ut ait Quintilianus. Sententiae interim ad rem referuntur: ut, *nihil est tam populare quam bonitas :* interim ad personas, ut est Afri Domitii: *princeps qui vult omnia scire*, *ei necesse est ignoscere*. Hanc quidam partem enthymematis, quidam initium aut clausulam epichirematis esse dixerunt: et est aliquando, non tamen semper. Illud verius, esse eam aliquando simplicem, ut ea, quae supra ediximus; aliquando ratione subiecta. Ut est: *nam in omni certamine*, *qui opulentior est*, *etiam si accipit iniuriam*, *tamen*, *quia plus potest*, *facere videtur*. Est nonnunquam et duplex: *obsequium amicos*, *veritas odium parit*. In his custodiendum est, id quod ubique, ne crebrae sint, ne palam falsae, et ne passim et a quocunque dicantur: magis enim decet eos, in quibus est auctoritas. Veri pondus etiam persona confirmat. Quis ferat adolescentem aut etiam

---

1. Cod. *esterna*. 28. *obscura*] Ita Cod. sine alio verbo. 33. Cod. *Affri*. 34. Leg. ex Quintil. VIII. 5. *n. est multa ignoscere*.

15. Ex Virg. hoc et sequentia exempla.
27. Loco citato.

ignobilem, si iudicet in dicendo et quodammodo praecipiat? Epiphonema est rei narratae vel probatae summa exclamatio, ut, *tantae molis erat Romanam condere gentem*, et, *facere enim periculose probus adolescens quam perpeti turpiter maluit*. Clausula est quae est concludentibus sensus, ut est, *quare prius de vestro facto fateamini necesse est, quam Ligarii culpam ullam reprehendatis*. Verum nunc vitium est novitatis, quod omnes in fine sermonis fieri sensus velint: quae res facit, ut etiam inepta dicantur. Neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse, quam necesse est multae sint clausulae. Elocutionis genera sunt tria, vehemens, quod Graeci βαρύ; tenue, quod Graeci ἰσχνόν; medium, quod Graeci μέσον dicunt. In genere tenui communis consuetudo sermonis imitanda est, ab indisertis plus quam opinione differens. Itaque qui audiunt, quamvis sint infantes, tamen illo modo confidunt se posse dicere: sed nihil est experienti minus possibile. Hoc genus non sit suae nimis expolitum structurae: ne tamen nimis solutum. Verum callidus non ingratam quandam negligentiam simulat magis de re hominis quam de verbis laborantis. Sunt acutae crebraeque sententiae. Non sequantur illas similiter conclusa et paria paribus reddita et cetera, quae sunt quaesitae venustatis. Utatur autem verbis quam usitatis, translationibus quam mollissimis. Nec faciet rem publicam loquentem; nec ab inferis mortuos excitabit; nec acervatim multa frequentans una conplexione devinciet. Erit enim, ut voce, sic etiam oratione suppressior. Aspergantur, si opportune possunt, etiam sales. Hac forma est pro Ligario paene tota oratio. Medio autem generi dicendi omnia ornamenta conveniunt, plurimum suavitatis, multum sententiarum, laetae eruditaeque disputationes, et communes loci sine contentione dicentur. Hoc solum totum genus est sophistarum fonte defluxum in forum; sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea demum, de qua loquor, mediocritate consedit: ut est oratio de imperio Gnei Pompeii. Tertia est vehemens forma dicendi, quae cursu magno fertur et sonitu, tragica quadam et excelsa sublimitate dicendi; et hoc a superioribus vel maxime differens, quod illa optime versantur in lubrico, et si semel constiterint, nunquam cadunt, nec extimescunt ancipites dicendi incertosque casus: at vero hic gravis, acer, ardens et in periculum praeceps est, et si hoc solum possit quod profitetur, vix satis sanus videri solet. Debet ergo tranquille, ut ille medius; debet et subtiliter, ut ille primus; debet et vehementer, quod ei est proprium, id est, granditer, dicere: praesertim quum causae partim totae sint eo modo, partim aliter tractandae; ut pro Cornelio maiestatis et in Verrem et pro Cluentio. Ergo quot officia oratoris, tot genera dicendi, ut sit subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo:

---

2. Quintil. loco cit. *acclamatio*. 3. *Periculose* deest in Cod. 13. *plus quam*] Ita Cod. 26. Cod. *multa*. 28. Cod. *sofistarum*. 29. Deest *de* in Cod. 39. Cod. *tutae*.

8. Contra Symmachus et Cassiodorius epistulas plerasque incipiunt a sententiis.

20. Cic. de Orat. C. 25. Or.

in quo uno vis omnis oratoris est. Magni igitur iudicii, summae etiam facultatis esse debet moderator ille et quasi temperator huius tripertitae varietatis. Nam et iudicabit, quodcunque opus sit, et poterit, quocunque modo causa postulabit, dicere. Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat videre: *πρέπον* appellant hoc Graeci, nos dicimus sane decorum: de quo clare et multa praecipiuntur, et res est cogitatione dignissima. Huius ignoratione non modo in vita, sed saepissime et poëmatis et in oratione peccatur. Est autem quid deceat oratori videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas nec vero locus aut tempus aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est aut sententiarum: semperque in omni parte orationis, ut vitae, quid deceat est considerandum: quod et in re de qua agitur positum est, et in personis eorum, qui loquuntur, et in eorum, qui audiunt. Est etiam eloquendi triplex . . . . . Nam aut comma aut colon aut periodos dicitur. Comma concisa in singulas partes brevis oratio, ut est illud apud M. Tullium: *abiit*, *excessit*, *evasit*, *erupit*. Colon vero per membra definitae breviter dictiones, ut est apud eundem: *quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? quam diu te iam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?* Periodos vero longo ambitu et pleno circuitu orationis circumacta conversio, ut: *etsi vereor, iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere:* et cetera omnia totius principii, quae magno orbe circumacta volvuntur: quae differentia, prout res et orationis aut magnae aut parvae aut cum impetu exsurgentis, aut contra tranquillioris ratio poposcerit, erit usurpanda dicendi. Ethos et pathos prae oculis habendum. Ethos autem est habitus quidam mentis et morum perpetuus tenor, ut iracundus, avarus, pius, rusticus, vel lenis vel timidus vel libidinosus vel severus, vel senex vel adolescens et cetera; quorum proprietatem sermo debet imitari: ut Marcus Tullius fecit pro Caelio in persona Appii Caeci, item Clodiae. Pathos vero est repentina et temporalis animi incommoditas, ut ira, dolor, gaudium, maeror, metus et cetera; quae omnia ita proferenda sunt, ut apte exprimantur: ut tristia miserabilibus, iracunda atrocibus verbis efferamus. Vix adeo scenicis plures habitus in agendo concipiendi sunt quam oratoribus eloquii formae ac varietates. Sed sicut ornate dicere melius ex libris, ita etiam apte loqui ex libris multo melius addiscimus, si hoc in auctoribus animadvertamus, et animadversa imitationis exercitatione celebremus. Marcus enim Tullius nihil aliud esse ineptum, quam minus apte dicere, disputavit. Minus autem apte dicat necesse est, qui et rerum et personarum et temporum ceterorumque omnium, quae in oratione versantur, rationem habere neglexerit.

---

16. Cfr. Cic. Orat. C. 22. unde emendandum: *dicamus sane — praeclare — cognitione — et in poëmatis*. Or. 34. Cod. cum unica *m*.

42. De Orat. II. 4.

XXIII. DE MEMORIA.

Memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio. De hac Marcus Tullius: *quid dicam*, inquit, *de thesauro omnium rerum memoria? quae nisi custos cogitatis inventisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si praeclara fuerint, in oratore peritura.* Ad hanc obtinendam tradunt plerique locorum et simulacrorum quasdam observationes, quae mihi non videntur habere effectum. Exercenda est memoria ediscendis ad verbum quam plurimis et tuis scriptis et alienis: licet Quintiliano vehementer displiceat exercitationis causa sua scripta ediscere, qui scribere quidem plurimum praecipit, ediscere autem lectos ex orationibus vel historiis aliove quo genere dignorum locos. Ita enim et confirmabimus memoriam et adsuescemus optimis, semperque habebimus intra nos quod imitemur; et non sentientes formam orationis illam, quam mente penitus accepimus, exprimemus. In his autem, quae cogitamus, et in his, quae scribimus, retinendis proderit multum divisio et compositio: nam qui recte conpegerit orationem, nunquam poterit errare. Certa sunt quaedam non solum in digerendis quaestionibus, sed etiam in persequendis. Et si prima et secunda deinceps cohaereant, nihil per oblivionem subtrahi poterit, ipso consequentium admonente contextu.

XXIV. DE PRONUNTIATIONE.

Pronuntiatio est ex rerum et verborum dignitate vocis et corporis moderatio. Huic non immerito Demosthenes ex omnibus oratoris virtutibus primas dedit et secundas et tertias. Haec enim in tantum excellit, ut etiam secundum sententiam maximi Tullii quamquam indocta oratio laudem tamen consequatur, si optime proferatur, et quamvis optime expolita, si indecenter pronuntietur, contemptum irrisionemque mereatur. Et vocis ergo et speciei et totius corporis et ipsius linguae motus exerceantur, quia non tam artis haec erunt quam laboris. In primis vitia, si qua sunt, oris emendanda sunt, ut expressa sint verba, ut suis quaeque litterae sonis enuntientur, nec verba in faucibus patiamur audiri, nec oris inanitatem resonare, ne, quod minime sermoni puro conveniat, simpliciter vocis naturam pleniore quodam sono circumliniri, quod Graeci catapeplasmenon dicunt. Curandum etiam, ne ultimae syllabae intercidant. Nolo praeterea exprimi litteras putidius, nolo obscurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata. Sonus ipse vocis ita rectus et simplex esse debet, ut nihil ostentationis aut imitationis habere videatur, non aspere, non vaste, non hiulce; sed pressim et aequaliter et

---

12. Ita Cod. (Fortasse *dictionum*. On.) 13. Cod. *contra*. 16. Cod. *conpo.*, linea superposita.

5. De Orat. I. 5.
7. Cf. ad Heren. III. 16. Quintil. XI. 2.
21. Quintil. XI. 3.
23. Apud Cic. de Orat. III. 56.

leniter: nolo rustice ac praefracte ac cum clamore erumpat, sed nec perpetuo et uniformiter vociferetur oratio. Pro locis, pro rebus, pro personis, pro causis, pro temporibus, sicut in elocutione didicisti, varianda est. Eris enim ineptissimus secundum Marci Tullii sententiam, nisi omnium horum ratio diligenter habeatur. Alia simplicitate narrandum est, alia auctoritate suadendum est; alia inflammatione consurgat ira, alius flexus miserationem decet, alius rogantem: et hoc acceperis propter quam maximas vel panegyricas dictiones. Ceterum si apud pedaneum iudicem sit privata cognitio, ad sermocinationis vicem deprimendam actionem etiam non admonitus intelliges. Sicut enim in sublimibus quaestionibus deiecta et iacens pronuntiatio deformis est, ita in parvis elata et clamosa videatur necesse est furiosa atque deridicula. In pronuntiatione habenda est ratio diligenter quos imiteris, quorumque similis esse velis. Eoque impensissimum studium curae et laboris intendas: quia etsi ad pronuntiationis laudem praecepta te ducant, incredibile est, quanto magis valeat ad hanc rem vivum exemplum. Et intuendi tibi non solum oratores in pronuntiando laudati, sed etiam actores scenici: non tamen ita, ut ad scenicos motus deferaris, sed in quantum sat est ex his ad pronuntiationis ornamenta derives. Nec enim etiam tenuitas femineae vocis imitanda est, aut seniliter tremendum, aut ebrietas vacillatione exprimenda est: quia in pronuntiatione oratoris id maximae erit artis, ne ars esse videatur: tenebisque, ut quotiens exclamandum erit, lateris conatus sit ille, non capitis: ut gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. Illud non sine causa est ab omnibus praeceptum, ut parcatur maxime voci in illo a pueritia in adolescentiam transitu, quia naturaliter impeditur; non, ut arbitror, propter calorem, ut quidam putaverunt; nam est maior alias; sed propter humorem potius: nam aetas illa inturgescit: itaque nares etiam et pectus eo tempore tument atque omnia velut germinant, ideoque sunt tenera et iniuriae obnoxia. Iam igitur confirmatae constitutaeque voci optimum genus exercitationis est, quod est operis simillimum, dicere quotidie, sicut agendum est. Namque hoc modo non vox tantum confirmatur et latus, sed etiam corporis decens et accommodatus orationi motus componitur. Vocis quoque ipsius sonus neque acutus neque nimis remissus sectandus est: namque ut in nervis, ita et in voce quo remissior, hoc gravior et plenior; quo intentior, hoc tenuis et acutus magis est. Ita unus vim non habet, summus rumpi periclitatur: et iccirco mediis utendum sonis, ex quibus sit et excitandae intentioni et submittendae facultas. Observandum etiam, ut recta sit facies; ne labra detorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata cervix, ne elata aut depressa supercilia. Infinitum enim in his quoque rebus momentum est, quia nihil potest placere, quod non decet. Et ut ait M. Tullius, *caput artis est decere, quod facias*. Labra lambere vel mordere deforme est, quum etiam in efficien-

22. Cod. *maxime*, quod fortasse ferri poterat. 36. Superponitur glossa *in fidibus*.

5. De orat. II. 4. 45. De orat. I. 29.

dis verbis modicus esse debeat eorum motus: ore enim magis quam labris loquendum est. Manus vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant, quum paene ipsorum verborum copiam consequantur. Nam ceterae partes loquentem adiuvant; hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur: his poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Iisdem concitamus, inhibemus, probamus, admiramur, verecundamur. Hae in demonstrandis locis atque personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem, ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur. Averso pollice demonstrare aliquid oratori indecorum est. Sinistra manus nunquam sola gestum rectum facit, idque praecipue vitandum est vitium: plane dextrae se frequenter accommodat, sive in digitos argumenta digerimus, sive obiicimus adversas, sive in latus utrumque distendimus, sive satis facientes aut supplicantes. Diversi autem sunt hi gestus: summittimus manus, sive adorantes attollimus, sive aliqua demonstratione aut invocatione praetendimus. *Vos Albani tumuli atque luci.* Aut Gracchanum illud: *quo me miser conferam? in Capitolium ad fratris sanguinem? an domum?* Maiorem enim affectum in his iunctae exhibent manus. Cantare vero inutilius sit an foedius, nesciam. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio ebriorum aut comessantium licentiae similis? Qui vero movendis affectibus contrarius magis quam quum docendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solum ab his affectibus, in quos ducendus est iudex, recedere, sed ipsam rei †sanctitatem efficere quodammodo tibiis ac fidibus aut cymbalis audiendam? Quisquamne, non dico de homicidio, sacrilegio, parricidio, sed de calculi ratione et ceteris quaestionibus loquens, atque, ut in breve conferam, quisquam in lite cantat? Itaque hanc inflexionem vocis, quae paullo modulatior existeret, reprehendere et Aeschines et Demosthenes solent. M. etiam Tullius dixit in Phrygia et Caria turpissime rhetoras epilogos coepisse cantare, quo foedius nihil est. Satis sit, si obscuro quodam flexu, ubi necesse est, sit lugubris ac miserabilis: cum virili tamen et recta pronuntiatione, non modulata, ut nunc plerique faciunt, cantatione.

XXV. DE EXERCITATIONE.

Ante omnia illud inhaerere tibi volo, haec, quae supra dicta sunt, et quum natura obvenerint et arte fuerint excogitata, ad plenam tamen

4. Cod. *consequatur.* 9. Cod. *hisdem.* 15. Codex heic et alibi cum unica *m.* 19. An *protendimus?* Or. 24. An *Quid - - contrarium?* Or. 27. „Sic Cod. videtur habere"; e quo Maius fecit *scurrilitatem*, parum probabiliter. Latet in eo potius aut *cantationem* aut *scenicam imitationem.* Or. 30. Cod. *Iitte.*

19. Pro Mil. XXXI.
20. Apud Cic. de Or. III. 56.
34. Orator XVIII.

confirmationem nullo modo posse sine usu continuaque et iugi et instanti exercitatione perduci, sine qua affirmat M. Tullius Cicero nullam rem illustrem effici posse. Idem alio loco: *exercitatio quaedam suscipienda est*, inquit: *usus enim uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit.* Alibi quoque: *adhibeatur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superavit.* Quamobrem et inventio et dispositio et elocutio et memoria et pronuntiatio usu acri et exercitatione intentissima convalescunt. Nec te fugiat in exercitatione esse periculum maximum, quod plerique fugientes laborem, incuriose et tumultuarie exercentur verborumque sola frequentia delectantur; *quum sit nihil tam vitiosum*, ut ait Marcus Tullius, *quam verborum vel optimorum atque amplissimor m sonitus inanis, nulla subiecta sententia.* Etsi ergo in istis ipsis exercitationibus utile est subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. *Stilus est*, inquit Marcus Tullius, *stilus optimus et praestantissimus effector dicendi ac magister. Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, inquirentibus nobis omnia, quae sunt cuiusque generis maxime propria, maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est. Tum ipsa collocatio conformatioque verborum perspicitur in scribendo, et hanc affert facultatem, ut etiam si subito dicas, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur.* Multa praeterea ex omni parte orationis circumspectantur, ne quid offendas, ne quid inruas: nec tibi videatur reformari postea posse, si quid in exercitatione neglexeris. Naturae enim vicem paene optinet consuetudo, et *sicut bene dicendo*, inquit M. Tullius, *bene dicitur, ita male dicendo male dicatur necesse est;* ut melius sit omittere, quam poenitenda consuetudine in pravitatem aliquam convalescere. Ridiculum forsitan putes, si adiecero, ut exercitatione consuescas nihil contrarium, nihil quod obsit, incurrere. Sed frequenter, mihi crede, oratores urgentur ab advocatis, a litigatoribus, ut quod sit inutile ingerant. Huic errori non obtemperare consuesces, si exercitationi quoque, ne quid contrarium dicas, prospexeris. Dices enim, si personarum, quas defendes, rationem habere neglexeris: si quae sunt in

6. Num pro *superabit?* 21. Edd. *perficitur.* 29. Cod. *nichil*, ut alibi. Placet autem heic verba exscribere falsi Apuleii grammatici, cuius opuscula de adspiratione et diphthongis non uno in codice Vaticano sunt. *Quaeritur utrum* mihi *et* nihil *per* .c. h. *an per* .h. *sine* .c. *scribi debeant. Et usus quidem iuniorum obtinuit ut* .c. *interponatur; sed rationabilius sine* .c. *scribuntur: quum in Latinis dictionibus post* .c. *nota aspirationis nunquam reperiatur; unde errant, qui* pulcer *et* sepulcrum *per* .c. h. *scribenda existimant. Ad haec nunquam* mis *pro* mihis, *et* nil *pro* nihil *invenirentur: namque quum* .h. *solum inter duas locatam vocales invenerimus, synaeresim fieri posse videmus.* In codicis autem, unde exscribo, margine adnotatur Servium et Priscianum contrariae esse sententiae, qui *pulcher* et *sepulchrum* et alia per aspirationem scribi consentiunt. 30. Fortasse *ingerere*. Os. 32. Leg. *exercitatione*. Os.

5. De Or. I. 32. et pro Corn. Balb. XX.
13. De Or. I. 12.
15. De Or. I. 33.
26. De Or. I. 33.

eis invidiosa non mitigaris extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora feceris; si in homines caros iudicibus inveharis; si qua vitia aut incommoda sint in iudice, adversario si exprobraris; si quum dicas ab altero laesus, litem tuam persequaris, causam relinquas. Quid si ipsis argumentis posueris aliquid aut aperte falsum aut ei, quod dixeris dicturusve sis, contrarium? Quid multa? omnis cura esse debet, ut, si quid possis boni, causae efficias: sin minus, certe, ut ait Marcus Tullius, *ne quid mali:* quia nihil turpius videri potest, quam quum oratoris dicto sermone consequitur, „occidit susceptum." Exercitatio iuvenilis uberior et abundantior esse debet, quia multum inde quoque anni, multum ratio limabit. *Volo*, ait M. Tullius, *se efferat in adolescente fecunditas.* Audeat ergo haec aetas plura et inveniat. Facile remedium est ubertati: sterilia nullo labore vincuntur. Sit eloquens, non tamen disertus. Inter disertum autem et eloquentem hoc interest, quod eum statuit M. Tullius esse disertum, qui possit satis acute atque dilucide ex communi quadam opinione dicere, eloquentem vero, qui mirabilius ac magnificentius augere atque ornare, quae velit: qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et verbis et rebus et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficere; quique ita aptus esse possit, ut rebus et personis congruenter accommodet eloquium. Amet laudem iuvenis magnumque sciat multis tacentibus solum audiri. Nam licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Orator, cui semper in multa celebritate vivendum est, assuescere exercitatione maxime debet iam ab adolescentia non reformidare homines neque illo labore solitario delitescere. Quum enim omnibus oratoris opibus fueris instructus, plurimum tamen valet animi praestantia, quam nec metus frangat nec ultra modum reverentia retardet. Sicut enim abominanda sunt contraria vitia, confidentia et temeritas et inprobitas et arrogantia, ita sine constantia nihil studium, nihil profectus ipse profuerit; ut si des arma timidis et imbellibus. Est ergo verecundia interim adversa, multisque causa fuit, ut bona ingenia studiaque situ quodam secreti consumerentur. Ne putes a me probitatem repudiari, sed verecundiam, quae longe differt atque discreta est. Nam quid est verecundia, quam timor quidam reducens animum ab his, quae facienda sunt? Inde confusio. Quis autem dubitet vitiis ascribere affectum prohibentem facere, quod debeat fieri? Neque ego is sum, qui nolim eum, qui sit dicturus, et sollicitum surgere et colore mutari; quae si non acciderent, etiam simulanda erant: sed sentiat periculum volo, non succumbat nec concidat. Sed prorsus optima atque potissima est adversus verecundiae vitium medicina fiducia. Excitanda ea et attollenda semper est, quae in eiusmodi secretis languesceret. Deinde quum proferenda sunt studia, caligat in sole et omnia nova offendit, et quod solus exercuerit, inter multos

---

12. Ita codex per *o;* at antiquiores constanter *adulescens.* 34. Ita Cod. sine *aliud.*

8. De Or. II. 75.
15. De Or. I. 21.

facere non possit. Sequenda igitur est M. Tullii sententia, qui praecipit ducendam dictionem ex domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem; subeundum visum omnium. Sint praeterea ipsae materiae, quae finguntur, quam simillimae veritati. Nam et declamatio ea solummodo prodest, quae imitatur eas actiones, in quarum exercitatione reperta est. Frustra in declamationibus laborabimus, si diversitate operis ac dissimilitudine ad forum quasi rudes venturi sumus. Rudes autem simus necesse est, si alia pronuntiatio, aliud genus elocutionis in declamationibus fuerit, quum longe alia in foro reperienda sint. Et ideo unum etiam atque etiam te repetens iterum iterumque monebo, ut et pronuntiatione et elocutione declamatio tibi semper forenses actiones imitetur et exprimat et effingat. Eas vero declamationes, quas quidam corruptius delectationis tantummodo causa decantant, non aliud esse Quintilianus affirmat, quam fuisse traditur, qui grana ciceris ex spatio distante missa in †acumen adversum sine frustratione inserebat: cui donari modium ciceris rex iussit, inertem laborem ipso praemii genere testatus. Huic conparandi sunt, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, multo se studio ac labore consumunt: et appellatur hoc a doctis ματαιοτεχνία, quaedam supervacuae artis imitatio; certe apud omnes profecto ματαιοπονία, quia habeat vanum laborem nullumque eius, ad quod praeparetur, effectum. Quid ergo? nihilne sibi declamatio indulgebit aut panegyricus sermo? Indulgeat sane aliquid ad ornatum, ita tamen ne a forensis actionis similitudine ullo alio differat, quam accuratiore splendore et locis omnibus, quibus supra diximus illustrari orationem liberius effusis. Tenendum tamen, quicquid aget orator, non multum a forensi actione discrepare debere et rebus et verbis et pronuntiatione: ceterum longe ab effectu operis aberraverit.

XXVI. DE SERMOCINATIONE.

Sermocinandi ratio non in postremis habenda est. Et quidem sermonis usus multo frequentior quam oratoris est. Igitur sermonis est virtus elegantia sine ostentatione. Verba sint electa, honesta magis quam sonantia, paucae translationes neque hae alte petitae, modica antiquitas, sine figuris insignibus, sine structura leniore, sine periodo, sine enthymemate: denique omnes rhetoricas palaestras missas feceris, quae ut addunt orationi auctoritatem, sic detrahunt sermoni fidem. Attamen habebit sermo lucem suam, ut sit simplex et aequalis, et ante omnia carens obscuritate. Sermonum argumenta, quae semper esse

---

4. Ita Cod. non *usum*. Hinc omnino corrigenda apud Cic. vox *usus* pro *visus*. 6. *exerc.*] Ita Cod. 16. Sic videtur habere Cod. (Maius *acum adversum*: saltem scrib. erat *adversam*. Or.) 17. Cod. *inhertem*. 23. Cod. *panagericus*. Tum in margine scholium est: „panegyricum est licentiosum et lascivum genus dicendi in laudibus regum, in cuius conpositione homines multis mendaciis adulantur; quod malum a Graecis exortum est, quorum levitas instructa dicendi facultate et copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitavit." 28. An *ceteroquin*? Or.

1. De Or. I. 34.
15. Lib. II. 20.

vix seria possunt, plerumque se iocis inserentibus, tamen semper honesta sint. At non inepte neque iurgiose. Nam multos nugae rapiunt ad foeditatem, nec non contentiones ad furorem. Quum tamen in omni parte vitae, tum in sermonibus quies optima est. Fere sermo cuiusque mores probat. Cave ne quem sermone laedas vel aperto vel inverso vel absentem vel coram. Agrestis ingenii est aut neminem appellare, aut de pluribus unum alterumve eligere, quicum fabulere. Superiores observare oportet, ut invitent clientes ad colloquendum: nam inferior modestius fecerit, si exspectet, dum lacessatur, nisi quid rei suae evenerit. Sermonum autem occasiones sunt et sciscitatio, quid agant, rogantis, et commemoratio, quid tibi aut alteri evenerit,/ aut quid novae rei audieris, quam tamen narrare non sit religionis, et admonitio ex re nata fortuita. Iam ubi statum est initium, res ipsa perducit. Nascitur enim ex responsione responsio. In quo cavendum est, ne hinc illo, quod aiunt, transultes, aliudve quid, quam qua de re agitur, interseras. Neque porro obloquare neque solus loqui postules neque properantem morere atque odio obtundas. Ubique brevitas bonum est, sed in sermone praecipuum. Alterius enim tempore non abuti decet. Multum ad sermonis gratiam valet veterum exemplorum memoria, rerum novarum scientia; si illa accommodes, non ut quaesita, sed ut obvia: et proverbiorum tempestivitas lepida est Graecorum atque nostrorum, et versus partesve eorum: ex oratoribus aliisve scriptis sententiae, si loco proferuntur, sermonem convenustant. Vita vernilia scurrarumque aemulationem: nam multi, dum se facetos volunt, non modo verba, sed gestus quoque ac vocabula scurrarum exprimunt. Ita accidit, ut nec quod esse debent, sint, nec quod imitantur. Nec sermonem quasi orationem pronuntiaveris, nec praepropere loquaris, ne si possis quidem verba sine haesitantia linguae celeriter evolvere. Multo enim turpius si offendas saepius quasi salebrosa festinatione. Neque tamen protrahere voces oscitantem decet nec intervallis dividere. Bonus modus est in loquendo tamquam ambulando clementer ire, sine curriculo, sine cunctatione. Clamare in loquendo rusticum ac barbarum est: fit enim de sermone convicium. Iam si in publico aut in convivio clames, non agrestis modo, sed insanus habearis. Rursus si ita demisse fabuleris, vix ut proximus audiat, hominis nimium delicati est. Et audire sermocinantem rationis est, primum ut attente audias, ne, dum res alias agas, quum responsorio opus sit, aliud respondeas; aut ignarus, rogari quid videatur, consilescas. Deinde ut sinas propositum explicari atque in loco occurras, ne duo aut plures, chori aut catervae modo, constrepatis. Et hominum et locorum et temporum ratio servanda est. Alius cum superiore, alius cum pari aut proximo sermo est: item cum senioribus, cum aequalibus, cum pueris aut mulierculis. Quid? in convivio putas eundem debere esse, quem in foro aut aliquo coetu litteratorum? Quod

11. Cod. *scicitatio*. 13. *statum*] Ita Cod. 17. Corrige *otio*. Mai. Minime vero. Or. 21. Cod. *tempestas*. 24. Cod. *dicta*. 38. An *responsio*? ut Cap. XXVII. *cui responsio opus sit*. Or. 44. Ante *quod* ponendum videtur paullo supra scriptum *quid*, interrogandumque post *strepere*.

ego scio quosdam spectaculis aut conviviis aut ubi minime convenit doctrinam atque facundiam venditare, aut rem publicam strepere. Minime oportet vinum de poculo in mensam instillare idque digitulo diducere in lineas. Mala ista satio in convivio garrula ac per vinum diserta: et fere videas qui sicci ac sobrii nihil sunt, eos madidos friguttire. Et temporum tibi cura sit, ne in rebus tristibus laeta, ne in laetioribus tristia introducas. Hi sunt enim, quos Cicero ineptos vocat, qui neque ubi nec quando nec cum quibus fabulentur existimant, nec quamdiu, nec quomodo. Partim plus cachinno interturbant quam verbis explicant, verba concidunt, syllabas obscurant, litteras ut furto auferunt. Loquere opportune, honeste, Latine, dilucide, placide, plano ore, vultu quieto, clamore nullo, sine cachinno, sine aliis notatis supra. Multum ad sermonis elegantiam conferent comoediae veteres et togatae et tabernariae et Atellanae fabulae et mimofabulae; multum etiam epistolae veteres, in primis Tullianae.

XXVII. DE EPISTOLIS.

Epistolis conveniunt multa eorum, quae de sermone praecepta sunt. Epistolarum species duplex est. Sunt enim aut negotiales aut familiares. Negotiales sunt argumento negotioso et gravi. In hoc genere et sententiarum pondera et verborum lumina et figurarum insignia compendii opera requiruntur atque omnia denique oratoria praecepta, una modo exceptione, ut aliquid de summis copiis detrahamus et orationem proprius sermo explicet. Si quid historicum epistola comprehenderis, declinari oportet a plena formula historiae, ne recedat ab epistolae gratia. Si quid etiam eruditius scribas, sic disputa, ut ne modum epistolae corrumpas. In familiaribus litteris primo brevitas observanda: ipsarum quoque sententiarum ne diu circumferatur, quod Cato ait, *ambitio;* sed ita recidantur, ut nunquam verbi aliquid deesse videatur: unum te scilicet, quod intelligentia suppleatur, in epistolis Tullianis ad Atticum et Axium frequentissimum est. Lucem vero epistolis praefulgere oportet, nisi quum consulto consilio clandestinae litterae fiant, quae tamen ita ceteris occultae esse debent, ut his, ad quos mittuntur, clarae perspicuaeque sint. Solent etiam notas inter se secretiores pacisci, quod et Caesar et Augustus et Cicero et alii plerique fecerunt. Ceterum quum abscondito nihil opus est, cavenda obscuritas magis quam in oratione aut in sermocinando: potes enim parum plane loquentem rogare, ut id planius dicat, quod in absentium epistolis non datur. Et ideo nec historia occultior addenda nec proverbium ignotius aut verbum cariosius aut figura putidior: neque dum amputatae brevitati studes, dimidiatae sententiae sit intelligentia requirenda, nec dilatione verborum et anxio struendi labore lux obruenda.

4. *satio*] Ita Cod. 16. Ita Cod. pro *epistulis*. Nimirum hoc vocabulum in sequioris aevi codicibus (cuiusmodi est huius rhetoricae Codex) scribitur interdum per *o;* et in vetustissimis codicibus et in lapidibus constanter per *u*. 19. Cod. *negotiosa*. 29. *te*] Ita Cod. 41. Ita Cod. — An *dilatatione?* Or.

4. Ut ille miles apud Ovid. ep. Penelop. V. 32. *pinget et exiguo Pergama tota mero*

Epistola, si superiori scribas, ne iocularis sit; si pari, ne inhumana; si inferiori, ne superba, neque docto incuriose, neque indocto diligenter, nec coniunctissimo translatitie, nec minus familiari non amice. Rem secundam prolixius gratulare, ut illius gaudium extollas: quum offendas dolentem, pauculis consolare, quod ulcus etiam, quum plana manu tangitur, cruentatur. Ita in litteris cum familiaribus ludes, ut tamen cogites posse evenire, ut eas litteras legant tempore tristiore. Iurgari nunquam oportet, sed epistolae minime. Praefationes ac subscriptiones litterarum computandae sunt pro discrimine amicitiae aut dignitatis, habita ratione consuetudinis. Rescribere sic oportet, ut litterae, quibus respondes, prae manu sint, ne quid, cui responsio opus sit, de memoria effluat. Observabant veteres karissimis sua manu scribere, vel plurimum subscribere. Commendatitias fideliter dato, aut ne dato. Id fiet, si amicissime dabis ad amicissimum, et si probabile petes et si impetrabile. Graece aliquid addere litteris suave est, si id neque intempestive neque crebro facias: et proverbio uti non ignoto percommodum est, et versiculo aut parte versus. Lepidum est nonnunquam quasi praesentem alloqui, uti *heus tu*, et *quid ais*, et *video*, *te deridere:* quod genus apud M. Tullium multa sunt. Sed haec, ut dixi, in familiaribus litteris: nam illarum aliarum severitas maior est. In summa id memento et ad epistolas et ad omnem scriptionem bene loqui.

EXPLICIT ARS RHETORICA C. IULII VICTORIS FELICITER HERMAGORAE, CICERONIS, QUINTILIANI, AQUILII, MARCOMANNI, TATIANI.

---

5. Cod. *ostendas*. 6. Cod. *et cruentatur; sed et* ibidem expungitur. 13. Cod. *commendatius*.

13. Legesis in mea ad Symmachum praefatione n. a. verba *et alia manu principis*. Item quae hac de re dixi in praef. Rom. Fronton. p. XVI.

ADDENDA.

Ad p. 202. l. 20. Coniectura mea *de iugeratione agitur* haud opus fuisse sero animadverti. Ipse enim Maius in Emendationibus corrigendum monuit *de mensuratione agrorum*, quae ipsius, opinor, codicis est lectio. Os.

ANICII MANLII SEVERINI BOETHII

COMMENTARII

IN CICERONIS TOPICA.

(Boëthii commentarios quum accuratius quam in ceteris expressos cognovissem in Topicorum editione Parisina, cuius index est: M. Tullii Ciceronis ad C. Trebatium Iurisconsultum Topica. In eadem Severini Boëtii (*sic*) commentariorum libri III. Bartholomaei Latomi Enarrationes. Ch. Hegendorphini Scholia. Antonii Goveani commentarius. Quibus iam praeter aliorum editionem accessit commentarius incerti authoris: cum annotatiunculis quibusdam Viti Amerpachii, in fine libri adiectis. Parisiis, apud Thomam Richardum 1554. 4.: *hanc potissimum Parisinam editionem nostrae fundamentum esse volui. Ad quam emendandam plurimum valebant lectiones optimi codicis Einsiedlensis membr. Sec. X. 4. N. 324. ab Orellio meo diligenter excussi. Praeterea adhibui editiones Boëthii operum Venetam a. 1497—1499. fol. et Basileenses duas, alteram a. 1546. alteram a.* 1570. fol. *Quorum librorum ut omnem lectionis varietatem exhiberem, impetrare a me non potui, veritus, ne plus inde taedii quam utilitatis lectori afferretur. Sed ubi ab editione Parisina discessi, qua auctoritate ductus id fecerim, plerumque indicavi. Denique addidi fragmentum Boëthii de diis et praesensionibus a C. B. Hasio, V. Cl., una cum Io. Laur. Lydi de ostentis libro ex uno codice Regio editum Paris.* 1823. *Quo factum est, ut iam hi commentarii aliquanto integriores quam antea appareant.* Bait.)

BOETHII

COMMENTARIORUM

LIBER PRIMUS.

Exhortatione tua, Patrici, rhetorum peritissime, quae et praesentis honestate propositi et futurae aetatis utilitate coniuncta est, nihil antiquius existimavi. Cui muneri libentissime acquievi, non quod ad instruendum te commentarios in M. Tullii Topica laborare me crediderim (ridiculus quippe forem, si Minervam docere vellem, ut aiunt, litteras,) sed ut ex disciplinarum liberalium sumptum penu nostrae apud te semper pignus amicitiae permaneret. Quod enim munus ex animo diligentibus iucundius inveniri potest, quam quod ipsius animi partes format et instruit? Nam cetera fere caduca, imbecilla, labantia et, si ad fortunae vicem spectes, paene semper aliena sunt. At vero opulentiam litterarum nec praesens imminuit aetas, earumque auctoritatem ipsa etiam, cuncta conficiens, auget potius et confirmat vetustas. Accipe igitur opus non efficientiae securitate, sed amicitiae praesumptione susceptum, apud quam nescio quonam inter suos pacto etiam garrire non dedecet: simul quia praelato a nobis munere, quum tuorum aliquid operum postulavero, iniurius fueris, si negabis. Sed quum in M. Tullii Topica Marius Victorinus rhetor plurimae in disserendi arte notitiae commenta conscripserit, non me oportuisset melioribus forsitan attemptata contingere, ni esset aliquid, quo se noster quoque labor exercere atque parare potuisset. Quattuor enim voluminibus Victorinus in Topica conscriptis eorum primo declarandis tantum libri principiis occupatur. Addit etiam, si qua in eodem volumine praedicenda fuisse perpendit; ut ab exordio voluminis Topicorum, quod est: *Maiores nos res scribere ingressos, C. Trebati*, usque ad eum locum, qui est: *Sed iam tempus est ad id, quod instituimus, accedere* (cap. 1. §. 5.), primi voluminis Victorini expositio terminetur. Secundo volumine de iudicandi atque inveniendi dialecticae partibus et de locorum atque argumenti definitione pertractat, ut ab eo loco Topicorum, qui est: *Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram iudicandi* (cap. 2. §. 6.); usque ad eum, quo ait: *Itaque licet definire locum esse argumenti*

3. *libentissime*] Eins. — *libentius* Edd. 17. *Marius*] Eins. — *Marcus* Bass. — om. Ven. Paris. 21. *primo declarandis*] Eins. Bass. — *primo in declarandis* Ven. Paris. 31. *ad eum, quo ait*] Eins. — *ad eum locum* (om. *quo ait*) Edd.

sedem: argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem (cap. 2. §. 8.); secundi libri commentorum explanatio subsistat. Tertius vero atque quartus discretionem locorum inter se eorumque exempla multiformiter persequuntur: ita ut tertius quidem Tulliana sibi de iure proponat exempla, quartus vero eosdem locos per alias rursus similitudines monstret ex Virgilio vel Terentio poëtis, oratoribus Cicerone et Catone: ut quod praeceptis ostenditur, exemplis multipliciter collucescat: neque ab eo loco, qui est in Topicis: *Sed ex iis locis, in quibus argumenta inclusa sunt* (cap. 2. §. 8.), expositio progressa eum transscendit locum, qui est: *Valeat aequitas, quae paribus in causis paria iura desiderat* (cap. 4. §. 23.). Quanta vero pars reliqua sit, Topicorum ipsius voluminis magnitudo demonstrat, quam Victorinus neque attingit neque attingere potuisset ita rebus minimis immoratus, nisi opus multa librorum pluralitate distenderet. Nos vero et hanc ipsam particulam, quam Victorinus attigit, diligenter (ut possumus) aggrediamur, et longius expositione progressi cum Topicorum debemus fine consistere. Quare de tota operis propositione conveniens sumamus exordium. Sed ante quam de topicae facultatis ratione pertractem, prooemium, quo ad Trebatium M. Tullius utitur, paucis absolvam. Ait:

(Cap. 1. §. 1. — Cap. 1. §. 5.) *Maiores nos — — — — instituimus, accedere.*

Omne prooemium, quod ad componendum intendit auditorem, ut in rhetoricis discitur, aut benevolentiam captat, aut attentionem praeparat, aut efficit docilitatem. His tribus partibus sibi Cicero Trebatium format: nam quod se a magnarum rerum inchoatione revocatum ad amici contulit voluntatem, favorem Trebatii velut iudicis benevolentiae partibus emeretur. Maiores autem res sunt, a quarum scriptione ad amici studium versus est, moralis philosophiae tractatus. Maior est enim morum ratio, quam peritia disserendi. Id autem tempus fuisse coniicimus, quo propter turbulenta rei publicae tempora in otium se contulit atque ad philosophiae disciplinas. Sed quia nobis audientium mentes veritatis quoque opinio praesumpta conciliat, in eo etiam praeparandae benevolentiae partibus utitur, quod commemorandis veraciter iis, quae Trebatius noverat, facit illis fidem, quae posterius evenire et Trebatio ignota esse potuerunt. Haec autem sunt: quod in Tusculano ad suum studium uterque libros evolverit; quodque Trebatius casu in Aristotelis Topica inciderit; quod titulum operis admiratus a M. Tullio inscriptionis sententiam perquisierit; illud etiam, quod ei Cicero se exposuisse commemorat, inveniendorum argumentorum illis libris scientiam contineri, ut sine ullo errore ad argumentorum inventionem via quadam et recto filo atque artificio veniretur. Quae res breviter enuntiata velut intentionem operis monstrat et docilem perficit auditorem. In hoc namque videtur esse com-

2. *commentorum*] Eins. Ven. — *commentariorum* Paris. — om. Bass. 17. *debemus*] Eins. Bass. — *habemus* Ven Paris. 20. *Ait*] Eins. Ven. — *Ait enim* Bass. — om. Paris. 27. *Trebatii velut*] Bass. — *velut Trebatii* ceteri. 32. *ad*] om. Ven. Paris. 34. *quod commemorandis*] Eins. — *quod in commemorandis* Edd.

prehensum, quae sit intentio Topicorum, quod ait disciplinam esse argumentorum, non ut inveniantur, (id enim natura suppeditat,) sed ut sine ullo labore ac sine ulla confusione non casu ad ea mens, sed quadam via ac ratione perveniat. Post hanc benevolentiae captationem Trebatii laudem subiungit, quod eius verecundiam in iis commemorat expetendis, quae si postulanti amico Cicero praestitisset, et gloriae praemium ferret et gratiae. Sed quod petenti Trebatio, ut ei Topica traderet, minime concessit, id non proprii laboris fuga, sed Trebatii potius causa factum esse contendit: ut in eo quoque Trebatii veluti tunc repulsi subiratus forsitan animus nunc non sit alienus. Intererat vero Trebatii, ut vel per se ipse illa legens exercitatior fieret, vel ei perfectius, si qua dubitaret, rhetor doctior expediret. Utrumque vero a Trebatio se narrat audisse: nam et expertum eum, ut per se ipse legeret, sed obscuritate reiectum, et illum rhetorem, a quo Topicorum explanationem petisset, illa sese Aristotelica ignorare confessum. Quae res propter operis difficultatem necesse est auditorem reddat attentum: ea quippe non negligentes inspicimus, quae non facilis esse intelligentiae suspicamur. In quo etiam Cicero minime se miratum esse commemorat, quod is philosophus a rhetore nesciretur, qui multis etiam philosophis videretur incognitus. Quorum etiam iure culpat ignaviam, quos ad Aristotelicae philosophiae disciplinam non inventorum utilitas, non orationis nitor illexerit. In quo etiam maioris perspicaciae crescit attentio, quia facile ad studium mentes aliorum segnities culpata convertit, in quocunque vero attentio fuerit, non poterit abesse docilitas. In his etiam laus quaedam Trebatii latenter inducitur. Magnum est enim, philosophis in suo quasi munere cessantibus, hunc ne proprio quidem studio praepeditum alienae scientiae secreta rimari. Iam vero sequentia multo etiam clarius benevolentiam petunt, velut hoc, quod elegantissime dictum est, veritum se esse, ne, si modeste postulantis verecundiae pernegasset, ipsi quodammodo iuris interpreti fieri videretur iniuria; et quod praecedens Trebatii meritum percepti beneficii memor exsequitur, id vero est, quod vel ipsi vel iis, quos ipse defenderit, plura cavisset. Fuit igitur, ut ait, verendum, ne, si restituere gratiam noluisset, aut ingratum id aut superbum esse videretur: ingratum quidem, si magna Trebatii merita, quibus ipse usus fuerat, parvo aestimare videretur, quum nullam ei gratiam restituendam putaret: superbum vero, si sperneret. Ad idem cetera revertuntur: quod eiusdem testimonio nititur, dum fuerit in urbe, se, ne debitam redderet gratiam, occupationum necessitate constrictum; quod, ut venerit Veliam, amicorum Trebatii conventione commonitus ne tacitae quidem eius flagitationi deesse voluisset, et quod, licet librorum copia nulla suppeteret, de memoriae tamen repetita promptuariis

4. *via ac ratione*] Eins. — *via et ratione* Bass. — *viae ductione* Ven. Paris. 5. *Post hanc benev. captationem*] Bass. — *Post hanc ad benev. captionem* (sic) Eins. — *Post benev. hanc captationem* Ven. Paris. 8. *fuga*] *fugae* Eins. 10. *veluti tunc rep.*] *velut iam rep.* Eins. 11. *illa*] om. Ven. Paris. 27. *hunc ne*] Eins. Bass. — *hunc Trebatium ne* Ven. Paris. 42. *repetita*] Eins. — *repetitae* Edd.

in ipsa navigatione conscripserit, eique ex itinere miserit, ut beneficii cumulo parendi etiam celeritas adderetur; (quae quum omnia benignum captare Trebatii videantur assensum, quaedam tamen brevitas Topicorum, memoria repetita, attentionis necesse est animadversione fungatur; ipsa namque memoriae repetitio breve monstrat esse, quod colligit;) quodque diligentiae sibi fuerint mandata Trebatii, et quod ad excitandam sui memoriam quasi pignus amico aliquod atque monimentum voluisset exstare. Cui adiicit illud, *etsi admonitore non eges*, ne offendat animum sedulitate admonitionis, si, quem commonendum credit, oblivionis videatur arguere. Haec omnia, ut dixi, benevolentiae partibus plena sunt. Sed de prooemio satis dictum est. Nunc ad sequentia transeamus, nec si quis haec apud Victorinum latius tractata repererit, nos neglectae integritatis stringat invidia: nam nec in singulis (ut ille facit) verbis haerere volumus, et ad ampliora huius operis festinamus.

(Cap. 2. §. 6. — cap. 2. §. 7.) *Quum omnis ratio — — est, ordiemur.*

Quum philosophia maximis in rebus operam suam studiumque consumat, quumque et in naturalibus inspectionem speculationemque adhibeat et in moralibus actionem, et sic formare gestiat mores, ut vera vitae ratio persuaserit: evenire necesse est, ut secundum id, quod ratio tenendum omittendumve, quod faciendum aut non faciendum esse decreverit, vel iudicium constituatur, ad quod vitae dirigatur intentio, vel sensus exerceatur. Erit igitur necessarium vel in naturali speculatione vel in moralium actionum cogitatione, ut certa ratio vel quod in rebus speculandum est inveniat, vel quod in actum vivendi deduci oporteat ante perpendat. Haec autem ratio nisi via quadam processerit, saepe in multos necesse est labatur errores. Quod ne passim fieret, atque ut certis regulis tractatus insisteret, visum est antiquae philosophiae ducibus, ut ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitus ante discuterent, ut his purgatis atque compositis vel in speculatione veritatis vel exercendis virtutibus uteremur. Haec est igitur disciplina quasi disserendi quaedam magistra, quam logicen Peripatetici veteres appellaverunt: hanc Cicero definiens disserendi diligentem rationem vocavit. Haec vario modo a plerisque tractata est varioque etiam vocabulo nuncupata. Ut enim dictum est, a Peripateticis haec ratio diligens disserendi logice vocatur, continens in se inveniendi iudicandique peritiam. Stoici vero eandem hanc rationem disserendi paullo angustius tractaverunt; nihil enim de inventione laborantes in sola tantum iudicatione consistunt, deque ea praecepta multipliciter dantes dialecticam nuncupaverunt. Plato etiam dialecticam vocat facultatem, quae id, quod unum est, possit in plura partiri, veluti solet genus per proprias differentias usque ad ultimam

8. *admonitione* Eins. Bass. 12. *sequentia*] Eins. Bass. — *consequentia* Ven. Paris. 18. *operam*] *curam* Eins. 24. *constituatur* - - *exerceatur*] Eins. — *constituatur* (*ascensus* inserunt Bass.) *vel exercendae vitae dirigatur intentio* Edd. 27. *deduci*] Eins. — *duci* Edd.

speciem separari, atque ea, quae multa sunt, in unum generum ratione colligere. Hanc igitur Plato dialecticam dicit: Aristoteles vero logicam vocat, quam (ut dictum est) Cicero definivit diligentem disserendi rationem. Et huius uno quidem modo trina partitio est. Omnis namque vis logicae disciplinae aut definit aliquid aut partitur aut colligit. Colligendi autem facultas triplici diversitate tractatur: aut enim veris ac necessariis argumentationibus disputatio decurrit, et disciplina vel demonstratio nuncupatur: aut tantum probabilibus, et dialectica dicitur: aut apertissime falsis, et sophistica, id est, cavillatoria perhibetur. Logica igitur, quae est peritia disserendi, vel de definitione vel de partitione vel de collectione, id est, vel de veris ac necessariis vel de probabilibus, id est, veri similibus, vel de sophisticis, id est, cavillatoriis argumentationibus tractat; has enim collectionis partes esse praediximus. Atque haec est una logicae partitio, in qua dialecticam Aristoteles vocat facultatem per probabilia colligendi. Rursus eiusdem logicae altera divisio est, per quam diducitur tota diligens ratio disserendi in duas partes, unam inveniendi et alteram iudicandi. Id autem videtur etiam ipsa logices definitio monstrare: nam quia logica ratio disserendi est, non potest ab inventione esse separata. Quum enim nemo praeter inventionem disserere possit, disserendi ratio inventionis est ratio. Rursus quoniam logice diligens ratio disserendi est, ab ea non potest abesse iudicium. Ipsa enim diligentia rationis in disserendo posita iudicium est. Neque enim potest quisquam diligenter disserere, nisi iudicaverit, quale sit id, quod in disputationem sumitur. Quod si ad disserendi ordinem diligentia rationis adhibetur, non est dubium, quin hoc iudicium ad inventionum varietatem sit accommodatum. His igitur ita expeditis videndum est, hae divisiones quanam se cognatione contingant. Inventio quippe ceteris omnibus veluti materiae loco supponitur hoc modo. Nisi enim inventio fuerit, non potest esse vel definitio vel partitio, quoniam unum quodque generum vel differentiarum inventione aut dividimus aut etiam definimus. Iam vero si absit inventio, nequit esse collectio. Non erit igitur necessaria nec veri similis nec sophistica. Haec enim tria inventioni superveniunt, ut vel necessarium vel probabile vel cavillatorium sit argumentum. Necessitas vero et probabilitas et cavillatio formae quaedam sunt, quae dum inventionibus assistunt, necessaria vel probabilia vel cavillatoria faciunt argumenta. Eadem quoque ratio partitiones definitionesque complectitur. Indiscreta namque inventionis potestas quum definitiva, tum divisibilis appellari potest, quum definiendis partiendisve rebus adhibetur. Quae hoc modo ex inventionis materia et differentiarum supra positarum forma composita rursus iudicationi materia fiunt. Nam prior illa partitio logicae tribus partibus segregata ita partes explicat, ut habeat inventionem materiam singularum; ipsa vero iudicationi materiam praestat. Etenim, quum definit aliquis vel rei

---

1. *ultimam speciem*] Eins. — *ultimas species* Edd. 15. *Aristoteles vel Plato vocat* Eins. 28. *cogitatione* Eins. 31. *vel* om. Eins. Ibid. *inventione vel specierum collectione aut* Bass.

propositae divisionem facit, invenit quidem divisioni definitionique differentias accommodatas, sed an recte vel definiat vel dividat, iudicatione perpendit. Ita priores logicae partes secundae divisionis membra coniungunt: ut materiam quidem sui habeant inventionem, iudicationi vero fiant ipsae materia. Quod in reliqua etiam colligendi parte contingit; nam et ea, quae de probabilibus tractat, habet inveniendi suppositam materiam, quia veri similia reperit argumenta et de huiusmodi argumento iudicatio perpendit. Est enim iudicium hoc ipsum internoscendi, quod non necessaria inventio est, sed veri similitudinem tenet. Illa quoque pars, quae necessariis argumentationibus aptatur, habet subiectam materiam necessariae inventionis, eiusque est iudicium, ut, quum necessaria sunt, quae invenit, necessaria quoque esse perpendat. Nec non cavillandi pars utraque in se continet, quandoquidem et inveniri falsa possunt et falsa esse indicatione discerni. Quo fit, ut prior logices divisio secundam etiam continere videatur. Nam definitio, partitio atque collectio inventionem continent et iudicium, quia neque exsistere praeter inventionem neque agnosci praeter iudicium possunt. Sed quum omnis inventio indicationi subiecta sit, quumque prioris divisionis partes sine utroque esse non possint, evenit, ut prima partitio inventionem iudiciumque coniungat; secunda vero haec divisio, qua Cicero etiam partitur logicam, segregat huiusmodi facultates ac inveniendi materiam a iudicandi parte secernit. Iudicium vero in colligendi ratione proprias partes habet. Nam omnis argumentatio omnisque syllogismus propositionibus struitur, omneque compositum duo in se quaedam retinet, quae speculanda esse videantur, et quidem unum, quae illa sint, ex quibus id, quod compositum est, intelligatur esse connexum, aliud vero, quanam sit suarum partium coniunctione compositum: ut in pariete, si quidem lapides ipsos, quibus paries structus est, inspicias, quasi materiam spectes; si vero ordinem compositionemque iuncturae consideres, tamquam de formae ratione perpendas. Item in argumentationibus, quas propositionibus compaginari atque coniungi supra retulimus, gemina erit speculationis et iudicandi via: una, quae propositionum ipsarum naturam discernit ac iudicat, utrum verae ac necessariae sint, an veri similes, an sophisticis applicentur; et haec quasi materiae speculatio est. Altera vero pars iudicii est, quae inter se propositionum iuncturas compositionesque perpendit: haec quasi formam indicat argumentorum. Quae quum ita sint, hoc modo fit in continuum ducta partitio, ut ratio diligens disserendi unam habeat inveniendi partem, alteram vero iudicandi, tum de ipsa inventione, tum de inventionis collectione, quae forma est argumentationis. Atque ea quidem pars, quae de inventione docet, quaedam inventionibus instrumenta suppeditat et vocatur topice; cur autem hoc nomine nuncupata sit, posterius dicam. Illa vero pars,

---

7. *quia*] Eins. — *quae* Edd. 10. *quae necessariis*] Eins. — *quae de necessariis* Edd. 19. *divisionis*] Eins. Bas. — *definitionis* Ven. Paris. 22. *iudicandi*] Eins. — *indicationis* Edd. 40. *collectione*] Eins. corr. — *collatione* Ven. — *collocatione* ceteri. 42. *inventionis* Bas. 2.

quae in iudicando posita est, quasdam discernendi regulas subministrat, et vocatur analytice: et si de propositionum iunctura consideret, analytice prior; si vero de ipsis inventionibus tractet, ea quidem pars, ubi de discernendis necessariis argumentis dicitur, analytice posterior nuncupatur; ea vero, quae de falsis atque cavillatoriis, id est, de sophisticis, elenchi. De veri similium vero argumentationum iudicio nihil videtur esse tractatum, idcirco, quoniam plana est atque expedita ratio iudicandi de medietate, quum quis extrema cognoverit. Si enim quis diiudicare necessaria sciat, idemque falsorum argumentorum possit habere iudicium, veri similia, quae in medio collocata sunt, discernere non laborat. Expeditum igitur est, ut arbitror, quid sit, quod ait Cicero, rationem diligentem disserendi duas habere partes, inveniendi unam, alteram iudicandi. Illud etiam diligentius expositum est, quae sit ratio, quam Stoici dialecticen vocant. Ea est enim, quae iudicandi peritiam tenet, et quam eodem nomine Plato partiendi per differentias atque ad genus revocandi facultatem vocet, quamque eodem nomine Aristoteles non totam disserendi artem, ut Stoici, sed eam tantum nuncupet, quae de proposita quaestione veri similibus colligat argumentis: atque ideo perfectius Aristoteles de logica tractavit, quoniam de duobus, ultra quae nihil est tertium, disseruit, de inveniendo scilicet et iudicando, quum Stoici inventione neglecta iudicationis tantum instrumenta tradiderint. Atque ideo iure eos increpat Tullius, quoniam id maxime reliquere, quod et natura prius et usu potius erat: natura quidem, quia fieri non potest, ut de inventione iudicetur, nisi ipsa inventio prius exstiterit; ad usum vero, quia longe utilius est nuda et praeter artem prolata naturaliter inventione susceptum saepe tueri negotium, quam inveniente alio mutum ipsum inermeque tacite versare iudicium. Dat vero Tullius de utroque sententiam et ait summam pariter utilitatem in utroque consistere et se de utraque, si otium fuerit, velle disserere. Ab ea autem, quae prior est, id est, inventione, quam topicen appellari diximus, ordiendum putat.

(Cap. 2. §. 7. — cap. 2. §. 8.) *Ut igitur — — — faciat fidem.*

Post divisionem logicae disciplinae, quam diligentem disserendi rationem esse definivit, de topice, quae inveniendi ars esse praedicta est, expedire contendit. Ac primum, quid sint loci, termino definitionis includit, eiusque artis, quae topice dicitur, sub exempli quadam claritate intentionem designat. Est enim topices intentio argumentorum facilis inventio. Non igitur invenire docet topice, quod est naturalis ingenii, sed facilius invenire. Omnis quippe ars imitatur naturam, atque ab hac materia suscepta rationes ipsa viamque conformat, ut quum facilius id, quod ars quaeque promittit, tum elegantius fiat: velut parietem struere naturalis ingenii est, sed arte fit melius. Argumentum ratio est, quae rei dubiae faciat fidem. Multa enim sunt,

---

15. *quam - - quamque*] Eius. Bass. — *quod - - quodque* Ven. Paris. 26. *naturaliter*] Eins. Ven. — *naturali* ceteri. 27. *tacite*] Eins. — *et tacitum* Edd. 41. *rationem ipsam* Eins.

quae faciunt fidem, sed quia rationes non sunt, ne argumenta quidem esse possunt, ut visus facit fidem iis, quae videntur, sed quia ratio non est visus, ne argumentum quidem esse potest. Differentiam vero unam sumpsit, eam, *quae faciat fidem*. Omne enim argumentum facit fidem. Si igitur iunxerimus genus ac differentiam et idem argumentum dicamus, quod rationem, quae facit fidem, num tota argumenti natura monstrata sit? Minime. Quid? si eius rei, de qua nemo dubitat, aliqua ratione facere quis fidem velit, num idcirco illa, quod fidem faciat, vocabitur argumentum? Nullo modo: argumentum namque est, quod rem arguit, id est, probat; nihil vero probari nisi dubium potest. Nisi ergo sit res ambigua et ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumentum esse non poterit. Addita igitur alia differentia, quae est *rei dubiae*, facta est integra definitio argumenti ex genere et duabus differentiis constans: genere quidem, ratione: una vero differentia, quod faciat fidem, altera vero, quod rei dubiae, ut sit tota definitio, id esse argumentum, quod sit ratio rei dubiae faciens fidem. Quae quum ita sint, necesse est ut, ubi dubitatur aliquid, ibi sit quaestio. Quod si argumentum praeter rem dubiam esse non poterit, nullo modo esse praeter quaestionem potest. Quaestio vero est dubitabilis propositio. Propositio vero est oratio verum falsumve designans. Omnis igitur propositio sive constanter atque pronuntiative proferatur, ut si quis dicat: *Omnis homo animal est*, sive ad interrogationem dirigatur, ut si quis interroget: *Putasne: omnis homo animal est?* retinet proprium nomen et propositio nuncupatur. At si eadem velut dubitabilis proferatur, fit quaestio; velut si quis quaerat: *an omnis homo animal sit?* Quot autem modis quaestio dividatur, nunc explicandi locus non videtur accommodus, sed in iis libris dicemus, quos de topicis differentiis formare molimur. Ad quaestionem igitur, id est, ad dubitabilem propositionem, omnis intentio dirigitur argumenti, non vero ut totam comprobet quaestionem, sed ut partem eius ratione confirmet: neque enim tota quaestio defenditur, sed una eius quaelibet pars argumentatione firmatur. Nemo enim defendit, *caelum rotundum esse, et non esse;* si enim ita quis defenderet, totam quaestionem videretur probare. Sed quum ita consideratur: *Utrum caelum rotundum sit, an non sit*; in una tantum consistit quaestionis parte defensio, sive quae affirmat, sive quae negat. Omnis enim quaestio contradictionibus constat. Nam si qua res ab altero affirmetur, negetur ab altero, totum hoc contradictio nuncupatur, ut si quis dicat: *Caelum rotundum est;* alter neget, dicens: *Caelum rotundum non est.* Caelum rotundum esse, et non esse, contradictio perhibetur. Dubitabilis vero propositio, quam quaestionem esse praediximus, et affirmationem in se continet et negationem; hoc ipso enim, quod dubitabilis est, contradictionem videtur includere. Quum enim dubitat quis,

5. *et id esse argumentum* Eins. Bass. 28. *topicorum* Eins. 37. *contradictionibus*] Ven. Bass. — *contrariis dictionibus* Eins. — *contrariis contradictionibus* Paris. Ibid. *affirmatur, negatur* Eins. 42. *quod*] Eins. — *quo* Bass. — *quia* Ven. Paris.

utrumne caelum rotundum sit, sive adiungat, *an non sit*, sive reticeat, ipsa dubitatio partem secum alteram trahit. Si enim unam partem propositio tueatur, dubitabilis non est, atque idcirco nec quaestio. Quum igitur omnis quaestio duas habeat partes, affirmationis unam, alteram negationis, necesse est, ut sit semper ex alterutra parte defensio, ut unus quidem affirmationis partem, negationis alter defendat, et hic quidem ad astruendam affirmationem, ille vero ad destruendam quae potuerit argumenta perquirat. Nihil vero interest, utrum quis affirmationem ponat an destruat negationem, aut negationem defendat an oppugnet affirmationem. Age enim, sit quaestio: *Utrum caelum rotundum sit?* Si quis eam sibi quaestionis partem assumpserit, qua esse defendit, ad eam constituendam cuncta necesse est sibi comparet argumenta, atque in hoc affirmationem quidem ponit, sed destruit negationem. Si quis vero id neget ac dicat, non esse caelum rotundum, sumpsit sibi partem alteram quaestionis, quae fuerat reliqua, id est, negationem, in eaque consistit, et ad hanc approbandam perquisitis utitur argumentis: itaque negationem ponit et labefactat affirmationem. Quae quum ita sint, demonstratum arbitror, non totam quaestionem, sed eius aliquam partem ad defensionem venire. Sed quod quisque defendet, ad id quoque argumenta perquirit. Ad partem igitur quaestionis astruendam destruendamve argumenta sumuntur. Atque haec quidem si quis minus intelligit, ne a nobis obscure dicta esse causetur. Si enim, quae in dialectica vel a nobis dicta Latina oratione vel a Graecis scripta sunt, ignorabit, mirum est, si quam partem eorum, quae dicimus, advertere valeat, nedum stupeamus, quod non omnia comprehendat. Sed quoniam dubitabilem propositionem quaestionem esse praediximus, evenit, ut, quas partes habeat propositio, easdem etiam quaestio retinere videatur. Omnis autem simplex propositio duas habet partes in terminis constitutas. Simplex vero propositio est huiusmodi: *Omnis homo animal est.* Terminos vero voco simplices orationis partes, quae continent propositionem, ut *animal* et *homo*. Hi vero sunt praedicatus atque subiectus. Praedicatus est in propositione maior terminus collocatus, subiectus vero minor. Maior vero terminus de subiecto dicitur: minor autem de maiore nullo modo praedicatur, ut animal, quoniam maius est quam homo, de homine praedicatur: dicitur enim, *Omnis homo animal est;* homo vero de animali non dicitur: nemo enim vere dicit: *Omne animal homo est.* Hac igitur ratione internoscere possumus, qui terminus in propositione maior, qui vero sit minor. Omnis autem quaestio, ut dictum est, quoniam dubitabiles partes habet et ad easdem comprobandas argumenta sumuntur, necesse est, ut, quidquid in quaestionibus comprobetur, id argumentorum ratione firmetur. Argumentum vero, nisi sit oratione prolatum et propositionum contextione dispositum, fidem facere dubitationi non poterit. Ergo illa per propositiones prolatio ac dispositio argumenti argumentatio nuncupatur, quae dicitur enthymema vel syllogismus,

---

17. *nititur* Eins. Bass. Ibid. *itaque astruit negationem et lab.* Eins. 20. *defendit* Eins.

cuius definitionem in Topicis differentiis apertius explanabimus. Omnis vero syllogismus vel enthymema propositionibus constat: omne igitur argumentum syllogismo vel enthymemate profertur. Enthymema vero est imperfectus syllogismus, cuius aliquae partes vel propter brevitatem vel propter notitiam praetermissae sunt. Itaque haec quoque argumentatio a syllogismi genere non recedit. Quoniam igitur syllogismus omnis propositionibus constat, propositiones vero terminis, terminique inter se differunt eo, quod unus maior est, alter minor; fieri non potest, ut ex propositionibus conclusio nascatur, nisi per terminos progressae propositiones extremos terminos alicuius tertii medietate coniunxerint. Id facillimo demonstratur exemplo. Sit enim quaestio, *utrum homo substantia sit*, *an minime*. Sumo mihi quaestionis partem alteram comprobandam, ea est, *hominem esse substantiam;* in hac igitur duo sunt termini, *substantia* atque *homo*, quorum maior *substantia*, *homo* vero minor. Quod ex eo quoque poterit ostendi, quoniam posterius, substantia, in prolatione profertur, ut in hoc ipso, quod dicimus, *Homo substantia est*, prius hominem, posterius substantiam nominamus. Ut igitur substantiam atque hominem iungamus, necesse est medium terminum reperiri, qui utrosque copulet terminos; hic sit *animal*, fiatque una propositio: *Omnis homo animal est.* In hac igitur propositione animal praedicatur, homo subiicitur. Rursus adiungo: *Omne autem animal substantia est.* In hac rursus animal supponitur, substantia praedicatur. Itaque concludo: *Omnis homo substantia est.* Ac per hoc homo quidem semper subiectus est; animal vero ad hominem quidem praedicatum est, ad substantiam vero subiectum; substantia vero ipsa semper praedicata permansit; unde fit, ut minor quidem sit homo, maior vero homine substantia, medius autem terminus animal. Quoniam igitur extremi termini medii interpositione copulantur, eoque modo quaestionis inter se membra conveniunt, adhibitaque probatione solvitur dubitatio; nihil est aliud argumentum quam medietatis inventio: haec enim vel coniungere, si affirmatio defendatur, vel disiungere, si negatio vindicetur, poterit extremos. Quae quum ita sint, duarum propositionum et tertiae conclusionis maior quidem propositio dicitur ea, quae maiórem terminum continet, id est, in qua maior quidem praedicatur, medius vero supponitur, ut: *Omne animal substantia est.* Minor vero propositio est, quae medium quidem terminum praedicat, subiicit autem minorem, ut: *Omnis homo animal est.* Sed quoniam a maioribus necesse est minora descendere, eius conclusionis, quae ex duabus propositionibus nascitur, illa quasi propria effectrix propositio videtur esse, quae prima est; haec autem est: *Omnis homo substantia est.* Quod, qui priores posterioresque nostros Analyticos, quos ab Aristotele transtulimus, legit, minime dubitat. Sed si quis, quae illic scripta sunt, nesciens ad haec legenda proruperit, etiam si rationem rerum, quas non intelligit, minime comprehendit, ita tamen, ut dictum est, esse confidat, seque id in Aristotelis Analyticis uberius inventu-

---

11. *terminos aliqua medietate* Eins.

rum esse, si legerit, arbitretur. Natura igitur rerum fert, ut, ubi quid maius ac minus est, ibi maximum quoque aliquid inesse necesse sit. Quo fit, ut sint quaedam maximae propositiones, quomodo minores maioresque esse monstravimus, quarum natura ex simplicium propositionum partitione sumenda est. Omnis enim simplex propositio vel affirmativa est vel negativa, earumque aliae sunt universales, ut: *Omnis homo iustus est*, *Nullus homo iustus est;* aliae particulares, ut: *Quidam homo iustus est*, *Quidam homo iustus non est;* aliae indefinitae, ut: *Homo iustus est*, *Homo iustus non est*; aliae singulares, singulare aliquid atque individuum continentes, ut: *Cato iustus est*, *Cato iustus non est.* Harumque omnium aliae sunt dubitabiles, aliae indubitatae. Supremas igitur ac maximas propositiones vocamus, quae et universales sunt et ita notae atque manifestae, ut probatione non egeant, eaque potius, quae in dubitatione sunt, probent. Nam quae indubitata sunt, ambiguorum demonstrationis solent esse principia, qualis est: *Omnem numerum vel parem esse vel imparem*; et: *Aequalia relinqui, si aequalibus aequalia detrahantur;* ceteraeque, de quarum nota veritate non quaeritur. Maximas igitur, id est, universales ac notissimas propositiones, ex quibus syllogismorum conclusio descendit, in Topicis ab Aristotele conscriptis locos appellatos esse perspeximus; quod enim maximae sunt, id est, universales propositiones, reliquas in se velut loci corpora complectuntur; quod vero notissimae atque manifestae sunt, fidem quaestionibus praestant, eoque modo ambiguarum rerum continent probationes. Has autem aliquotiens quidem in ipsis syllogismis atque argumentationibus inhaerere conspicimus; alias vero in ipsis argumentationibus minime continentur, vim tamen argumentationibus subministrant: ut, si velimus ostendere, *Regnum melius esse quam consulatum*, dicemus: *Regnum quum sit bonum, diuturnius est quam consulatus. Omne vero, quod est diuturnius, bonum melius est eo, quod parvi est temporis: regnum igitur melius est consulatu.* Hic igitur maxima propositio atque universalis et per se cognita neque indigens probatione argumentationi inserta est. Ea vero est: *Omnia, quae diuturniora sunt, bona meliora esse iis, quae sunt temporis brevitate constricta.* At si velimus ostendere, *Non esse invidum, qui sapiens sit*, dicimus: *Invidus est, qui maeret aliena felicitate; non autem sapiens est, quem felicitas aliena contristat: non est igitur invidus sapiens.* Hic maxima propositio argumentationi non videtur inclusa, sed extrinsecus posita, syllogismo tamen vires ministrat. Haec vero est, *Quorum diversae sunt definitiones, diversas esse substantias.* Quisquis igitur vel Aristotelis Graeca vel nostra ab Aristotele translata Topica perspexerit, has illic propositiones locos inveniet nuncupari, quae sunt maximae atque universales et vel per se necessariae vel per se probabiles ac

---

2. *minus est, ibi*] Eins. Bas. — *minus est, etiam ibi* Ven. — *minus, etiam ibi* Paris. 8. *Quidam homo iustus non est* add. Eins. Ven. 10. *aliae singulares, singulare aliquid*] Orellius. — *aliae singulare aliquid* Eins. Ven. — *aliae singulares, aliquid* Paris. Bass. 24. *rerum* om. Eins. 26. *aliae vero in ipsis quidem arg.* Eins. Bass. 34. *Ac si* Paris.

notae. Sed quoniam has propositiones plures ac paene innumerabiles esse necesse est, restat adhuc, quo amplius ratio speculationis ascendat. Possumus enim diligenti tractatu considerationis adhibito omnium maximarum atque universalium propositionum differentias perpendere, atque innumerabilem maximarum propositionum ac per se notarum multitudinem in paucas atque universales colligere differentias, ut alias dicamus in definitione consistere, alias in genere, atque alias alio modo, quod paullo post apertius demonstrabo. Omnes igitur maximae propositiones, quaecunque sub definitionis, verbi gratia, rationem cadunt, uno definitionis nomine continebuntur. Et sicut illae reliquarum propositionum loci esse dicebantur, quod eas intra suum ambitum continerent: ita ipsarum maximarum atque universalium propositionum, quas minorum propositionum locos esse praediximus, illae differentiae, etsi non vere, tamen quadam velut imagine, loci esse videbuntur, in quas fuerint convenienti ratione reductae. Sed istae locorum, id est, propositionum maximarum, differentiae, quas etiam ipsas locos nominamus, possunt subiectarum propositionum etiam genera nuncupari. Nam differentiae continentes etiam genera communiter possunt videri: ut irrationale, quum a rationali velut divisibili differentia dissideat, tamen equi vel canis et differentia specifica est, et ad eos locum generis tenet; namque animal irrationabile equi genus est. Ita etiam in maximis propositionibus. Nam quod aliae sunt ex toto, aliae ex partibus, hae inter se comparatae differentiae divisibiles sunt, ad ipsas vero maximas propositiones differentiarum continentiae velut generis loco sunt. Nam propositionis ex toto venientis genus est id ipsum, quod vocatur ex toto. Item propositionis a partibus ductae, quamvis notae atque manifestae, genus est, quod a partibus, et ceterae differentiae earum propositionum, quae quum sint maximae, tamen eisdem videntur includi, velut quaedam genera sunt. Quae vero sint hae differentiae, paullo posterius disseram. De iis igitur nunc locis tractare Tullius instituit, qui maximas propositiones, quas superius diximus, id est, per se notas atque universales, continent atque includunt. Hae vero sunt maximarum differentiae propositionum. De universalium igitur enuntiationum per seque notarum differentiis disserit: ut sit integre locus argumenti sedes. Nam si argumentum omne per propositiones ad conclusionem usque perducitur, omnes vero reliquae propositiones in prima maximaque propositione continentur, ipsaque prima ac maxima propositio tum pars est argumentationis, id est, syllogismi, tum extra posita argumentationi vires ministrat, ut utroque modo, quoniam perficit argumentum, pars argumentationis quaedam esse videatur: non est dubium, quin hae differentiae, quae propositiones maximas continent, eaedem omnes etiam contineant argumentationes, ut maximarum propositionum differentiae iure loci argumento-

6. *diff. ut alias*] Sic scripsi. — *diff. et ut alias* Eins. Ven. — *diff. ut et alias* Paris. Bass. 17. *ipsas*] Eins. — *ipsos* Edd. 19. *irrationale equi genus cum rationali velut divisibilis diff.* Eins. 20. *canis ad differentias par tifica est* (sic) Eins. 21. *animal irrationale genus. Ita* Eins. 29. *sunt*] Eins. — *sint* Edd.

rum et quasi quaedam ultimae sedes esse videantur. Nam ex his quattuor significationibus appellationum duarum, argumentationis scilicet atque argumenti, unam quamlibet esse necesse est. Aut enim elocutio et contextio ipsa propositionum cum maximis propositionibus vel extra syllogismum positis vel in eodem inclusis argumentatio vocatur; argumentum vero mens et sententia syllogismi. Aut elocutio ratiocinationis cum maximis propositionibus et sententia syllogismi argumentum esse dicetur, ut idem sit argumentum, quod argumentatio. Aut argumentatio quidem vocabitur tota contextio syllogismi cum sententia, sed argumentum maxima propositio. Aut integer ratiocinationis ordo praeter maximas propositiones argumentatio dicetur, sententia vero argumentationis argumentum, reliqua vero maxima propositio locus. Sed quum haec ita sint, sive quis ipsarum propositionum contextionem et usque ad conclusionem continuum ductum cum maxima propositione vel extra posita vel propositionibus ratiocinationis inclusa argumentationem vocare velit, argumentum vero sententiam mentemque ratiocinationis: nihilo minus locos intelligimus maximarum propositionum differentias. Sive quis ratiocinationis totius vim atque sententiam totam cum maxima propositione vel intra vel extra posita argumentum vocet: non est dubium, quin totius ratiocinationis locus ille sit, qui est maximae propositionis differentia; continet enim maximam propositionem, in qua propositiones ceterae continentur. Sive argumentationem quidem totam ratiocinationis contextionem vocari placeat, argumentum vero maximam propositionem: rursus recte locus putabitur maximae propositionis differentia, quae argumentum claudit et continet. Quod si argumentum quidem sensus ipse totius ratiocinationis intelligatur, argumentatio vero integra ratiocinationis prolatio, extra vero et ab utrisque diversum valens velut locus quidam consideretur: sic quoque maximarum differentiae propositionum loci esse videbuntur. Nam quum differentia ipsa maximam propositionem contineat eiusque sit locus, maxima vero propositio argumentationi vel argumento vires ministret, non est dubium, quin ea toti argumento locus esse videatur, quod totum intra se maximae propositionis ambitum claudit. Demonstratum igitur est, quae sint argumentorum sedes, id est, ubi argumenta clauduntur; (hae sunt autem maximarum propositionum differentiae, quae vocantur loci;) quid etiam argumentum, quoniam est rei dubiae faciens fidem; quae sit vero res dubia, id est, pars altera quaestionis; quid sit quaestio, id est, dubitabilis propositio; quid sit simplex propositio, id est, enuntiatio, quae praedicato ac subiecto termino contineatur, verum falsumve designans: quae omnia meminisse oportet. Maximarum enim propositionum differentiae, quas locos esse praediximus, ab iis ducuntur terminis, qui prius in propositione sunt, posterius in quaestione considerantur, praedicato scilicet atque subiecto. Ex his etiam, quae superius dicta sunt, quid distent Topica Ciceronis atque Aristotelis, apparuit. Aristoteles namque de maximis

---

6. *Aut elocutio - - sententia syllogismi* om. Eins. 33. *clauditur* Eins. omisso paullo ante pronomine *se*, ut in Ven. et Bas.

propositionibus disserit: has enim locos argumentorum esse posuit, ut nos quoque supra retulimus. Tullius vero locos non maximas propositiones, sed earum continentes differentias vocat ac de his docere contendit.

(Cap. 2. §. 8.) *Sed ex iis locis — — — disiuncta sunt.*

Post definitionem loci atque argumenti facit plenissimam divisionem locorum. Ac primum, quoniam omnis divisio cuncta debet amplecti nec superfluum quidquam interponere nec omittere, quod sit necessarium, id M. Tullius proposita divisione perfecit dicens, ex iis locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso, de quo agitur, haerere, alios extrinsecus assumi. Nihil enim huic divisioni posse videtur addi vel minui, quandoquidem breviter cuncta complectitur. Argumentorum enim loci quicunque sumuntur, aut in ipso, de quo agitur, haerent, aut minime. Id autem „minime" extrinsecus positos esse designat. Quod si inter id, quod dicimus, in ipso, de quo agitur, haerere argumentorum locos, et non haerere nihil est medium (inter affirmationem enim atque negationem nulla est medietas); quumque in ipso, de quo agitur, non inhaerere locum argumenti, id sit extrinsecus assumi: dubium non est, quin nihil intersit medium inter ea argumenta, quorum in ipso haerent loci, de quo agitur, et ea, quorum extrinsecus assumuntur. Sed quid ipsum sit, de quo agitur, facilior explanatio est, si eorum, quae prius dicta sunt, meminerimus. Nam quum de quaestione loqueremur, eandem diximus esse quaestionem, quae esset dubitabilis propositio. Sed quoniam propositio subiecto praedicatoque constaret, quaestionem quoque diximus subiecto praedicatoque coniungi. Praedicatum igitur vel subiectum hoc est ipsum, de quo agitur. Nam quum de alterutra quaestionis parte dubitetur, in hac ambiguitate quaeritur, utrum praedicatus terminus inesse subiecto videatur, an minime. Nam quum omnis quaestio in affirmationem negationemque dividatur, si praedicatus subiecto inest, fit ex eo vera affirmatio; si non inest, fit vera negatio. Sed in quaestionibus disceptandis alter affirmationem, alter negationem tuetur, id est, alter praedicatum inesse subiecto, alter non inesse defendit. Quod vero ex alterutra parte defenditur, hoc est ipsum, de quo agitur. Ipsum igitur est praedicatus terminus vel subiectus, de quibus agitur; atque id exemplo clarius fiat. Sit quaestio, *an Verres furtum fecerit.* Hic Verres subiectum est; furtum facere praedicatum. Quod si furtum Verri coniungitur, idque argumentationibus comprobatur, quaestionis affirmatio demonstrata est. Si furtum a Verre seiungitur, quaestionis rursus negatio comprobatur. Ipsum itaque, de quo agitur, nihil est nisi uterlibet eorum terminus, qui in quaestione proponitur, sive praedicatus, sive etiam subiectus. Qui quidem termini per se argumenta esse non possunt, neque vero per se argumenta praestare. Si enim ipsi, ut sunt, argumenta esse possent vel argumentorum praestare materiam, nul-

---

9. *perfecit*] Ven. Paris. — *patefecit* Eins. — *patefacit* Bass. 10. *locis quibus* Eins. 15. *Quod si*] *quia* Eins. 41. *non possunt - - argumenta esse* om. Eins. addito *si* ante *termini.*

lam in quaestione linquerent dubitationem. Sed quoniam de ipsis adhuc in quaestione dubitatur, an eorum possit esse rata coniunctio: ipsi quidem neque per se argumenta esse nec per se argumenta praestare poterunt; ea vero, quae in ipsis insunt vel extrinsecus posita sunt, argumentorum copiam subministrant. Nam quod Victorinus quaerit et latius explicat, ne commemoratione quidem mihi dignum videtur. Quaerit enim, quaestio ipsa, de quo agitur, an habeat locum, quod minime oportuit. Ut enim dictum est, locus, de quo nunc agimus, non cuiuslibet rei locus est, sed argumenti; argumentum vero ratio rei dubiae faciens fidem; res vero dubia pars quaestionis. Quod si argumentum quaestio vel pars quaestionis esse non potest; locus vero, de quo agimus, argumenti est locus: non est dubium, quin locus quaestionis esse non possit. Amplius omnis quaestio dubitabilis est, argumentum vero omne quaestionis purgat ambiguum. Non est igitur idem argumentum quod quaestio, sed loci argumentorum sunt loci; non sunt igitur quaestionis. Hoc igitur praemisso intelligamus ipsum, de quo agitur, quemlibet terminum in quaestione propositum, sive praedicatum, sive subiectum: qui, quum per se res sint, ipsi quidem argumentum esse non possunt, habere autem in se quaedam possunt, in quibus argumenta sint collocata, et quae sedes argumentorum esse intelligantur. Quae quidem quum terminis iis, de quibus agitur, inhaerere videantur, nondum tamen sunt argumenta, sed quasi iam argumenta complectentes loci et velut naturali sede condentes. Idem de iis locis, qui extrinsecus assumuntur, dicendum est; ipsi namque positi sunt exterius et quodammodo a propositionum terminis ablegati, et res quaedam sunt, sed intra se argumentorum copiam claudunt: atque, ut brevi sententia colligam, ipsum, de quo agitur, nihil est aliud nisi quilibet in quaestione terminus collocatus. Hi argumenta esse non possunt, neque ab his trahi aliquod argumentum. Quo fit, ut termini ipsi, qui in quaestione sunt positi, nec argumenta nec loci sint, sed tantum res. Rursus ea, quae in iis haerent, de quibus agitur, ipsa quidem res esse manifestum est, sed claudunt in se argumentorum copiam: ut, quum ex his sumi aliquod oporteat argumentum, locorum vice fungantur. Itaque si quis per se ea speculetur, res sunt; si quis ab iis aliquod argumentum quaerat adducere, loci fiunt. Et communiter quidem de principalibus ac maximis locis haec dicta sint. Hi vero sunt, qui in ipsis, de quibus agitur, haerent, vel qui assumuntur extrinsecus. Ut igitur faciat plenam locorum divisionem, quos simpliciter ac maximos posuit locos, eosdem velut in quasdam species resecat, dicens: *In ipso tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota: tum ex iis rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaerimus.* Locorum, qui in ipso sunt, de quo agitur, constituti, quattuor partium facta divisio est. Ii quippe, qui in ipso, de quo agitur, haerent, vel ex toto eo, de quo agitur, termino vel ex partium eius enumeratione vel ex nota vel ex affectis intelliguntur

25. *quodammodo prop. term. alligati* Eins. 37. *Hi vero sunt* om. Eins. 42. *quaeritur* Paris.

exsistere. Id ita esse brevi ratione firmabitur. Necesse est enim quemlibet eorum terminorum, qui in quaestione sunt collocati, et definitiones habere proprias et partes et nomina et ad res alias quadam relatione coniungi ac referri. Ergo ex toto locus qui dicitur, is est, quotiens argumentum ex alicuius definitione termini, qui est in quaestione, tractatur, sive subiecti, sive praedicati; ex partium vero enumeratione, quotiens ab eius termini partibus, qui in quaestione positus est, ducitur argumentum; a nota vero, quotiens ab eiusdem termini vocabulo nascitur argumentum; ab affectis vero, quotiens ab iis, quae ad propositum terminum relatione aliqua reducuntur, argumentatio proficiscitur. Quorum similitudines omnium posterius explicabo, quando ea, quae super his rebus declarandis Cicero posuit, exempla tractavero. Nunc illud est considerandum: ait enim Tullius, ex iis locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso, de quo agitur, haerere, alios extrinsecus assumi. Quod ita dictum videtur, tamquam si diversi sint loci, qui in iis, de quibus agitur, haerent, et ipsum illud, de quo agitur. Nihil enim in se ipso haerere poterat; ac per hoc, quod in aliquo haeret, ab eo, in quo haeret, diversum est. Quod si loci sunt aliqui, qui in iis haereant, de quibus agitur: non est dubium, quin hi loci ab iis, de quibus agitur, sint diversi. Rursus quum dicit, *in ipso*, *tum ex toto*, *tum ex partibus eius*, tamquam non de diversis loquatur, ita ait, in ipso locos esse, tum ex partibus, tum ex toto: quasi vero aliud sit ipsum, quam totum, aut aliud ipsum, quam omnes undique eius partes. Unaquaeque enim res idem est, quod totum. Idem namque est Roma, quod tota civitas. Rursus idem est una quaeque res, quod eius singulae partes in unum reductae; velut idem est homo, quod caput, thorax, venter ac pedes ceteraeque in unum partes coniunctae atque copulatae. Quomodo igitur tamquam de diversis primum locutus est, quum locos haerere in iis terminis, de quibus agitur, dixit; post autem velut de eisdem loquitur, quum in ipso locos, tum ex toto, tum ex partibus, esse proponat? Nihil enim differt dicere *in ipso*, *tum ex toto*, *tum ex partibus*, quam si ita dixisset, *in ipso*, *tum ex ipso*. Nam si idem est ipsum, quod totum ac partes, idem est dicere, *in ipso haerere locum ex toto aut ex partibus*, quod, *in ipso haerere locum*, *qui est ex ipso:* quod ne intelligi quidem potest, quemadmodum in ipso haerere possit, quod ipsum est, quum nihil sibi haereat, ut superius expedivi. Sed quemadmodum paullo ante exposui, una quaeque res quum et definitionem habeat et partes, si pernoscamus, quae sit definitionis vis et quae partium, cunctus ambiguitatis nodus absolvitur. Est enim definitio coactae in se atque complicatae rei explicatio, velut quum dicimus, hominem esse animal rationale, mortale. Nam id, quod nomen breviter atque anguste designabat, id explicavit ac protulit et per substantiales quodammodo partes definitio patefecit. Alium igitur necesse est esse intellectum rei, quae complicata est, in eo, quod sibimet

3. *quasdam* Eins. 22. *tum ex partibus*, *tum ex toto*] Eins. — *tum ex toto*, *tum ex partibus*, *tum ex nota* Edd. 26. Malim *redactae*.

coacta atque in unum redacta est, alium eiusdem rei explicatae atque dissertae, in eo, quod expedita atque diffusa est. Nam etsi idem definitio quod nomen significat, illud tamen ipsum, quod nomen anguste confuseque designat, apertius definitio disserit ac patefacit. Recte igitur aliud quiddam est ipsum, aliud eius definitio, etiam si unum idemque est utriusque subiectum. Ut enim dictum est, ipsum singulum est, definitio ipsius singuli per partes distributio atque enumeratio. Partes autem nunc substantiales dico, non quae magnitudinem iungant, sed quae proprietatem rationemque substantiae. Sed quod in definitione dictum est secundum eas partes, quae substantiam iungunt, id in partibus intelligendum est, quae magnitudinem copulant, velut domus, quae fundamento, parietibus tectoque coniungitur. Nam quum ea nihil sit aliud nisi quod partibus copulatur, ipsa tamen una quaedam est atque coniuncta, partitio vero eius per quaedam membra distributio est; atque ideo, licet unum sit, quod ipsum est et quod sunt partes undique confluentes, non tamen eundem necesse est habere intellectum, quum ipsum integrum consideratur et quum in partes ipsas, quibus iunctum est, distribuitur. Ex nota vero locus apertissime ab eo termino diversus est, qui in quaestione est constitutus. Quis enim dicat id esse cuiuslibet rei vocabulum, quod res ipsa est, quam designat? Ea vero, quae ad id, de quo agitur, affecta sunt, etsi extra posita videntur, terminum tamen in quaestione propositum velut e regione respiciunt, quae in multas secari necesse est partes. Omnis enim res id, quod est, unum est, multa vero sibimet retinet adiuncta, quae hoc ab iis, quae omnino extrinsecus sunt, differre intelliguntur, quod ea, quae affecta sunt, in relatione sunt posita, (ut post et ipsarum propositio et exemplorum ratio monstrabit) ea vero, quae sunt extrinsecus, in nulla relatione sunt constituta. Atque ideo haec extrinsecus solum, illa vero affecta sunt nuncupata; habet enim aliquam quodammodo cognationem ad id, ad quod reducitur, id, quod refertur ad aliquid. Sed omnes fere hos locos, quos nunc simplices atque indivisos ponit, posteriore tractatu dividit, ut nunc quoque eos locos, qui in ipso sunt, distribuit, quum alios ex toto fieri proponit, alios ex partibus, alios ex nota, alios ex affectis, affectaque ipsa suis partibus secat. Extrinsecus vero locum in testimonio positum esse confirmat, testimonii vero vim in auctoritate constituit, auctoritatem vero deducit in proprias partes; sed haec in posteriore tractatu. Nunc vero eos simplices atque indivisos proponit, et veluti simplicibus subdit exempla. Restat autem nunc, quod videtur esse quaerendum, an ii loci, qui in locos alios dividuntur, eorum, quos intra se continent, locorum loci esse possint, ut eorum, qui sunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis, is unus quidam quasi locus sit, qui est in ipso. Nihil quidem prorsus officeret locorum locos putare; fieri enim potest, ut locus amplior intra semet angustiores contineat locos, velut provinciae

---

22. *propositum*] Eins. Ven. Bass. — *propositionum situm* Paris. 38. *indivisos proponit*] Eins. — *indiv. locos prop.* Edd. 44. *provinciae*] Eins. — *in provincia* Edd. Prae plurali *provinciae* malim sing. *provincia*.

civitates; sed nunc similitudo non convenit. Locus enim est, ex quo ducitur, id est, in quo argumentum est positum. Quod si loci locus esse posset et is, qui est in ipso, de quo agitur, eos, qui sunt ex toto vel ex partibus vel ex nota vel ex affectis, velut quidam locus includeret: non essent ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis loci, sed argumenta; quoniam in eo haererent loco, qui in eo ipso, de quo agitur, termino esse praedictus est. Non igitur locus esse poterit loci, sed velut genera quaedam in species, ita nunc fit divisio locorum; nec hoc superius dictis videatur esse contrarium, quum et maximas propositiones et earum differentias continentes communi nomine appellavimus locos. Nam maximae propositiones licet eo ipso, quod maximae sint, includant ceteras et vocentur loci, tamen, quia sunt notissimae, possunt rebus dubiis esse argumento. Iure igitur earum differentiae loci nominantur, quod in locorum speciebus aliter sese habet, quae prorsus argumenta esse non possunt: nam in ipso locus velut in species quasdam dividitur in eos, qui sunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Unus quisque enim horum locorum primi loci integrum videtur ferre vocabulum: nam ut hominem animal dicimus, itemque equum atque bovem animalia nuncupamus, sic is locus, qui ex toto est, in ipso esse dicitur, itemque, qui ex partibus ac nota atque ex affectis, in ipso sunt. Sed ex his argumenta quidem duci possibile est, ipsa vero argumenta ut sint, fieri nequit.

(Cap. 2. §. 9.) *Sed ad id totum — — iuris civilis scientia.*

Post locorum bifariam divisionem, in ipso scilicet, de quo agitur, et extrinsecus positorum, partitus est eum locum, qui est in ipso, in quattuor membra, id est, a toto, a partium enumeratione, a nota, ab affectis. Nunc igitur ante quam dividat eum locum, quem ab affectis esse proposuit, superiorum trium, quos in primo interim tractatu minime divisurus est, sed individuos relicturus, exempla supponit. Hi vero sunt a toto, a partibus, a nota. Ac de eo quidem loco, qui est a toto, ita disputat: Tunc, inquit, ducimus a toto locum argumenti, quando totum illud, quod in quaestione positum est, definitione complectimur, quae definitio rei dubiae, de qua agitur, facit fidem. Sed definitio omnis, ut superius quoque dictum est, id, quod nomine involute designatur, evolvit et explicat; atque ideo non terminus, qui in definitione ponitur, sed quae in ipso sunt, possunt argumentis praestare materiam. Sunt autem in uno quoque propriae definitiones. Definitio enim est oratio substantiam unius cuiusque significans: quod si ab una quaque re propria substantia non recedit, ne definitio quidem recedit. Est ergo definitio in ipso termino, de quo agitur: quae definitio totum terminum necesse est comprehendat; neque enim partem substantiae, sed totius termini substantiam monstrat. Sed quoniam ex ea definitione fides fit rei dubiae, trahitur ex definitione argumentum: quae definitio in ipso termino est, de quo agitur, et eius termini totum est. Itaque argumentum, quod a definitione ducitur, ab eo ducitur loco, qui in ipso termino est, qui in quaestione est collocatus. Sed quoniam multi loci sunt in ipso, hic locus a toto est. Definitio enim totum terminum comprehendit, atque id, quod involute nomine

significabatur, evolvit atque aperit. *Eius argumenti talis est formula: Ius civile est aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: eius autem aequitatis utilis est cognitio: utilis est ergo iuris civilis scientia.* Est enim quaestio, an iuris civilis scientia sit utilis. Hic igitur ius civile supponitur, utilis scientia praedicatur. Quaeritur ergo, an id, quod praedicatur, vere possit adhaerere subiecto. Ipsum igitur ius civile non potero ad argumentum vocare; de eo enim quaestio constituta est. Respicio igitur, quid ei sit insitum. Video, quod omnis definitio ab eo non seiungitur, cuius est definitio, ne a iure civili quidem propriam definitionem posse seiungi. Definio igitur ius civile, ac dico: *Ius civile est aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas.* Post haec considero, num haec definitio reliquo termino, utili scientiae, possit esse coniuncta, id est, an aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas, utilis scientia sit. Video esse utilem scientiam dictae superius aequitatis. Concludo itaque: Igitur iuris civilis scientia utilis est. Hoc igitur argumentum est ex eo loco, qui est in ipso, hoc est, in iure civili: qui terminus in quaestione est constitutus, hic vocatur a definitione; quae definitio quoniam totum est, argumentum est a toto. Omnis autem locus a toto in ipso est. Nec nos ulla dubitatio perturbet, quod ius civile et rursus scientia utilis quaedam sunt orationes, quas ut terminos collocamus. Non enim omnis terminus simplici orationis parte profertur, sed aliquotiens orationes integrae in terminis constituuntur. In hac igitur argumentatione maxima propositio ac per se nota est ea, per quam intelligimus omnia, quae definitioni alicuius coniunguntur, ipsa quoque illis, quorum definitio est, ex necessitate copulari. Sequitur enim, quum definitio iuris civilis utili scientiae possit adiungi, tum quoque iuri civili utilem scientiam posse copulari. Est igitur hoc argumentum tractum ab eo loco, qui est in ipso: omnis enim definitio in eo termino est, quem definit. Eorum autem locorum, qui in ipso sunt, est a toto: omnis enim definitio totum monstrat atque aperit. Maxima propositio: Quibus aliquorum definitio iungitur, eisdem necessario ea, quae definiuntur, aptantur.

(Cap. 2. §. 10.) *Tum partium — — — igitur liber.*

Sit quaestio, utrum aliquis, quem servum esse constiterit, sit liber. Faciendi liberi tres sunt partes: una quidem, ut censu liber sit; censebantur enim antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente vel iubente domino nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat et servitutis vinculo solvebatur, atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre et effici civem Romanum. Erat etiam pars altera adipiscendae libertatis, quae vindicta vocabatur. Vindicta vero est virgula quaedam, quam lictor manumittendi servi capiti imponens eundem servum in libertatem vin-

8. *potero - - vocare*] Eins. Ven. Bass. — *potest - - vocari* Paris. 22. *quod - - sunt*] *quamvis - - sint* Eins. 24. *orationes* om. Eins. 31. *eodem autem loco, qui in ipso est, et a toto* Eins. Bass.

dicabat, dicens quaedam verba sollemnia, atque ideo illa virgula vindicta vocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi est, si quis suprema voluntate in testamenti serie servum suum liberum scripserit. Quae quoniam partes sunt liberi faciendi, si quis aliquem, quem servum fuisse constiterit, monstrare velit non esse liberum factum, dicet: *Si neque censu neque vindicta neque testamento liber factus est, non est liber. At nulla earum parte liber factus est. Non est igitur liber.* Si enim omnes partes a qualibet illa re abiunxeris, totum necessario separasti. Nam quum totum in suis partibus constet, si quid nulla cuiuslibet parte coniungitur, a toto etiam segregatur. Partes autem duobus dicimus modis, vel species, vel membra. Species est, quae nomen totius integrum capit, velut homo atque equus animalis; utraque enim per se integro nomine animalia nuncupantur. Est enim homo animal et rursus equus animal. Item membra sunt, quae, quum totum efficiant, coniuncta totius capiunt nomen, singula vero nullo modo: ut, quum fundamentum, parietes et tecta domus membra sint, simul omnia domus dicuntur, fundamenta vero sola domus vocabulo minime nuncupantur neque parietes neque tecta. In iis igitur, quae species sunt, quoniam nomen totius integrum capiunt, nisi singulatim omnes partes ab eo, de quo dubitatur, abiunxeris, non possis totum abesse monstrare. Dictum est enim unam quamque partem totius vocabulum integrum capere; ut, quoniam faciendi liberi tres sunt species, censu, vindicta, testamento, si quaslibet duas removeris, una tamen permanserit, liberum necessario confitebere. Sive enim censu tantum, sive vindicta, sive testamento sit liber factus, liberum esse constat. Ergo in his nisi omnes species removeris, non potes destruere, quod in quaestione propositum est. At si affirmare velis atque astruere, sufficit tantum unam quamlibet speciem demonstrare: ut, si velis ostendere liberum, sat est, ut monstres aut vindicta aut censu testamentove liberum factum. Quod si destruere velis, non sufficit ostendere aut censu aut vindicta aut testamento liberum non esse factum, sed nullo modo eorum modorum ad libertatem venisse. Itaque in iis partibus, quae species sunt, si destruere velis, cunctis utendum est, si astruere, una sufficiet. At vero eae partes, quae sunt membra, contrario modo sunt: si destruere velis, sat erit unam seiungas, si astruere, cuncta adesse necessario comprobabis. Nam si velis ostendere non esse domum, sufficit, ut aut fundamenta non esse dicas aut parietes aut tecta: nam quidquid horum defuerit, domus non potest appellari. At si velis ostendere domum esse, nisi cuncta in unum coniunxeris, id, quod proponis, non valebis astruere. Omnes vero hi loci a partium enumeratione ducuntur, quia in iis partibus, quae species sunt, cunctae partes enumerantur, ut destruas; in iis vero, quae membra sunt, cunctae partes enumerantur, ut astruas. Quaestio est igitur in proposito Ciceronis exemplo argumenti a par-

---

1. *servum libertati vind.* Eins. a sec. m. 23. *censu*, *vind.*, *testamento*] Eins. — *censu*, *vind.*, *testamentove* Paris. — *census*, *vind.*, *testamentum* Ven. Bass. 26. *removeris*] Eins. — *semoveris* Edd.

tium enumeratione deducti: *An is, quem servum fuisse constitit, liber sit. Is, quem servum fuisse constitit*, subiectus est terminus, *liber* vero praedicatus. Neutrum igitur eorum terminum ad argumentum ducere poterimus: de quibus enim dubitatur, ipsa fidem dubitationi facere non possunt. Video igitur, quid in altero eorum sit. Quoniam vero partes omnes in eo sunt, cuius partes sunt, quoniamque libertas data habet proprias partes, sumo eas atque dinumero et requiro, an ulla earum partium videatur inesse subiecto; sed nulla inest. Concludam igitur non esse liberum. Unde manifestius demonstratur, non solum ab eo termino, qui subiectus est, argumenta sumi posse, verum etiam ab eo, qui est praedicatus. Nam prius exemplum, quo demonstrabat, iuris civilis scientiam esse utilem, ius civile, quod subiectum erat, definivit, ductumque inde argumentum rei dubiae fecit fidem. Hic vero libertatis partes enumerantur, qui est terminus praedicatus. Est igitur, ut dictum est, quaestio: *An, quem servum esse constiterit, liber sit*. Terminus is quidem, *quem servum esse constiterit*, subiectus est, praedicatus vero *liber*. In ipso, id est, in praedicato, partes sunt, quae enumerantur; a qua enumeratione dum trahitur argumentum, fit argumentum in ipso ex partium enumeratione. Maxima propositio: Cuius partium nihil rei propositae copulatum est, ei ne totum quidem esse potest coniunctum. Hic videtur esse dubitandum, num locus a toto atque a partibus idem sit, quum omnes partes totum faciant, si coniungantur. Sed respondebitur: Quum fit argumentum ab enumeratione partium, totum dividitur, non coniungitur: dividendo enim argumentatio procedit. Nam quisquis partem cuiuslibet sumpserit, eo ipso, quo partem sumpsit, rem videtur esse partitus; qui vero rem dividit, dissipat potius quam conficit totum. Sed restare adhuc ambiguitas potest. Nam definitio quoque involutam nominis significationem explicat per quandam substantialium partium enumerationem. Enumeratio vero partium quaedam ipsarum a se partium dissipatio est. Sed aliud est rei partes enumerare, aliud definitionis. Nam rei partes ea re, cuius partes sunt, semper minores sunt, ut caput vel thorax vel cetera membra toto homine: partes vero definitionis tota re, quae definitur, si substantiales sunt, probantur esse maiores: ut *animal* homine maius est; itemque *rationale*, *mortale* eundem hominem velut maiora continent, et sunt singulae partes definitionis eius, quae est: *animal rationale, mortale*. Partitio igitur sumit partes re, quam partitur, semper minores. Quae vero sumit definitio, universalia sunt per se totaque et continentia definiti, quamvis posita in definitione partes fiant, ut in iis, quae superius exempla proposui, facile intelligi potest. Unde manifestum est locum a toto, qui definitionis est, et locum a partium enumeratione esse diversos.

(Cap. 2. §. 10.) *Tum notatio — — aere dando.*

Tertius eorum, qui in ipso sunt, locus a notatione est constitutus. Notatio vero est quaedam nominis interpretatio; nomen vero

4. *ipsa*] Eins. — *ipsi* Edd. 7. *data* om. Eins. 25. *sumpsit*] Eins. — *sumpserit* Edd. 37. *re*] Sic scripsi. Legebatur *rei*.

semper in ipso est. Ut enim definitio id, quod in nomine involute declaratur, expedit atque diffundit: ita etiam nomen id, quod a definitione evolute dicitur, involute confuseque designat. Quod si definitio in ipso est, nomen quoque in ipso esse, de quo agitur, non potest dubitari. Ex notatione autem locus vocatus est, quia nomen omnem rem notat atque significat. Vindex igitur est, qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc procuratores vocamus. Lex igitur Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse iubet. Quaeritur, utrum, quum lex Aelia Sentia vindicem velit esse assiduo assiduum, locupletem velit locupleti. Hic igitur subiectus quidem terminus est *lex Aelia Sentia vindicem volens assiduo assiduum*, praedicatus vero *locupletem locupleti*. Ipsos igitur terminos non potero ad fidem quaestionis adducere: de ipsis enim, de quibus ambigitur, nulla effici fides potest. Quaero igitur, quid in ipsorum altero sit; ac video unum eorum terminum esse legem Aeliam Sentiam, quae assiduum assiduo vindicem esse decernat, id est, subiectum. Huius orationis interpretor partem, quae est *assiduus*. Quid enim est assiduus aliud nisi assem dans? assem vero dare nisi locuples non potest: assiduus igitur locuples est. Quum igitur lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse constituat, locupletem iubet locupleti; assiduus quippe est locuples a dando aere nominatus. Argumentum igitur hoc tractum est ex eo loco, qui est in ipso, id est, a nominis interpretatione. Nomen enim in ipso illo est, cuius nomen est; cuius interpretatio notatio nuncupatur. Sed ab huius interpretatione factum est argumentum. Igitur hoc argumentum ex eo loco est, qui est in ipso, id est, a nomine, et eorum, qui in ipso sunt, annotatione, id est, a nominis interpretatione. Maxima propositio est: Interpretationem nominis idem valere quod nomen. Sed paullo confusius a Cicerone dicta argumentatio maximum praestat errorem. Ita enim dici oportuit: *Assiduus est, qui assem dat; qui vero assem dat, locuples est: assiduus igitur locuples est. Lex autem Aelia Sentia assiduum assiduo esse vindicem iubet: locupletem igitur locupleti vindicem esse praescripsit.* Quod si ita dictum esset, apertior argumentatio fuisset. Nunc vero ita dixit: *Quum lex Aelia Sentia assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti;* et cetera subiunxit, ut ostenderetur locuples esse assiduus. Hoc autem tantundem valet, quod ait, *legem Aeliam Sentiam, assiduo assiduum vindicem quum iuberet esse, locupletem locupleti esse praecepisse*, tamquam si diceret, *Qui assiduus est, locuples est.* Nisi enim is, qui assiduus est, locuples sit, non consequitur, ut, quum lex Aelia Sentia assiduum assiduo vindicem esse iusserit, locupletem iusserit locupleti. Et argumenti conclusionem priorem posuit, subiecit vero probationem. Conclusio namque est: *Quum lex Aelia Sentia assiduum assiduo vindicem velit esse, locupletem iubet locupleti:* atque hanc praemisit. Probatio vero est: *assiduum esse locupletem ab aere dando nominatum;* et hanc

8. *Sentia*] Eins. — *Sanctia* Edd. ubique. 26. *annotatione*] Eins. — *a notatione* Ven. Bas. — *notatione* Paris.

intulit conclusioni. Restat is locus eorum, qui in ipso sunt, qui ducitur ab affectis. Cuius expositionem, quoniam varia est multiplexque divisio, differamus ac primi voluminis terminum hucusque sistamus.

BOETHII
COMMENTARIORUM
LIBER SECUNDUS.

In tam difficillimi operis cursu non sum nescius, mi Patrici, quin labor hic noster, quem te adhortante suscepimus, dum iudicio multitudinis imperitae aut elevatur aut premitur, facile variis reprehensionibus mordeatur. Nam et illi, quibus hoc totum disserendi displicet genus, velut supervacaneum studium familiari pravis mentibus cavillatione despiciunt, et qui maximum huius scientiae fructum putant, sua ceteros segnitie metientes tanto nos operi pares esse non aestimant: quorum quidem priores, si non invidia laboris alieni aestimationem premunt, sed reprehensionis iudicio quoque consentiunt, nullo modo ferendos esse puto; multoque in me libentius detorserim pravae opinionis invidiam, ac nostris eos diffidere viribus facillime patiar potius quam tantae disciplinae calcare rationem. Sed proh divinam atque humanam fidem, quae est haec hominum pravitas, quae tantae est imprudentiae caecitas, ut paene sua sese ipsi confessione condemnent? Nullus est enim, qui se videri nolit peritissimum disserendi; quin etiam obiectare ipsi aliquid et resolvere obiecta conantur, et si facile id factu esset, cuncti ad scientiam logicae disciplinae velut ad communia quaedam sapientiae lucra concurrerent. Iam vero quid absurdius fingi potest, quam quod probabilibus (ut ipsi existimant) argumentis inutile studium dialecticae nituntur astruere? Quid enim convenit disserendi artem disserendo pervertere, ut cuius affectes opinionem, eiusdem despicias veritatem? Sed ut cantor ille discipulum sibi ac Musis canere iubebat, ita et ego quoque mihi ac tibi, non Musae, sed tamquam Musarum praesidi cecinerim, atque id, quod multo labore studioque collegi, non rhetorica tantum facultate, verum dialectica etiam subtilitate depromam. Quae vero sequuntur, huiusmodi sunt:

(Cap. 3. §. 11.) *Ducuntur etiam — — — aut minorum.*

Postquam locos eos, ex quibus argumenta ducuntur, gemina partitione distribuit, alios in ipso, de quo agitur, haerere dicendo, alios

---

15. *reprehensionis iudicio quoque* Eins. Ven. — *reprehensioni iudicioque* Paris. Bass. — Malim *reprehensioni iudicio quoque*, ut *iudicio* sit ablativus.

extrinsecus assumi, eumque locum, qui in ipso, de quo agitur, haeret, in quattuor species secuit, id est, a toto, a partibus, a nota, ab affectis: superioribus quidem tribus exempla subiecit, quae nos primo volumine quantum diligenter fieri potuit explicavimus. Restat is locus, quem posuit quartum, id est, ab affectis. Huius quum multae sint species, integri atque indivisi proponi non potuit exemplum. Nam quorum facienda partitio est, melius per singula membra dispositis aperiuntur exemplis. Hunc igitur locum dividit hoc modo: Locus, qui ex affectis est, partim ex coniugatis, partim ex genere, partim ex forma descendit, ex similitudine etiam vel ex differentia vel ex contrario, nec non ex coniunctis, ex antecedentibus et consequentibus et repugnantibus, ex causis etiam atque ex effectis causarum et ex comparatione maiorum aut parium vel minorum; quae omnia Tullius paullo post convenientibus rerum similitudinibus illustrat. Nunc illud nobis dicendum est, quae sit affectorum natura et quid habeant proprietatis. Sunt enim affecta, quae quodammodo ad aliquid referri possunt, ad id, ad quod referuntur. Omnia vero, quae se aliqua relatione respiciunt, aut amica inter se aut dissidentia conferuntur. Si amica: vel substantialiter, ut genus, forma, antecedentia, consequentia, causa, effectus; vel in qualitate, ut coniugatum, simile, coniunctum; vel in quantitate, ut paria. Quae vero sibi dissidentia conferuntur, partim a se differentia sunt tantum, partim adversa: sed adversa partim in qualitate, ut contraria vel repugnantia, partim in quantitate, ut maius aut minus. Quae quum ita sint, manifestum est, et amica sibi cognationis relatione coniungi, et dissidentia hoc ipso, quod sibi adversa sint, ad se invicem comparari. Nam quae amica sunt, amicis amica sunt, et dissidentia a dissidentibus dissident. Ita igitur et genus formae genus est, et forma generis forma, et antecedentia consequentium, et consequentia antecedentium, et causae effectuum causae, et effectus causarum effectus, et coniugata coniugatis coniugata sunt, et simile simili simile, et coniunctum coniuncto coniunctum, et paria paribus paria, et differentia differentibus differentia, et maiora minoribus maiora, et minora maioribus minora sunt, et contraria contrariis contraria, et repugnantia repugnantibus repugnantia sunt. Affecta igitur sunt, quae, quum a se invicem diversa sint, ad se invicem tamen referuntur. Sed quo ordine Tullius superius descripsit locos, nos definitiones omnibus apponemus. Eorum igitur, quae ad se invicem affecta dicuntur, in M. Tullii disputatione prima sunt coniugata. Scilicet coniugata voco, quaecunque ab uno nomine varia prolatione flectuntur, ut a *iustitia: iustus*, *iustum*, *iuste*. Haec inter se cumque ipsa iustitia, unde eorum vocabulum fluxit, coniugata dicuntur. Genus vero, quod de multis specie differentibus in eo, quod quid est, praedicatur; velut *animal* dicitur de *homine* atque *equo*, quae specie differunt, et in eo, quod quid est, praedicatur: interrogantibus enim nobis, quid sit *homo* vel

---

29. *causae eff. causae*] Eins. — *causa eff. causa* Edd. 32. *minoribus - - maioribus*] Eins. Bass. — *maioribus - - minoribus* Ven. Paris. 38. *sunt coniugata, sed coni. voco* Eins. Ven. — *sunt, coni. voco*, omissis intermediis, Bass.

equus, respondetur: *animal:* quod genus licet necesse sit ab eo esse diversum, cuius genus est, cognatum est ei tamen, quia ad id substantiae relatione coniungitur. Species etiam est, de qua genus superius praedicatur, quam Cicero formam vocavit, velut *homo animalis.* Similitudo est unitas qualitatis. Nam duo, quae sibi sunt similia, eandem necesse est habere qualitatem, et quoniam ipsum sibi simile esse nihil potest, alii necesse est simile consideretur. Sed aliud esse non poterit, nisi fuerit in aliqua parte diversum. Ergo similia a se in alia quidem re diversa sunt, in alia vero congruunt. In ea vero re, qua secundum qualitatem congruunt, in ea esse similia intelliguntur: quae ad se similitudinis ipsius copulatione referuntur. Differentia est, qua unum quodque differt ab alio, ut homo ab equo rationabilitatis differentia discrepat. Haec igitur praedicatione quidem propriae naturae ad ea refertur, quorum est differentia, ut rationabilitas ad hominem; dissimilitudinis vero ratione ad ea, a quibus discrepat id, cuius est differentia, ut rationabilitas ad bovem. Contraria vero sunt, quae in eodem posita genere longissime a se discrepant, ut album atque nigrum, quae licet in uno qualitatis genere ponantur, a se tamen quam longissime recedunt; ea quoque ad se referri nullus ignorat. Aliud est enim, quod sunt, aliud, quod contraria sunt. Quod enim nigrum est, quale est; quod vero contrarium est, ab albo plurimum discrepans est. Coniuncta vero sunt, quae uni cuique rei finitimam naturam tenent, velut timori pallor adiunctus est. Haec talia sunt, ut saepius quidem adiunctis sibi cohaerescant, neque tamen ex necessitate iis, quibus vicina sunt, adesse cogantur. Nam saepe timori pallor assistit, non tamen semper; veluti quum dissimulatione premitur metus. Atque ideo veri similia ex adiunctis argumenta nascuntur. Nam quaecunque coniuncta sunt, ea iis, quibus adhaerent, indicio esse solent. Sed de his in posteriore disputatione diligentius disseram. Antecedentia vero sunt, quibus positis aliud necesse est consequatur, ut, quia bellum est, esse inimicitias. Haec ordinis necessitatem tenent. Consequentia enim ab antecedentibus separari non queunt; consequens vero est, quidquid id, quod antecedit, insequitur, ut inimicitiae bellum consequuntur. Nam si bellum est, inimicitias esse necesse est; habetque locus hic illud notabile et spectandum, quod saepe, quae naturaliter priora sunt, tamen ipsa sunt consequentia; saepe et naturaliter antecedunt et in propositione priora sunt. Namque inimicitiae prius exsistere quam bella solent. Sed non possumus proponere inimicitias, ut bellum sequatur. Non enim possumus vere dicere: *Si inimicitiae sunt, bellum est;* sed proponimus bellum, et inimicitiae, quae natura priores sunt, subsequuntur, ita: *Si bellum est, inimicitiae sunt.* Nunc igitur inimicitiae, quae naturaliter bellum praecedunt, eaedem bella in propositione comitantur. At si dicam: *Si superbus est, odiosus est*; superbia et naturaliter et in propositione odium praecedit; prius enim superbia consuevit exsistere, post vero atque ex eadem superbia veniens odium sequi. Nec interest, utrum naturaliter quaelibet res antecedat aliquam, an vero consequatur, dum id in propositione annotemus, eam

7. *alii*] Paris. — *aliud* ceteri. 47. *aliquam*] Paris. — *aliquando* ceteri.

esse rem antecedentem, quae, sive naturaliter prior sit, sive posterior, alteram tamen rem secum necessario trahat. Repugnantia vero intelliguntur, quotiens id, quod alicui contrariorum naturaliter iunctum est, reliquo contrario comparatur: ut, quoniam amicitiae atque inimicitiae contraria sunt, inimicitias vero consequitur nocendi voluntas, amicitia et nocendi voluntas repugnantia sunt. Haec quoque ad se contrarietatis similitudine referuntur. Causa est, qua praecedente aliud efficitur: ut causa diei est solis ortus. Effectum est, quod praecedens causa perficit: ut dies, quem solis ortus emittit. Maiorum vero comparatio est, quotiens ei, quod minus est, id, quod maius est, comparatur; ut: *Si nemo innocens pelli in exilium debet, multo magis ne Tullius quidem, qui non innocens solum, verum etiam patriae fuit liberator.* Plus enim est *patriae esse liberatorem* quam *innocentem.* Parium vero, quotiens inter se paria comparantur; ut: *Si hic civis innocens pelli in exsilium non debet, quia innocens est, nec ille quidem, qui est innocens, carere patria iuste potest.* Minorum vero, quotiens minora maioribus conferuntur; ut: *Si Ciceronem liberatorem patriae praemio nemo dignum putavit, nemo eum putet praemio dignum, qui, quum tantum innocens fuerit, nulla in rem publicam contulit merita.* Haec itaque omnia cognata sibi esse et ad se referri invicem et se velut e regione respicere nullus ignorat. Nam ut de coniugatis primum loquamur, et iustitia ad id, quod iustum, vel id, quod iuste fieri potest, spectat, et eum, qui iustus est, perficit. Cetera quoque habent ad se non modo vocabuli cognationem, verum etiam cuiusdam naturae congruentiam, ita tamen, ut a se diversa sint. Neque enim idem est iustitia, quod iustus. Omne enim, quidquid ab aliquo inflectitur, ab eo, a quo inflectitur, est diversum, eidemque cognatum, a quo etiam probatur inflexum. Genus etiam cognatum esse ei, cuius genus est, id est, speciei, quam Cicero formam vocavit, dubium non est. Genus enim speciei genus est et species generis species: itaque ad se invicem referuntur, licet idem genus ac species non sint. Illud sane videndum est, quoniam, quas nos species nuncupamus, eas Cicero formas vocat. Cui quidem, dum quod dicit intelligam, concedam libenter quibus voluerit uti nominibus; mihi vero non idem concedi potest. Nam qui explanationis lucem professus est, in iis verbis debet, quae sunt in usu posita, versari. Id autem, quod supponitur generi, ut species quam forma potius nuncupetur, usus obtinuit. Iam vero simile nisi simili simile esse non potest, et quod differt nisi a dissimili differre non potest. Contraria etiam contrariis intelliguntur esse contraria, coniuncta etiam coniunctis adhaerescunt. Et quae sunt antecedentia, aliquid, quod potest consequi, antecedunt. Id etiam, quod est consequens, illud, quod antecessit, insequitur. Omne etiam repugnans repugnanti sibimet intelligitur inimicum. Causa etiam effectus sui causa est: quod enim quaevis causa efficit, eius rei, quam efficit, causa est. Effectus quoque causae alicuius effectus est. Comparatio vero maiorum minora respicit, minorum vero maiora, parium paria. Atque in omnibus ea natura esse deprehenditur, ut, quum per se res quaedam sint diversae ab iis, ad quae referuntur, affecta tamen

esse, dum comparantur, appareant: diversa vero esse ab iis, ad quae referantur, illa res approbat, quoniam nihil ad se ipsum referri potest. Quae quum ita sint, iure affecta sunt nuncupata. Quae omnia eius loci, qui ex affectis dicitur, species vel formae sunt, ipso etiam testante Cicerone, qui ait: *Sed hoc genus in plures partes distributum est.* Quum enim genus dixit, quas scidit a genere species esse signavit. Praeterea omnia haec et nomen generis suscipiunt et definitionem. Affecta enim sunt ad aliquid, quae ad id, ad quod affecta sunt, referri queunt; coniugata vero et genus et forma et cetera ad ea semper, ad quae sunt affecta, referuntur. Sed, ut in superioribus locis dictum est, qui in ipso, de quo agitur, haerebant, id est, ex toto, ex partibus, ex nota, ut ex toto eo intelligeretur termino, qui fuisset in quaestione propositus, itemque ex eius partibus atque ex eius nota: eodem modo etiam in iis, quae affecta sunt, dicemus, ad eum terminum affecta considerari, qui subiecti vel praedicati loco positus continet quaestionem. Superest nunc illud dicere, cur, quae affecta sunt, in ipso, de quo agitur, esse dicantur. Etenim in ipso, de quo agitur, termino, quattuor locos esse signavit, id est, ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Quorum tria quidem superiora manifestum est in eo haerere, de quo agitur, termino. Definitio enim cuiuslibet rei, quod totum est, in illo ipso est, quod definit. Partes etiam in ipso illo sunt, quod collectione coniungunt. Nota etiam in illo est, quod appellatione signat. Affecta vero extrinsecus posita videntur, quippe quae referuntur ad id, ad quod affecta sunt: quae non referrentur, nisi extrinsecus posita intelligerentur. Cur igitur ea etiam, quae affecta sunt ad id, de quo agitur, inter eos numeravit locos, qui ipsi, de quo quaeritur, termino cohaerent, dicendum est: quoniam id, quod adhaerere dicitur, non idem est ei, cui adhaerere praedicatur. Quae quum diversa sint, cognatione tamen quadam intelliguntur esse coniuncta; veluti non idem est definitio, quod ipsa res, quae definitione describitur. Si enim definitio clarius efficit id, quod definit, nihil vero ipsum sese clarius quam est efficere potest, manifestum est id, quod definitur, a definitione esse diversum. Sed idcirco haerere definitionem in eo, quod definitur, dicimus, quod est ei cognata atque coniuncta: quippe quae, dum eius proprietatem significat, ab eius substantia non recedit. Partes etiam ac notae diversa sunt ab eo, quod vel copulant vel designant. Sed quia illae propositum terminum iungunt, illae signant, habentes aliquam cum proposito termino cognationem, in ipso, de quo agitur, haerere perhibentur. Ita etiam in affectis, licet extrinsecus sint: neque enim [idem] sunt, quod ea sunt, ad quae intelliguntur affecta: necessario tamen, quia aliquam cognationem cum his habere considerantur, in ipsis haerere dicuntur, ad quae affecta sunt. Qui vero eorum naturalis ordo sit vel quae differentia, vel quae sit alia locorum partitio, licet in Topicis differentiis opportunius expediendum sit, tamen, quum exempla Ciceronis, quae in his explicandis attulit, exposuero, subiungam.

---

6. *scidit*] Eins. — *scindit* Edd. 40. *idem* om. Eins. Ven. Paris.

(Cap. 3. §. 12.) *Coniugata dicuntur — — est compascere.*

Definitio coniugatorum a Cicerone prolata talis est: *Coniugata dicuntur, quae sunt ex verbis generis eiusdem*, id est, quae ab uno verbo variis inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere verba sunt *iustitia*, *iustus*, *iuste*, *iustum* et quaecunque alia in diversas possunt vocabulorum species inflecti. Quaecunque enim ab uno quolibet orta varie commutantur, haec a Graecis quidem *σύζυγα* dicuntur, apud Latinos vero coniugata. Nam quod Graeci *συζυγίαν* dicunt, nos coniugationem appellamus. Haec autem sunt, ut *sapiens*, *sapienter*, *sapientia* et quaecunque in varias partes orationis variasque inflexiones ab uno quodam ducta cernuntur. Ex coniugatis igitur argumenti nascentis hoc exemplum est: Sit enim dubitabile, an in aliquo agro mihi atque vicino simul pascere liceat pecus; id autem est, an ius sit compascere. Subiectum igitur est *ager*, *compascere* vero praedicatum. Faciemus igitur argumentum hoc modo: *Hic, de quo quaeritur, ager compascuus est; in compascuo autem licet compascere: in hoc igitur agro licet compascere.* Hic igitur compascendi iuris argumentum ex compascuo sumptum est, ex coniugato videlicet. *Compascere* enim et *compascuum* coniugata sunt. Sumptum vero est argumentum, ius esse compascere, quoniam sit ager compascuus; sed coniugatum est compascuum ei, quod est compascere. A coniugatis igitur sumptum est argumentum: quod coniugatum in ipso est, de quo agitur, id est, in compascendo; omnia enim ex eodem fluunt et sui sunt continentia atque se respicientia. Factum est igitur argumentum ex eo, quod est in ipso, ab affectis, id est, coniugatis. Maxima vero propositio: Coniugatorum in eo, quod coniugata sunt, unam atque eandem esse naturam; vel etiam sic: Cui convenit aliquid, huic etiam coniugatum eius posse sociari.

(Cap. 3. §. 13.) *A genere — — igitur videtur.*

Genus est, quod de qualibet specie in eo, quod quid est, praedicatur. In eo autem, quod quid est, praedicari dicitur, quod de qualibet specie interrogantibus, quid sit, et responderi convenit et eius, de qua respondetur, speciei substantiam monstrat. Semper vero genus propria specie maius est eamque intra ambitum suae praedicationis includit. Quo fit, ut quamvis in alia quoque dispartiri genus possit, speciem tamen suam nullo modo derelinquat: velut animal praedicatur quidem de homine, et hominis substantiam monstrat; interrogantibus enim nobis: quid est homo? „animal" respondetur. Idem tamen deduci in alia potest, velut in equum atque bovem, quae animalia nuncupantur. Sed ita deducitur in diversa, ut unam quamque earum speciem, quas continet, non relinquat. Ubicunque enim fuerit homo, necesse est, ut sit animal; homo enim animal est: idemque de bove ac de ceteris. Ergo liquido demonstratum est, nomen generis a specie nullo modo separari. Quod si quando generis vocabulum universaliter enuntietur, necesse est omnes species designari: ut si quis dicat *omne animal*, et hominem designabit et bovem et ceteras omnes species sub animalis

41. *speciem*] Eins. Ven. — *specierum* ceteri.

nomine collocatas. Quae quum ita sint, quidam testamento mulieri argentum omne legaverat: quaeritur, an ei etiam numerata pecunia sit legata. *Numerata* igitur *pecunia* in hac quaestione subiectum est, *legata* vero praedicatum. Considero igitur, in alterutro eorum quidnam insit, ut ex eo, quod in ipso est, aliquod argumentum requiram. Video subiectum terminum, qui est *numerata pecunia*, habere *argentum* genus, quod scilicet affectum est ad speciem suam, ad quam refertur: quae enim ad se invicem referuntur, affecta sunt. Ergo quoniam argentum omne legatum est et genus speciem propriam non relinquit, necesse est, ut numerata quoque pecunia sit legata. Nam quum omne nomen generis legatum sit, nihil de speciebus videtur exceptum: velut si quis dicat, omne animal vivere, non, ut arbitror, hominem tantum vel bovem vel equum vel singulatim cetera vel unum vel plura vivere dicit, ut tamen aliqua, quum sint animalia, vitae munere carere contendat, sed omne prorsus, quidquid fuerit animal, vivere proponit. Quum igitur omne genus, id est, omne argentum, legatum sit, nulla species excipitur; at numerata pecunia argentum est: fit igitur, ut numerata quoque pecunia legati vocabulo possit includi. Est igitur quaestio quidem, ut dictum est, an numerata pecunia legata sit; argumentum ab eo, quod in ipso est, id est, a genere, quod inest propriae speciei; quod ita inest, ut ad id referatur, hoc autem est argentum. Ab affectis vero, a genere: praedicatur enim ut genus argentum de numerata pecunia; interrogantibus enim nos, quid sit numerata pecunia, iure respondemus: argentum. Maxima propositio est: Cui convenit omne genus, eidem unam quamque speciem convenire. Quam Marcus quoque Tullius diversis quidem verbis, sed eadem significatione proposuit dicens: *Forma enim a genere, quoad suum nomen retinet, nunquam seiungitur.*

(Cap. 3. §. 14.) *A forma generis — — — ei non videtur.*

Species est, quae propriis differentiis informata sub praedicatione generis collocatur. Differentiae vero propriae a ceteris eam speciebus separant atque seiungunt: velut homo, quum sit animalis species, differentiis propriis informatur rationabilitatis atque mortalitatis, et seiungitur ab iis animalibus, quae aeterna sunt, velut sol a Platonicis creditur, et ab iis animalibus, quae sunt rationis expertia. Quum igitur omnes species inter se propriis differentiis distent, necesse est, quod de altera specialiter dicitur, id in aliam non posse transferri, velut quod de homine dicitur specialiter, idem de equo atque bove non possit intelligi. Dicitur autem de specie, quotiens genus ipsum velut in quandam contrahitur portionem; velut si quis dicat, illud animal sibi adduci debere, quod sit rationale et mortale, non utique de equo vel bove aut de ceteris, nisi tantum de homine dictum esse intelligitur. Ut igitur generaliter dictum genus omnes species claudit, quum quis dicit *omne animal*, sic quodlibet animal designatum speciem facit. Quae quum ita sint, a forma generis, id est, a specie generis, tale fit argumentum: quam formam generis Cicero partem saepe nominat, quo id,

---

35. *propriis* add. Eins.

quod dicitur, planius fiat; notius enim nomen partis est quam formae. Quo autem distet forma a partibus, et nos strictim superius diximus, et paullo post a Cicerone ipso latius explicabitur. Nunc de proposito videamus exemplo. Uxoris species sunt duae, una matrumfamilias, altera usu, sed communi generis nomine uxores vocantur. Fit vero id saepe, ut species iisdem nominibus nuncupentur, quibus et genera. Materfamilias vero esse non poterat, nisi quae convenisset in manum; haec autem certa erat species nuptiarum. Tribus enim modis uxor habebatur, usu, farreo, coëmptione: sed confarreatio solis pontificibus conveniebat. Quae autem in manum per coëmptionem convenerant, eae matresfamilias vocabantur; quae vero usu vel farreo, minime. Coëmptio vero certis sollemnitatibus peragebatur, et sese in coëmendo invicem interrogabant, vir ita: an sibi mulier materfamilias esse vellet? Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat: an vir sibi paterfamilias esse vellet? Ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coëmptionem, et erat mulier materfamilias viro loco filiae. Quam sollemnitatem in suis institutis Ulpianus exponit. Quidam igitur extremo iudicio omne Fabiae uxori legavit argentum, si quidem Fabia ei non uxor tantum, verum etiam certa species uxoris, id est, materfamilias esset. Quaeritur, an uxori Fabiae legatum sit argentum. *Uxor Fabia* subiectum est, *legatum argentum* praedicatum. Quaero igitur, quodnam ex iis argumentum sumere possim, quae in quaestione sunt posita, ac video, uxori duas inesse formas, quarum una tantum uxor est, altera materfamilias, quae in manum conventione perficitur. Quod si Fabia in manum non convenit, nec materfamilias fuit, id est, non fuit ea species uxoris, cui argentum omne legatum est. Quocirca quoniam id, quod de alia specie dicitur, in aliam dici non convenit, quumque Fabia praeter eam speciem sit, quae in manum convenerit, id est, quae materfamilias sit, et vir matrifamilias legaverit argentum, non videtur Fabiae esse legatum. Quaestio igitur, ut dictum est, an uxori Fabiae omne argentum legatum sit; subiectum *uxor Fabia*, praedicatum vero *legatum argentum*. Argumentum ab eo, quod est in ipso, de quo quaeritur, id est, ab eo, quod est in uxore, de qua quaeritur. Est autem in uxore, de qua quaeritur, species uxoris, ea scilicet, quae in manum non convenit, quae ad eam affecta est. Omnis enim species ad suum genus refertur, id est, omnis forma. Factum est igitur argumentum ab eo, quod est in ipso, ab affectis, a forma generis. Maxima propositio est: Quod de una specie dicitur, idem in alteram non convenire.

(Cap. 3. §. 15.) *A similitudine — — deperisset.*

Similia dicuntur, quae eiusdem sunt qualitatis, ex quibus hoc modo sumitur argumentum. Quidam testamento aedium usumfructum legavit, id est, concessit aedes, ut his alius, dum viveret, uteretur: hae

---

9. et 11. *farreo*] Eins. cum duobus codd. Sangallensibus ab Orellio ad novissimam Topicorum editionem adhibitis. — *farre* Ven. Paris. — *farreatione* Bas. 1. — *ferreatione* Bas. 2. (sed l. 11. *farreatione.*) — Conf. Gaii Institut. lib. I. §. 100. sqq. Ibid. *conferreatio* Bas. 2. — *farreatio* Eins. cum altero cod. Sang.

coeperunt vel vitium facere, id est, ruinam minari, vel etiam corruerunt. Petit igitur ab herede is, cui aedium ususfructus legatus est, ut earum sibi aedium, quae a testatore legatae sunt, damna compenset et aedes, quae vitium fecerunt vel corruerunt, restituat. Quaeritur, an earum aedium, quarum ususfructus legatus sit, vitium vel ruinam heres restituere cogatur. Hic igitur subiecta quidem oratio est, veluti quidam terminus: aedium, quarum ususfructus legatus sit, ruina vel vitium; praedicata vero oratio loco termini constituta: ab herede restitutio. Sumo igitur a simili argumentum, hoc modo: Quoniam si quis servi usumfructum legaverit isque servus aliquo modo deperierit, non cogitur restituere heres servum, ne nunc quidem cogetur heres restituere aedes, quae in usumfructum legatae ruinam vitiumve fecerunt. Similis est enim servi ususfructus legatio aedium ususfructus legationi; simile etiam, servum in usumfructum legatum, si deperierit, ab herede non restitui, et aedium in usumfructum legatarum vitium ruinamve ab herede non refici. Est igitur quaestio quidem, an aedium in usumfructum legatarum vitium vel ruinam heres restituere cogatur; termini vero, subiectus quidem: aedium in usumfructum legatarum vitium vel ruina; praedicatus autem: ab herede restitutio; argumentum vero ab eo, quod in ipso est, id est, ab eo, quod inest, vel ruinae vel vitio aedium in usumfructum legatarum. Id autem est affectum, id est, similitudo. Omnis enim similitudo ei inesse perpenditur, quod est simile; similitudo vero est servi ususfructus legati pereuntis, quem restituere heres non cogitur. Maxima vero propositio: Similibus rebus eadem convenire.

(Cap. 3. §. 16.) *A differentia — — an in tabulis debeatur.*

In rebus plurimum differentibus quod de altera earum dicitur, non videtur in alteram convenire. Id quum ita sit, quidam argentum suum omne legavit uxori. Illa pecuniam quoque, quae in nominibus debebatur, suam esse dicebat, quod omnis pecunia nomine vocaretur argenti. Quaeritur, an id quoque argentum, quod in nominibus debebatur, legatum sit. Hic igitur subiectus est terminus argentum, quod in nominibus debetur; legatum vero praedicatus. A differentia igitur faciemus argumentationem hoc modo: Idem de plurimum differentibus rebus intelligi non potest. Plurimum vero differt, argentum in arcane sit positum, an in nominibus debeatur. Nam quae posita in arca pecunia est, iuris est nostri, in nominibus vero debita non est nostra. Nam quod mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo non cogitur eandem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantam. In arca vero posita pecunia et in nominibus debita non sunt argenti vel pecuniae species, sed differentiae. Nam argenti species signatum ac non signatum esse dictae sunt. Qualitas vero pecuniae in possessione positae vel non positae, sed non modis omnibus alienae, in his differentiis constat, ut alia sit in arca posita, reliqua in nominibus debeatur. Atque hoc idcirco dictum est, ne quis non a differentiis, sed a specie argumentationem ductam putaret. Qualitas enim substantialis

43. *sed non*] *si non* Eins. An *etsi non?* Or.

non speciebus, sed differentiis adnumeratur. Quum igitur suum omne quod fuerit argentum vir uxori legaverit, quumque manifestum sit, id ad eam pertinere, quod fuerit suum legantis, id est, quod in arca fuerit conditum: non potest intelligi de eo, quod in nominibus debebatur; quoniam, sicut dictum est, id, quod in nominibus debetur, ab eo, quod in arca positum est, plurimum differt. Facta est igitur argumentatio ab eo, quod in ipso inerat, de quo quaerebatur. Quaerebatur vero de argento in nominibus debito. In hoc vero inerat propria differentia, qua ab alio differebat argento, eo scilicet, quod in arca positum fuerat. Id vero est affectum, id est, differentia. Maxima vero propositio: De rebus plurimum differentibus idem intelligi non posse.

(Cap. 3. §. 17.) *Ex contrario — — — inter se contraria.*

Quod de aliqua re dicitur, id in eius contrarium non potest convenire. Idem enim de duobus contrariis intelligi nullo modo potest. Quidam igitur supremae voluntatis arbitrio uxori bonorum suorum usumfructum legavit: mulier cellas vinarias oleariasque plenas ad usumfructum proprium devocabat. Quaeritur, an penus quoque ususfructus legatus sit: penus igitur ususfructus subiectus est, legatio praedicatum. A contrario igitur sumitur argumentum hoc modo: Utimur iis, quae nobis utentibus permanent, iis vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt. Ergo quum permanere ac perire contraria sint, usus quoque atque abusus contraria necesse est iudicentur. Quod si cetera quidem utendo permanent, cellae autem vinariae atque oleariae utendo consumuntur: aliarum quidem rerum ususfructus esse potest, penus vero non potest usus esse, sed potius abusus. Ergo quum vir uxori usumfructum bonorum legaverit, non potuit legare contrarium, quod est abusus; est vero abusus vini atque olei: vinum igitur atque oleum ad usumfructum mulieris non potest pertinere. Argumentum ab eo, quod in ipso est, de quo agitur, id est, ab ususfructus legatione, atque ab affecto, id est, contrario: contraria vero in contrariis non ita sunt, tamquam definitio in eo, quod definitur, sed tamquam relatio: omnis enim relatio in relativis, omniaque contraria non id, quod sunt, id est, qualitates, sed hoc ipsum, quod contraria sunt, in contrariis esse dicuntur; quia non secundum qualitatem propriam, sed secundum plurimam distantiam sibi invicem conferuntur. Maxima propositio: Quod alicui convenit, id eius contrario non convenire.

(Cap. 4. §. 18.) *Ab adiunctis — — ex edicto dari.*

Adiuncta sunt, quae proximum ac finitimum locum tenent, ut, si unum eorum quolibet exstiterit modo, alterum quoque vel exstitisse vel exstare vel exstiturum esse videatur: haec enim sibi quasi vicina sunt. Quae vero in exsistendo sibi sunt proxima, haec vel antecedere rem volunt, ut amor saepe concubitum; vel simul esse, ut pallor et timor; vel evenire posterius, ut post iracundiam caedes: eaque est adiunctorum natura, ut separari quidem possint, tamen sese invicem monstrent. Nam neque qui amavit necessario potitus est, et saepe qui potitus est non amavit; nec qui pallet necessario timet, et saepe non timens pallet; nec ex necessitate iratus occidit, et occidit saepe ali-

quis non iratus. Sed tamen, si de singulis inquiratur, eum concubuisse, qui amavit, et pallere, qui timet, et occidisse, qui fuerit iratus, veri simile est, non quod ita necesse sit, sed quia ex vicinis vicina colligimus. Nam quod ad exemplum attinet huius argumenti, haec similitudo est. Capitis diminutio est prioris status permutatio. Id multis fieri modis solet, vel maxima vel media vel minima. Maxima est, quum et libertas et civitas amittitur, ut deportatio; media vero, in qua civitas amittitur, retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio; minima, quum nec civitas nec libertas amittitur, sed status prioris qualitatis immutatur, velut adoptatio, aut quibuslibet aliis modis prior status retenta civitate potuerit immutari. Mulieres vero antiquo iure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate, quae in manum viri convenissent; itaque fiebat eis prioris status permutatio, et erat capite diminuta, quae viri convenisset in manum. Quaedam igitur, quae se nunquam capite diminuisset, id est, quae in manum viri minime convenisset, sine tutoris auctoritate testamentum fecit. Quaeritur, an secundum eius tabulas ex edicto praetoris debeat dari possessio. Hic subiectus quidem terminus: mulieris nunquam capite diminutae tabulae; praedicatus vero: possessionis concessio. Sumitur ergo ab adiunctis argumentum hoc modo: Nam si secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutae possessio detur, nihil causae est, cur non secundum puerulorum quoque et servorum tabulas ex edicto praetoris possessio permittatur. Quid enim officere potest, ne secundum mulieris nunquam capite diminutae tabulas possessio deferatur? Id scilicet, quod ea, quae testamentum confecerat, sui non fuerit iuris, quod idem et de pueris et de servis dici potest. Illorum enim aetas, illorum conditio in alterius sita est potestate. Adiungitur ergo: Si secundum mulieris, quae in suo iure non esset, tabulas possessio detur, secundum puerulorum quoque et servorum tabulas possessionem dari, qui sui iuris minime sint, quando quidem illi sub tutoris, illi sunt sub domini potestate. Proximum namque est rei, de qua quaeritur, quod eius est consequens et postea exsistens: ut secundum servorum puerorumque tabulas bonorum possessio detur, si illud, quod est in quaestione, conceditur. Quaeritur enim, an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutae possessio detur: quam rem consequitur, ut, si id fiat, secundum servorum quoque puerorumque tabulas deferatur. Quod quia fieri non oportet, ne rei quidem praecedentis exsistere debebit exemplum. Nec tamen necessaria est consecutio, sed vicina. Nam fieri potest, ut id recipiatur solum, secundum mulieris tabulas possessionem dari, non vero id, ut secundum tabulas servorum vel puerorum possessio concedatur. Sed proximum est, ut, qui nunc hoc recepit, posterius illud admittat. Est igitur argumentum ab adiunctis, id est, ab eo, quod in ipso haeret, de quo quaeritur: est autem quaestio de mulieris nunquam capite diminu-

5. Conf. Gaii Instit. lib. I. §§. 159—162. 10. *immutatur*] Ven. — *imminuitur* ceteri. 11. Conf. Gaii Instit. lib. I. §. 144. Boëth. ad Top. cap. 11. §. 46. 30. *quando*] Eins. — *uoniam* Edd.

tae tabulis: ab affectis, scilicet ab adiunctis. Maxima propositio: Ex adiunctis adiuncta perpendi.

(Cap. 4. §. 19.) *Ab antecedentibus — — nihil oportet.*

Antecedentia sunt, quibus positis aliud necessario consequatur, licet illud, quod antecedit, minus sit atque posterius. Minus quidem, ut: *Si homo est, animal est;* homo enim minus est animali, et tamen posito homine consequitur, ut animal sit. Posterius vero, ut: *Si peperit, cum viro concubuit;* posterius est enim peperisse quam concubuisse cum viro. Aliquotiens vero et quod aequale et quod simul et quod prius est ponitur ut antecedens. Aequale quidem, ut: *Si homo est, risibilis est;* simul vero, ut: *Si terra obiecta est, luna deficit.* Et haec sibi convertuntur, ut consequentia fiant antecedentia, ut: *Si risibilis est, homo est;* et: *Si luna defecerit, terrae adsit obiectio.* Antecedens vero prius est: ut: *Si arrogans est, odiosus est.* Prius est enim arrogans, posterius odiosus. Illud tamen in omnibus manet, positis antecedentibus necessario consequentia trahi. Exempli vero talis est explanatio: Civitatis Romanae iure liberi retinentur in patris arbitrio, usque dum tertia mancipatione solvantur. Ergo si quando divortium intercessisset culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero multabatur. De qua re Paulus Institutorum libri secundi titulo de dotibus, ita disseruit: Si divortium est matrimonii, et hoc sine culpa mulieris factum est, dos integra repetetur. Quod si culpa mulieris factum est divortium, in singulos liberos sexta pars dotis a marito retinetur usque ad mediam partem dumtaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur, liberorum est, qui liberi in patris potestate sunt, id apud virum necesse est permanere. Facto igitur divortio contenditur, an dotis pars pro liberis, [id est, vel liberorum causa vel quia pro numero liberorum retinebatur,] apud virum debeat permanere. Hic subiectum quidem est: factum divortium a muliere nuntiatum; praedicatum vero: apud virum sextae partis dotis post divortium permansio; quaestio: an post divortium factum, muliere nuntium remittente, sextam dotis partem apud virum manere oporteat. Quaero igitur, si ab antecedentibus argumentum faciendum est, quid antecedat; quid consequatur. At si viri culpa factum est divortium, video mulierem dotis parte non multari, etiam si prima repudii nuntium misit. Quod enim antecessit, ut viri culpa fieret divortium, id non permittit, ut dotis pars mulieri pereat, quamvis prima repudii nuntium mittat. Non enim quod prior repudium nuntiavit, dotis parte multanda est, sed absolvenda potius damno, quod non sua factum est, sed viri culpa divortium. Igitur antecedens est: viri culpa factum divortium; consequens vero: dotis partem non retineri. Nam si hoc est, illud est. Argumentationem vero faciam hoc modo: Si viri culpa factum est divortium, etiam si mulier repudii nuntium misit, nullo

---

6. *homo*] Eins. Bass. — *hoc* Ven. Paris. 11. *terrae* Ven. Paris. 17. *patris*] Eins. — *patrum* Edd. 18. *mancipatione*] Ven. Paris. — *emancipatione* Bass. — Conf. Gaii Instit. lib. I. §. 132. 20. *Institutorum*] Eins. Ven. — *Institutionum* Paris. Bass. Ibid. *libri secundi*] Bass. — *librorum* (sic) *secundo* Ven. — *libro Vto* Eins. — *libri undecimi* Paris. 27. Verba seclusa om. Eins. Bass.

modo tamen dotis parte multanda est. Sed viri culpa divortium factum est. Non igitur iure mulier dotis parte multabitur. Quod si non multabitur dotis parte, nihil in viri domo liberorum causa dotis nomine relinquetur. Sed non multabitur dotis parte. Nihil igitur apud virum dotis pro liberis relinquetur. Utriusque vero conclusio syllogismi est haec: Si igitur viri culpa factum est divortium, pro liberis manere nihil oportet. Argumentum ab eo, quod in ipso est, de quo agitur; versatur quippe intentio de dotis parte eiusque apud virum post divortium, quod uxor prima nuntiaverat, retentione: hoc vero antecessit viri culpa, quod, quia praecedens est, affectum est: omne enim, quod praecedit, ad id, quod sequitur, necesse est ut referatur. Maxima propositio: Ubi est antecedens, ibi erit consequens. At in hac quaestione est antecedens, id est, viri culpa factum divortium: ibi igitur consequens erit, sextas non retineri. Cur autem ita superius argumentum conclusionibus intexuerim, quum de his M. Tullio latius exsequente tractavero, evidentius apparebit.

(Cap. 4. §. 20.) *A consequentibus — — — — nihil oportet.*

Consequentia sunt, quae, quum fuerint antecedentia posita, consequuntur; veluti si dicamus: *Si homo est*, *animal est;* animal est consequens. Sed in proposito exemplo non satis apparet a consequentibus argumentum, sed ab antecedentibus potius, quod paullo post liquebit. Filii non iure suscepti in patrum non erant potestate, sed matres potius sequebantur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis, nec erant nuptiae iure contractae, quae non aut inter civem Romanum civemque Romanam inibantur, aut cui princeps populusve civitatem vel connubium [non] permisisset, eo scilicet modo, ut in potestatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque videndum, quod ex impari matrimonio suscepti non patrem, sed matrem sequuntur. Ergo quaedam Romana vel cum Latino vel cum peregrino vel cum servo, cum quo connubii ius non erat, nuptias fecit, dotem contulit; factoque inter eos divortio contenditur, an nuptae mulieris cum eo, cum quo connubii ius non erat, apud virum dotis pars post divortium debeat permanere. Hic subiectum quidem est: nupta mulier cum quo connubium non erat; praedicatum vero: dotis partis apud virum post divortium retentionis iure permansio. Sumitur ergo a consequentibus argumentum hoc modo: Nam quia nuptias fecit cum eo, cum quo connubii ius nullum est, id consequitur, ut liberi patrem non sequantur. Si autem liberi patrem non sequuntur, ne in patris quidem sunt potestate. At si in patris potestate non sunt matrique applicantur, apud virum dotis pars non poterit permanere. Hic igitur antecedens est: cum eo, cum quo connubii ius non erat, nuptiae; consequens: nihil pro liberis dotis nomine manere oportere. Concludatur argumentatio: Quoniam non permisso connubio liberi, qui procreantur, patrem non sequuntur, ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet, quando quidem non patrem filii,

25. *iniebantur* Eins. Ven. 26. *non* om. Ven. Paris. 30. *connubium non* Paris.

sed matrem sequuntur. Probatum est igitur pro liberis manere nihil oportere ex hoc, quod cum eo mulier nuptias fecit, cum quo connubii ius non erat; hoc vero erat antecedens. Non ergo a consequenti, sed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentum. Quod si per id, quod nihil dotis nomine manere oporteret, probaretur eam nuptias cum eo fecisse, quicum connubii ius non esset, recte a consequentibus argumentum factum esse diceretur. Fieret vero a consequentibus argumentum, si ita poneretur: Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi sequuntur, cum eo nupta esset mulier, cum quo connubii ius erat. Assumo quod est consequens: Sed mulier cum eo nupta non est, cum quo connubii ius erat. Concludo antecedens: Nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi non sequuntur. Argumentum ab eo, quod in ipso est, de quo quaeritur: quaeritur enim de iis nuptiis, quarum nullum fuerit iure connubium; ex affectis: omne enim consequens ad id, quod praecedit, refertur; maxima propositio: Ubi consequens non est, ibi ne antecedens quidem esse potest. Ac de his erit alius uberius disserendi locus.

(Cap. 4. §. 21.) *A repugnantibus — — et invitum reddere.*

Secundus heres dicitur, qui heredi instituto substituitur; veluti si quis filium instituat heredem scribatque: Si is filius intra pubertatem decesserit, nepotem vel quemlibet alium heredem esse oportere. Nepos igitur vel quilibet alius secundus heres dicitur. Repugnantia sunt, quae (ut dictum est) contraria consequuntur, si ipsis contrariis comparentur. Quidam igitur heredem testamento scripsit filium eique secundum substituit heredem, uxorique suae ancillarum usumfructum legavit a filio dixitque, ut uxori filius eius usumfructum ancillarum permitteret, neque illud adiecit, ut etiam secundus heres eundem usumfructum mulieri concederet. Successit filius et mulieri ancillarum contulit usumfructum. Illo mortuo intra pubertatem, agit secundus heres et usumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur dicens, usumfructum ei a filio legatum, a se vero minime. Quaeritur, utrum ea mulier legatum, quod testamento recte acceperat, invita possit amittere. Hic igitur subiectum est: legatum, quod testamenti iure recte accepit; praedicatum vero: invitam posse amittere. Sumo igitur argumentum a repugnantibus. Repugnans vero est, si id, quod contrario consequens est, alteri contrario comparetur; velut in hoc ipso, quod tractamus, exemplo *recte accipere* et *non recte accipere* contraria sunt: sed *non recte accipere* comitatur *invitum reddere*; iure enim invitus reddit, qui non recte accepit. Repugnat igitur *invitum reddere* ei, quod est *recte accipere*. Faciemus igitur argumentum sic: Qui testamento accepit, recte accepit. Quod autem recte accipitur, invito ei, qui semel recte accepit, auferri non potest. At mulier testamento usumfructum ancillarum accepit. Id ei igitur invitae non poterit auferri. Argumentum ab co, quod in ipso est, de quo agitur, id est,

---

33. *recte*] add. Eins. 40. *qui*] Eins. Ven. — *quod* Paris. Bass. 44. *Id ei ig.*] Eins. — *Idem ig.* (om. *ei*) Ven. Paris. — *Id ig. ei* Bass.

de eo, quod recte acceptum est. In ipso vero est velut affectum contrarietatis modo, ut superius dictum est. Est autem argumentum a repugnanti. Maxima propositio: Repugnantia convenire non posse.

(Cap. 4. §. 22.) *Ab efficientibus — — non possit.*

Causarum quidem multa sunt genera, quae Cicero paullo posterius dividit. Sed nunc de efficientium causarum disserit argumento. Efficiens vero causa est, qua praecedente aliquid effectum est, non tempore, sed proprietate naturae: velut in hoc, quod nunc declaremus, exemplo. Damni infecti promissio est, quotiens quis promittit, si quod damnum eius opera contigerit, sua restitutione esse pensandum. Ius autem est, parieti communi parietem alium vel fornicatum, id est, arcum habentem, vel directum continuumque coniungere. Quidam igitur ad parietem communem alium extrinsecus parietem iunxit deditque satis damni infecti. Communis autem paries fornicatus fuit, id est, arcum habens vel Signinam fabricam sustinens. Adiungente igitur eo, qui satis dederat, et, ut adiungeret, demoliente partem parietis, quo iunctura cohaeresceret, vitium communis paries fecit. Quaeritur, an damni infecti promissio cogat eum, qui promiserat, vitium restituere. Subiectus terminus: damni infecti promissio; praedicatus: vitii restitutio. Sumimus igitur argumentum a causis hoc modo: Si enim is, qui damni promisit infecti, eius vitii causa fuit, restituere debet vitium, quod eius accidit culpa. Quod si ea natura parietis fuit, ut suspendi sustinerique non posset (fornicati enim parietis non ea natura est, ut suspendi queat): parietis potius forma quam demolientis culpa vitium fecisse videbitur. Atque ita non cogitur praestare vitium, qui se damni infecti promissione constrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo: Si penes parietis formam constitit, ut eo adiungente parietem, qui damni infecti promiserat, vitium fieret, id vitium, qui promisit, praestare non cogitur. Fuit autem causa paries, ut vitium fieret, qui ea fuit natura, ut suspendi sustinerique non posset. Non igitur quod fornix vitium fecerit, praestare debet, qui damni promisit infecti. Argumentum ab eo, quod in ipso est, de quo agitur, id est, in vitii restitutione, ex affecto, id est, ex causa. Causa enim vitii forma est parietis, non culpa coniungentis parietem; itaque factum est, ut fornix vitium faceret: quae causa vitii quum absit ab eo, qui parietem iunxit, abest etiam eiusdem vitii restitutio. Maxima propositio: Unam quamque rem ex causis spectari oportere.

(Cap. 4. §. 23.) *Ab effectis rebus, hoc modo — dotis nomine.*

Effecta sunt, quae aliquibus efficiuntur causis non tempore praecedentibus, sed natura: velut si quaeratur, uxore defuncta, quae in manum viri convenit, an eius bona ad virum pertineant. In qua quaestione *bona uxoris defunctae, quae in manum viri convenerit*, subiectum est; *ad virum* autem *pertinere* praedicatum. Quaero igitur

18. *promiserat, vitium*] Eins. — *promiserit, vitium* Ven. — *promiserit, damnum* ceteri. 25. *cog. restaurare vitium* Ven. Lass. 26. *constrinxerit*] Eins. Ven. — *obstrinxerit* ceteri.

argumentum ab effecto dispicioque, quid perfecerit ipsa in manum conventio, atque ex eo argumentum traho. Id autem est: Omnia viri dotis nomine fieri, quaecunque mulieris fuere. Ipsa igitur in manus conventio omnia, quae mulieris fuere, viri fecit dotis nomine non procedente tempore, sed statim propria vi naturae. Nam ut in manum quaeque convenerit, mox eius bona dotis nomine virum sequuntur. Facio igitur argumentum sic: Si mulier, quae defuncta est, in manum convenit; in manum vero convenientis mulieris bona viri fiunt dotis nomine, haec quoque bona, de quibus agitur, viri sunt. Argumentum ex eo, quod in ipso est, de quo agitur, continetur: agitur enim de eius bonis, quae in manum convenerit: scilicet ab affectis, id est, a causae effectis. Effectum namque est in manum conventionis omnia, quae mulieris sunt, viri fieri dotis nomine: quamquam hic quoque non ab effectis, sed a causa factum argumentum monstretur esse. Ostensum est enim fieri viri dotis nomine, quidquid mulieris fuerit, ex eo, quod mulier in manum convenerit. Sed haec causa est, ut, quae mulieris sunt, viri fiant dotis nomine. Sed dicat quis, ex eo, quod ea, quae mulieris erant, viri fiunt dotis nomine, id approbari, quod defunctae bona ad virum debeant pertinere. Sed „quae mulieris sunt, ea viri fieri dotis nomine", et „bona ad virum pertinere" vel idem est, vel neutrum alteri causa est; vel, si quis dicat, eam esse causam, ut bona mulieris viro debeant cedere, quod per in manus conventionem viri facta sunt dotis nomine: a causa rursus ac non ab effectis factum esse argumentum putabit, id est, a dote; ab effectis vero non oportet aliud nisi causam probari. Esset vero ex effectis argumentum, ut ex eo causa probaretur hoc modo: Si quaestio esset, an mulier in manum viri convenisset, et indubitatum haberetur, omnia, quae fuissent mulieris, viri facta dotis nomine, diceretur ita: Si omnia, quae fuere mulieris, viri facta sunt dotis nomine, mulier in manum viri convenit; sed omnia, quae fuere mulieris, viri facta sunt dotis nomine: mulier igitur in manum viri convenit. Maxima propositio: Causas ab effectis suis non separari.

(Cap. 4. §. 23.) *Ex comparatione — — iura desiderat.*

A comparatione locus qui dicitur, tripartito scinditur: aut enim a comparatione maiorum aut a comparatione minorum aut a comparatione parium nascitur. A comparatione igitur maiorum est, quotiens maiora minoribus comparantur, hoc modo, ut: Quod in re maiore valet, valeat in minore. Fit enim quaestio, an in urbe aquam liceat arceri. In hac igitur subiectus est terminus: in urbe aqua; praedicatus vero est: ius arcendi. Regi fines dicuntur, quotiens unus quisque ager propriis finibus terminatur. Arcet vero aquam, qui eam per sua spatia meare non patitur. Faciamus igitur argumentum sic: Quoniam plus est regi fines, minus vero arceri aquam, si in civitate fines non reguntur, quod maius est, ne id quidem quod minus est, fiet, ut aqua in civitate arceatur. Hic igitur sumptum est argumentum ab eo,

5. *procedente*] Sic scripsi. — *praecedenti* Paris. — *procedens* Eins. — *praecedens* Ven. Bass. 12. *conventionis*] Eins. Ven. — *convenientis* Paris. — *conventione* Bass. 28. *dicerentur* Eins. Ven.

quod in ipso haeret, de quo quaeritur. Quaeritur vero de arcendae aquae iure, ab affecto scilicet, id est, a maiore, quod refertur ad id, quod minus est. Notandum vero, quod Tullius maximam propositionem argumentationi inclusit, hoc modo: Quod in re maiore valet, valeat in minore; et deinceps ea nisus argumentationem expedivit, ut manifestius appareat id, quod primo volumine commemoratum est, has maximas propositiones aliquotiens quidem argumentationibus includi, ut in praesenti monstratur exemplo, alias vero vires argumentationibus dare, ut in superioribus exemplis locorum. Quod si idem convertamus exemplum, dicemus: Quod in re minore valet, valeat etiam in maiore; at in urbe aqua arcetur: regentur igitur fines. Hic tamen quaestio permutatur, hoc modo: Quaeritur enim, an in urbe fines oporteat regi. Sed a minore sumitur argumentum, id est, ab arcenda aqua; ut sit hic quoque argumentum ab eo, quod in ipso est, id est, ab eo, quod est in regendis finibus, ab affecto scilicet, id est, a minore. Id enim, quod minus est, affectum est; illud namque respicit, ad quod comparatur. Hic quoque maxima propositio a Tullio posita est, eaque est: Quod enim in re minore valet, valeat etiam in maiore. A paribus vero fit similiter comparatio. Necesse est enim, ut valeat aequitas, quae paribus in rebus paria iura desiderat. Usucapio est adeptio dominii per continuationem iustae possessionis biennii aut alicuius temporis. Plurimarum igitur rerum usucapio annua est, ut, si quis eis anno continuo fuerit usus, id firma iuris auctoritate possideat, velut rem mobilem. Fundi vero usucapio biennii temporis spatio continetur; de aedibus in lege nihil ascriptum est. Quaeritur ergo, usus aedium unone anno an biennio capiatur. Faciemus a paribus argumentationem, et quoniam immobilium aequa possessio est, aedes vero immobiles sunt, ut biennio fundus usucapitur, ita etiam oportet aedes usucapere biennio possidentem. Aequitas enim paribus in rebus paria iura desiderat. Quae etiam maxima propositio a Tullio clarissime posita est, sed exemplum restrictius dictum est nec promptissime ad intelligendum. Ita namque ait, ut, quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium. Hic igitur aedium usus auctoritatem biennio fieri sentit, sed adiecit: *At in lege aedes non appellantur*, *et* [sic] *sunt ceterorum omnium, quorum annuus est usus*. Hic rursus aedes in iis videtur ponere, quae annuo usu capiuntur, et concludit nihil definiens nisi: *Valeat aequitas, quae paribus in causis paria iura desiderat*. Sed videtur ita dictum: Quoniam immobiles sunt aedes, ut fundus; biennio vero fundus usucapitur: aedes quoque biennio usucapientur. Et sibi ipse rursus opponit: Sed in lege duodecim tabularum de aedibus nihil ascriptum est, et inter eas relictae sunt res taciturnitate legis, quarum est usus annuus. Nam quum de fundo praescriberet lex biennii usucapionem, tacuit aedes, et iis po-

5. *deinceps ea, quae arg. expediunt, ut* Eins. 17. *ad quod*] Ven. — *ad id quod* Bass — *ad id ad quod* Paris. 20. *Usucapio - - - temporis* add. alter cod. Sangallensis. 23. *id*] Eins. Paris. — *eas* Bass. — *et* Ven. 32. *usuauctoritas* Eins. 33. *auctoritate* Ven. 34. *sic* om. Eins Bass. Ibid *ceterorum - quorum*] Ven. - *ceterarum - quorum* Eins. cum altero cod. Saug. - *ceterarum - - quarum* ceteri.

tius hac taciturnitate eas iunxit, quarum annuus est usus. Sed solvit obiectionem ita: Aequitas paribus in rebus paria iura desiderat. Itaque quoniam aeque fundus atque aedes immobiles sunt, aeque biennio usucapientur. Factum est igitur hic quoque argumentum ab eo, quod in ipso est, de quo agitur, id est, ab affecto, pari. Nam quum agatur de aedium possessione, argumentum sumptum est ab usucapione fundorum. Expeditis igitur iis locis, qui in ipso, de quo agitur, inhaerebant, nunc iam loci eius, quem dixit esse extrinsecus, ponit exemplum. Hic vero, qui sumitur ab auctoritate iudicii, est locus valde probabilis, etiam si non maximae necessitatis. Quae enim necessaria sunt, haec ex propria considerantur natura. Quae vero probabilia sunt, plurimorum iudicium exspectant. Ea namque sunt probabilia, quae videntur vel omnibus vel pluribus vel maxime famosis atque praecipuis vel secundum unam quamque artem scientiamque eruditis; ut medico in medicina, geometrae in geometria, ceterisque in propria studiorum facultate versatis. De quo extrinsecus loco sic loquitur:

(Cap. 4. §. 24.) *Quae autem assumuntur — — artis expertes.*

Alia quippe argumenta sunt, quae ipse elicit orator atque ipse quodammodo ex designatis locis sibi comparat et propria facultate conquirit; alia, quae extrinsecus posita non ipse invenit, sed praesentibus utitur et paratis, veluti testimonia, tabulae, fama ceteraque, de quibus M. Tullius latius tractaturus est. Non enim sibi ipse testimonia parat orator, sed paratis utitur, nec ipse iudicium facit, sed iam posito ac spontaneo rumore veniente utitur ad causam. Atque idcirco hos locos Graeci *ἀτέχνους* vocant, id est, inartificiales, atque ut Tullius dixit, artis expertes. Quae enim non proprio oratoris artificio comparantur, sed se extrinsecus venientia subministrant, haec iure artis expertia appellata sunt. Huius exemplum est:

(Cap. 4. §. 24.) *Ut si ita respondeas — — id tibi ius videri.*

Solum ambitus aedium est, quantum soli aedium ambitus claudit. Scaevola igitur dixit id esse ambitus aedium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestum est enim tecta latius fundi, nec parietibus adaequari, ut stillicidium longius cadat. Quae quum ita sint, quidam parietem communem tegere nitebatur. Quaeritur, an sit aliquod ius tegendi. Respondeas tu, inquit Cicero, Trebati, id ius esse tegendi parietis communis, ut in eius, qui tegit, aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur; alias non esse iuris, ut tegat quis parietem stillicidio in vicini tecta defluente. Haec enim stillicidii servitus nova nisi consentiente vicino nihil iuris habet. Sed si huic responso opponatur, ne sic quidem ut tegat esse iuris, quando quidem aedium solum tantum est, quantum cuiusque parietes claudunt, qui vero tegit, tectum longius mittit: tu, inquit, responsum tuum Scaevolae auctoritate firmabis dicens Scaevolam respondisse, hoc esse solum ambitus aedium,

2. *ita: aeq.*] Eins. — *ita scilicet, aeq.* Ven. Paris. — *ita, sed aeq.* Bass. 31. *quantum solum aed.* alter cod. Sang. 37. *tegit, aliud*] Eins cum altero cod. Sang. — *tegat, aliud* Ven. Paris. — *tegit, non aliud* Bass. — *tegit, non in aliud* alter cod. Sang. 44. *resp. huius esse* Eins. et alter cod. Sang.

quantum tectum proiiceretur, non quantum parietes ambirent. Ius est igitur proiicere tectum, qui intra ambitum adhuc suarum aedium tegit, sed ita, ut in suum tectum aqua defluat nec vicino nova noceat servitute. In qua quaestione neque a subiecto neque a praedicato termino ductum est argumentum, quod in iis locis considerari moris est, qui in ipsis haerent, de quibus agitur, terminis, ut in omnibus exemplis est diligentissime declaratum. Sed quia sumitur argumentum extrinsecus, dubitationi iudicium cuiuslibet opponitur, ut nunc Scaevolae, cuius auctoritate responsum est, atque ideo ex loco, qui vocatur extrinsecus, sumptum dicitur argumentum.

(Cap. 4. 5. §. 25.) *His igitur locis — — non satiatum discedere.*

Omne elementum principium est eius rei, cuius elementum esse perpenditur. Nam eius, quod ex elementis fit, ipsa elementa necesse est loco esse principii. Ergo quoniam loci superius designati argumentorum quasi quaedam principia sunt, — ipsi enim sunt, qui continent argumenta, omne autem, quod continet, eius, quod continetur, principium est; — ideirco ait Cicero veluti quaedam elementa argumentorum videri locos eos, quos superius posuit: cautissimeque adiecit, „quasi quaedam elementa"; non enim integre elementa, sed quasi in similitudine elementorum sunt ii loci, qui in argumentis efficiendis sumuntur, idcirco, quoniam argumentorum quaedam videntur esse principia. Alioquin elementum omne minima pars est eius, cuius elementum est, et id, quod ex elementis efficitur, partis vice coniungit, ut literae orationem. At vero locus non pars argumenti, sed totum est. Est enim significatio quaedam et demonstratio ad reperiendum argumentum data, ut, si locum respexeris, noveris, ubi conditur, unde duci debeat argumentum. Sed reliqua ad Trebatium expeditissime dicta sunt, blanditurque ei etiam brevia posse sufficere acuminis praerogativa, praesertim quum sit iuris occupatione districtus et tempus legendi plura non habeat. Sed quoniam, ut inquit, avidissimum studii ad has doctrinarum epulas recepit, non vult degustatum, sed satiatum, relinquere, ut ne desit aliquid, sed de pleno etiam relinquatur; factaque est a convivando translatio iucundissima. Declaratis igitur omnibus locis eorumque exemplis diligenter expositis pauca quaedam de locorum vi atque ordine disputabo, quibus plenissima disputatione expeditis ad ea, quae restant explananda, transgrediar. Sed id tertio iam volumine faciendum est, quoniam secundus liber habet proprium modum.

---

2. *quia intra* Eins. Paris. et alter cod. Sang. 3. *ne vicino* Eins. et uterque cod. Sang. 24. *partis vice*] Eins. Ven. — *partes invicem* ceteri. 33. *relinquat* Ven. Paris.

BOETHII

COMMENTARIORUM

LIBER TERTIUS.

Antequam latiorem M. Tullii divisionem de enumeratis superius locis aggrediar, pauca, ut sum pollicitus, de vi atque ordine locorum mihi videntur esse tractanda, ut eorum natura diligentius cognita facilior se argumentorum copia subministret. Primum igitur, quoniam loci omnes divisi sunt in eos, qui in ipso haererent, de quo quaeritur, et in eos, qui extrinsecus assumerentur, videndum est, quinam sint ii loci, qui in ipso haerent, de quo quaeritur, vel quid ab ipsis [rebus] differant, in quibus haerere dicuntur. Atque illud quidem planissime expeditum est, ipsos dici terminos illos, qui in quaestione versantur: horum esse alterum praedicatum, alterum vero subiectum, superior expeditio patefecit. Ab eo igitur termino, de quo agitur, quid differt locus a toto? quando quidem idem est ipsum esse quod totum. Neque enim est aliud, esse quemlibet terminum in quaestione propositum, quam totum esse terminum eundem, qui in quaestione est constitutus. De partibus quoque idem dicemus: nam si omnes partes efficiunt id, cuius partes sunt, terminumque in quaestione propositum suae partes efficiunt, non est dubium, quin partes quoque omnes convenientes id esse, quod ipsum est in quaestione propositum, rectissime intelligantur. Notatio vero eodem modo illud ipsum est, quod in quaestione proponitur. Rem enim unam quamque omne vocabulum designat ac denotat. Fit igitur, ut totum partes, ac nota idem, quod est ipsum, de quo quaeritur, esse videantur. In tanta igitur similitudine rerum danda est differentia. Neque enim, ut dictum est, si locus haeret in eo ipso, de quo quaeritur, atque ab ipso, de quo quaeritur, capi non potest argumentum, fieri potest, ut locus idem esse possit, quod ipsum est. Sed haec differentia est: ipsum est, quod confuse ac singulariter intelligitur ut homo: in eo inest totum suum, quod est definitio. Ipsius igitur totum ab eo, quod ipsum est, intelligentia separatur, quod illud quidem singulariter intelligitur, hoc vero sub generis ac differentiarum enumeratione monstratur. Dividit enim definitio atque dispertit, totumque patefacit, quod in re ipsa singulariter intelligebatur. De partibus quoque eadem ratio est. Si enim ad membrorum multitudinem

---

1. *numeratis* Ven. Paris. 5. *haererent*] Eins. Ven. — *haerent* ceteri. 7. *rebus* om. Eins. Ven.

vel specierum omnium enumerationem singularem termini referas intellectum, statim ipsius ac partium differentias comprehendas. Nota etiam ab eo, cuius nota est, facile distat, quia illud vox et significatio est, illud res significationi supposita. Eorum vero, quae affecta sunt, non sunt dubiae differentiae ab iis, quorum affecta esse monstrantur. Quis enim idem dicat esse coniugatum, quod est id, cui coniugatum est? quis idem esse *iuste*, quod *iustitia*? quis genus idem, quod forma? quis contraria? quis similia? quando quidem neque contrarium sibi ipsi contrarium esse potest, nec simile sibi ipsi simile, nec genus sibimet ipsi genus: et de ceteris eadem ratio est. Nunc illud dicendum est, propter quod ista praemisimus. Quandocunque enim ab illis tribus locis, qui primi propositi sunt, argumenta sumuntur, id est, a toto, a partibus, a nota, fit, ut ipse quidem terminus, ad cuius fidem quaeritur argumentum, intra quamlibet earum rerum contineatur, quae quum ad argumentum ductae fuerint, loci esse monstrantur. Velut quum fit argumentum a toto, ipse quidem terminus, cui fides affertur, intra totum comprehenditur; totum vero ipsum, quod est definitio, res est, si quidem orationem rem vocari placet. At si ex ea sumitur argumentum, fit locus. Iam ipsum quidem, de quo agitur, intra totum clauditur: a quo toto quum fit argumentum, fit ipsum totum locus; quod totum, quoniam claudit terminum, qui in quaestione versatur, eidem termino videtur inhaerere. Quo fit, ut locus quoque, qui a toto est, eidem inhaereat termino, de quo in quaestione dubitatur. Partium quoque enumeratio eundem terminum claudit, quem partium collectione coniungit; ipsaque partium enumeratio res quaedam est, si oratio rebus annumeranda est. Sed si ab ea ducitur argumentum, fit locus. Sed quoniam partium multitudo in eodem termino est, quem conventus partium iungit, necesse est eum quoque locum, qui est a coniunctione partium, ipsi illi termino, de quo quaeritur, inhaerere. Nota etiam rem designat et signatione aliquo modo comprehendit: a qua si ducitur argumentum, fit locus; et quoniam nomen omne ei videtur adesse, cuius intelligentiam signat, locus quoque, qui est a notatione, in ipso haeret, de quo versatur intentio. At in affectis, quae in tredecim partes divisa sunt, non idem est. Nam quoniam respicientia quodammodo terminum sunt et quasi extrinsecus constituta, non videntur eodem modo coniuncta esse cum termino, quo coniuncti sunt ii loci, qui a toto, a partium enumeratione, a nota esse praedicti sunt; sed tamen id, quod affectum est, ad aliquid dicitur. Id vero aliquid iunctum est illi semper, quod ad eius ducitur relationem, ac sine eo esse nunquam potest: quia cum ipso nascitur, et quodammodo altero dicto intelligitur alterum. Nam si id, de quo quaeritur, eiusque affecta perpendas, ea, quae perhibentur affecta, extra id, de quo ambigitur, posita esse consideres. Nihil enim eorum, quae sunt ad aliquid, ex se ipso esse potest, sed est semper ex altero: ut enim in praedicamentis ostenditur, omnia, quae ad aliquid dicuntur, opposita sunt; non tamen ita disiuncta sunt, ut omnino sint distributa, sed quoniam relativa praedicatione iunguntur, necesse est aliquo modo in ipso sint, ad quod videntur affecta. Omne quippe affectum ex eo,

ad quod affectum est, suscipit formam, et sine eo esse non potest, et dicto altero alterius se statim subiicit intellectus: ut quum dixero dimidium, duplum intelligitur, et quum patrem nominavero, filius ad intelligentiam venit; et omnia, quaecunque ad aliquid sunt, ex sese pendent, nec a se invicem deseruntur. Igitur omne affectum et ad ipsum respicit, ad quod refertur, et in ipso est. Ad ipsum quidem respicit, quoniam ad affectum suum velut ad aliquid relative more praedicationis refertur: in ipso vero est, quod ea est affectorum natura, ut alterum exsistat ab altero seque ipsa possideant; quando quidem et id, quod affectum vocatur, eius est termini, ad quem consideratur affectum, et terminus in quaestione propositus affecto suo intelligitur esse connexus. Quae quum ita sint, quum argumentum sumitur a coniugatis, quoniam id, quod coniugatum est, affectum est ad id, quod ei ex altera parte est coniugatum, id quidem, de quo quaeritur, in altrinsecus posito coniugato haeret. Is vero locus, unde argumentum trahitur, ab altero ducitur coniugato, veluti: *Si compascuus ager est, ius est compascere.* Igitur *compascere* atque *compascuum* coniugata sunt; sed quaerebatur, an ius esset compascere. Tractum vero est argumentum a compascuo. Itaque terminus quidem, de quo fuit quaestio, in altero coniugato positus deprehenditur, id est, in compascendo. Locus vero, unde argumentum tractum est, in altero est, id est, in compascuo. Item quotiens a genere ducitur argumentum, id, de quo quaeritur, in forma haerere necesse est, ut quum ostenditur legata esse numerata pecunia, quoniam fuerit argentum omne legatum. Quaeritur enim de numerata pecunia, quae est species argenti; et argumentum tractum est ab argento, id est, a genere. Itaque ipsum, de quo quaerebatur, in forma fuit, id est, in specie. Argumentum vero tractum est ab affecto, id est, a genere. Quod si a forma generis argumentum fiat, converso modo est: id quidem, quod quaeritur, in genere esse monstratur; ipsum vero, unde sumptum est argumentum, in forma esse perpenditur. Nam quum quaeratur, an legatum sit uxori argentum, ostenditur non esse legatum, quia non fuerit uxori tantum legatum, sed matrifamilias uxori. Uxor vero genus est, materfamilias species uxoris. Quaeritur igitur de uxore, id est, de genere. Argumentum factum est a matrefamilias, id est, a forma. Quotiens vero a similitudine trahitur argumentum, quoniam id, quod simile est, non sibi, sed alteri simile esse perpenditur, res quidem, de qua quaeritur, in uno eorum, quae sunt similia, posita est, at vero locus in altero; velut quum quaeritur, an heres restituere vitium ruinamve cogatur aedium in usumfructum relictarum. In hoc igitur quaestio est, locus vero a similitudine, quia non oportet heredem aedes restituere, sicut nec mancipium, si id aliqua ratione depereat. Quum igitur similis sit aedium ususfructus atque mancipii, quod quaeritur, in aedium usufructu positum est, locus vero in usufructu mancipii. In differentia quoque idem est. Eorum namque, quae differunt, in altero positum est id, quod quaeritur, in altero

---

7. *ad aliud relat.* Eins. 41. *in similit.* Paris.

vero illud, a quo id, quod est ambiguum, comprobatur: ut quum quaeritur, an id quoque argentum, quod in nominibus debeatur, legatum sit. Hic igitur illud est, quod dubitatur; in eo vero, quod ab hoc differt, locus: a quo ostenditur minime legatum esse argentum, quod in nominibus debeatur, quia multum differt, in arca ne sit positum, an in nominibus scriptum. A contrario quoque idem est; ut in eo, quod quaeritur, an ususfructus penus legatus sit. In usufructu igitur quaestio est; sed probatur minime esse legatus, quia non potest esse usus earum rerum, quae utendo pereunt, sed potius abusus. In abusu igitur locus est, scilicet in altero contrariorum, quum fuerit in usu quaestio. Ab adiunctis etiam locus eodem modo ab eo, quod quaeritur, segregatus est, ut in uno adiuncto sit quaestio, in altero vero sit locus. Nam quum quaeratur, an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutae possessio detur, in hoc quaestio est, at in eius adiuncto locus. Ostenditur enim minime dari debere possessionem, quia sit proximum, ut secundum puerorum quoque atque servorum tabulas bonorum possessio concedatur. Ab antecedentibus vero ita est locus, ut quaestio sit in consequentibus. Nam quod quaeritur, an aliquid dotis nomine pro liberis manere oporteat, sumitur argumentum, nullo modo manere oportere, ex antecedentibus, quod viri culpa factum est divortium; locus itaque in antecedenti, quaestio vero in consequenti. Consecutum est enim viri culpa factum divortium, nihil apud patrem pro liberis permanere, quum viri culpa praecesserit. A consequentibus vero si sit argumentum, res, quae dubia est, in antecedentibus esse deprehenditur: velut quum quaeritur, an divortio facto cum eo, cum quo connubium non erat, dotis nomine aliquid pro liberis manere oporteat. Fit argumentum sic: Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi sequerentur: cum eo nupta esset mulier, quicum connubii ius esset. Hic antecedens est: *Si quid ex dote pro liberis manere oporteret;* et in eo quaestio, an aliquid manere oporteat: consequens vero: *cum eo mulier nupta, quicum connubii ius esset;* a quo sumitur argumentum, id est, a consequenti. Nam quum manifestum sit, non cum eo esse nuptam, cum quo connubii ius erat, ostenditur, quod minime patrem liberi sequantur, atque idcirco nihil pro liberis manere oportere. Hic igitur res quidem, quae dubitatur, in antecedenti est, in eo scilicet, an ex dote pro liberis manere aliquid oporteat; argumentum vero in eo loco, qui est in consequentibus, id est, in muliere, quae nupta est cum eo, cum quo nulla erant iura connubii. A repugnantibus etiam quotiens argumenta sumuntur, res quidem dubia in altero repugnanti, in adverso vero locus est argumenti: ut quum quaeritur, an possit invita mulier reddere legatum, quod recte testamento semel accepit. Locus a repugnanti: minime posse invitam reddere, quod recte acceperit. Quaestio igitur est in eo, quod intelligitur invitam reddere, argumentum vero in altero repugnanti, id est, in eo, quod intelligitur recte accipere. Pugnat enim invitam reddere et recte accipere; sed quaestio in uno eorum est, locus in altero. Quotiens vero a causis efficientibus ducitur argumentum, quaestionem in effectis esse necesse est, ut in exem-

plo, quo quaeritur, an qui satis dederit damni infecti, vitium parietis praestare cogatur. In hoc igitur, id est, vitio parietis, quaestio est; sed de causa trahitur argumentum. Dicitur enim non oportere praestare, quoniam natura parietis causa fuerit vitii, non is, qui de praestando vitio satis dedisset. Effectum igitur causae vitium parietis fuit. Itaque quaestio quidem in effecto; locus vero esse consideratur ex causa. At si ab effectis aliquid approbetur, locus in effecto, quaestio in causa est constituta: veluti quum quaeritur, an mulier quaedam, cuius bona viri facta sint, dotis nomine in viri manum convenerit. Quoniam ergo in manum conventione perficitur, ut bona mulieris post eius mortem vir adipiscatur, argumentum ducimus ab effectis. Efficitur enim per in manum conventionem, ut quaecunque sunt mulieris, viri fiant dotis nomine. Ergo quum ea, quae mulieris fuere, vir nomine dotis adipiscitur, mulierem in manum viri necesse est convenire. Quaestio itaque de muliere est, an in manum convenerit; argumentum vero ab effecto causae, id est, in manum conventionis: hoc vero est, quod ea, quae fuere mulieris, vir nomine dotis acquirit: quo fit, ut quod quaeritur, in causa, locus vero sit in effectis. A comparatione vero maiorum si fuerit argumentum, quaestio erit in minoribus; ut si quaeratur, an in urbe aqua debeat arceri, defendaturque minime debere: neque enim fines reguntur. Ita in aqua arcenda, quod minus est, quaestio est; locus vero in finibus regendis, quod maius est. Contrarie vero, si a minore argumentum ducatur, erit id, quod dubitatur, in re maiore; ut si dubitetur, an fines in civitate regantur, respondeamus: minime; quoniam ne aqua quidem arcetur. Ita id, quod dubitatur, in re maiore consistit, illud vero, unde argumentum sumitur, in minore. Et in comparatione parium similis ratio est: in uno enim eorum, quae sunt paria, quaestio consistit, in altero locus intelligitur argumenti; veluti, quum quaeritur, an aedium usus biennio capiatur, id approbamus, quoniam fundorum quoque. Quum igitur paria sint fundus atque aedes, quaestio quidem de aedibus est, argumentum vero ducitur a fundo. Ac de vi quidem locorum quoque a se modo quaestiones et loci argumentorum separentur, haec dicta sint. Nunc eorum ordinem brevissime commemorabo. Ex hoc itaque oritur omne iudicium, qui locus prior, qui sit posterior existimandus, si eos terminos consideremus, qui in proposita quaestione versantur. Quaecunque enim his terminis propinquiora sunt, haec rectissime priora numerantur; posteriora vero, quantum a propositis longissime quaeque recesserint. Id autem tali ratione clarescet. Primum namque locorum est divisa pluralitas in eos, qui in ipso sunt, de quo agitur, et in eos, qui assumuntur extrinsecus: in quo praepositos esse intelligimus eos locos, qui in ipso sunt, iis locis, qui trahuntur extrinsecus. Hic vero locus, qui in ipso est, in primas quattuor distribuitur partes, quarum prima est definitio, qui locus a toto est nuncupatus. Idcirco autem primus a toto ponitur, quoniam nihil est alicui tam proximum, quam propria definitio. Consequitur enumeratio partium, quia post definitionem proximum locum partes tenere debent, quae totum id, cuius partes dicuntur esse, coniungunt. His apponitur nota,

quae quasi converso modo definitio est. Nam sicut definitio explicat, quod implicite nota designat: ita nota involvit et confuse indicat, quod patefacit atque expedit definitio. Nota vero tertia ideo est, quia definitio substantiam tenet; partitio ea dinumerat, quae totum compositum iungunt: nota vero nihil efficit, sed tantum designat. Post haec, quae in ipsis terminis principaliter haerent, illa, quae sunt affecta, numerantur: quae iam non ipsis insunt terminis, sed eosdem velut exterius posita consequuntur, atque idcirco solum in ipsis esse dicuntur, quoniam sine his esse non possunt: quorum prima sunt coniugata. Nihil enim inter affecta sic proximum est, quam quod et re et nomine participat, nisi quod parva nominis inflexione seiungitur. Nam id, quod iustum est, et iustitia participat et inflexo iustitiae nomine nuncupatur; et in ceteris quidem coniugatis idem est. Post haec annumeratum est genus. Genus vero, quod cuiuslibet universaliter substantiam monstrat, et quod multorum specie diversorum substantialis est similitudo, a propositis terminis longius quam coniugata seiungitur, quia, tametsi substantiam monstrat, tamen ne inflexo quidem vocabulo cum termini nomine copulatur, sed longe lateque diverso. Huic adiuncta est species, quam formam Tullius appellavit, quia nihil est tam proximum generi, quam species. Species vero est substantialis individuorum similitudo et quod sub genere ponitur. Post hanc similitudo est constituta. Etenim post illud idem, quod in substantiis intelligitur, illud idem recte ponitur, quod in qualitate esse perpenditur. Paullatim vero res incipit a similitudine recedere, nec statim ad contrarium venit, sed prius a differentia locum statuit. Nam remota similitudine nihil aliud occurrit prius nisi differentia. Post hanc a contrario locum ducit, id est, a maxima differentia. Rursus ad amica sibi affecta convertitur, sed non eo modo amica, quo sunt similia: adiuncta enim proponit, quae non sunt integrae similitudinis, sed inter se iudicii et veluti cuiusdam rerum sibi cohaerentium propinquitatis. Post adiuncta vero antecedentia Tullius posuit. Post id enim, quod aliquo modo iunctum est, aliquid necesse est aut antecedens aut consequens intelligatur. Prius itaque antecedens, post consequens collocatum est. Post haec repugnantia dixit, ut quodammodo duplex ordo contrarietatum ac similitudinum nasceretur. Prius enim posuit a simili, a differentia, a contrario, atque hic universus ordo est similium et contrariorum: rursus ab adiunctis, ab antecedentibus et consequentibus, a repugnantibus; hic rursus secundus ordo similium et contrariorum esse deprehenditur. Sed primus valde evidentior quam secundus; plus est enim simile esse quam adiunctum, plus est differre quam antecedere vel consequi, plus esse contrarium quam repugnans. Et in suo quaeque [ordine] plenam retinent formam: velut quia similitudo propinquitatem quandam tenere debet, propinquius est id, quod est simile ei, cui simile esse consideratur, quam id, quod adiunctum est

16. *similitudo. Quod a* Eins. Ven. Bass. 25. *nec statim a contrario locum ducit, sed prius ad differentiam l. st.* Paris. 38. *anteced., a conseq.* Eins. Ven. Bass. 42. *ordine* om. Eins. Ven. Paris.

ei, cui naturali vicinitate coniungitur. Rursus quoniam differentia dissimilitudinis auctor est, dissimilius est id, quod ab alio differt, quam id, quod consequitur vel antecedit. Rursus quoniam contrarium longissime ab eo, cui contrarium est, oportet abscedere, longius abscedit contrarium quam repugnans. Post haec quid aliud restare poterat quam effectorum causas quaerere? aut post effectorum causas quid aliud quam ipsarum causarum perquirere effectus? Praeterea a comparatione loci postremum ordinem tenent, quia sive similitudinem sive dissimilitudinem in sola obtinent quantitate. Et de locorum ordine satis dictum est. Illud praeterea considerandum puto, num hi quoque argumentorum loci, qui in ipso haerent, de quo quaeritur, inter affecta iure numerentur, quando quidem quae affecta sunt, idcirco esse dicuntur affecta, quia sunt ad aliquid et propositi termini relatione nectuntur. Nam et definitio alicuius est definitio, et totum partium totum est, et nota significati nota est. Sed inspicienda natura est singulorum et videndum, num similiter haec ad aliquid referantur ut cetera. Nam definitio rem, quam definit, quodammodo explicat atque conformat; item partes rem, cuius partes sunt, propria coniunctione perficiunt; nota vero eius intellectum communiter tenet: et quum haec cetera, quae vocantur affecta, non faciant, iure haec non inter affecta ponuntur, sed in eo ipso, quod veluti conficiunt atque conformant, inesse dicuntur. Sed quoniam de vi atque ordine locorum sufficienter dictum est, nunc ad sequentia transeamus. Praeter omnia enim, quae superius dicta sunt, illud animadvertendum maxime est, quia non, si quid in argumentis fuerit sumptum, illud eorum argumentorum locus dicendus est, nisi non solum insit argumentis, verum etiam ab eo argumenta nascantur. Id, quod dico, planiore liquebit exemplo. Si quod enim fuerit argumentum, in quo sumatur genus vel species, non statim illud argumentum ex genere vel specie tractum esse dicitur, nisi si ei argumento vires generis vel speciei qualitas subministret. Age enim, sit quaestio: an idem sit animali esse quod vivere. Fiat argumentatio sic: Non idem est animali esse quod vivere, quia ne inanimato quidem idem est esse quod mori; plurima quippe sunt inanimata, neque moriuntur: nam quae nunquam vixere, ne mori quidem posse manifestum est. Hic igitur inanimatum genus est lapidum ac fusilium metallorum; et sumptum est in argumento: sed non ex genere factum est argumentum, licet in eodem genus videatur inclusum, sed potius a contrario. Namque contrarium est vitae quidem mors, animali autem inanimatum; sed mori non sequitur inanimatum: igitur ne animal quidem vivere. Non ergo ex genere locus iste dicendus est, sed potius ex contrario; quamvis genus huiusmodi contineat argumentum: tunc enim locus esset a genere, si ab animalis vel a vivendi genere argumenti ratio traheretur, velut si ita fieret argumentum: Animali esse substantia est; ipsum vero vivere substantia non est, sed in substantiam venit. Non est igitur idem vivere quod animali esse. A sub-

13. *proposito termino* Eins. 21. *efficiunt* Eins. Paris. 30. *si* add. Eins. 39. *animali* Ven. Paris. 45. *in substantia* Paris. Ibid. Malim: *vivere animali quod esse.*

stantia igitur tractum est argumentum, a genere videlicet animalis. Hoc igitur argumentum et genus continet et ex genere ductum est. In priore vero, etsi genus continet, a contrario tamen ductum esse perpenditur. Illud enim semper speculandum est, non quid in argumento sit, sed ex quo ducitur argumentum: et in ceteris quidem eadem ratio tenenda est; neque est enim in singulis immorandum. Si quos enim diligentia decursae superius expositionis exercuit, facile in reliquis colligent, quod uno declaratur exemplo.

(Cap. 5. §. 26.) *Quando ergo — — — explicat quid sit.*

Propositis breviter argumentorum locis eosdem subtilius atque enodatius statuit per suas partes et convenientia membra partiri. Ita enim locorum omnium diligentius natura considerabitur, si non confuse solum, verum etiam distributim et in suarum partium proprietate noscantur. Dat vero hîc multam inveniendorum copiam argumentorum. Ut enim de definitione dicamus, si cunctas aliquis definitionum partes agnoverit, ex omnibus sibi poterit argumenta conquirere, eritque in inveniendis copiosior argumentis eo, qui, quot sint definitionis species, ignorat. Ex tot enim definitionum partibus argumenta producet, quantas quis definitionum partes esse cognoverit. Is vero habebit plurimam talium locorum facultatem, quem definitionum diversitas non latebit. Ob hoc igitur M. Tullius, quos confuse atque indigeste posuit locos, nunc eosdem diligentiore ratione partitur. Ac primum illud propensiore consideratione tractandum est, quod, ut dictum est, etiam loci ipsi res quaedam sunt, sed esse intelliguntur loci, quum ab his trahitur argumentum. Ergo nunc Cicero non principaliter locos, sed res ipsas dividit, quae ad argumentum ductae speciem sumunt locorum. Definitio namque et pars et nota res quaedam sunt; sed quum ab iis argumentum ducitur, loci fiunt. Quum igitur M. Tullius res ipsas ita ut sunt naturaliter partiatur, simul cum rebus dividit locos. Si enim res una est, a qua duci poterit argumentum, unus est etiam locus; at si illa dividitur, quot partes eius rei fuerint, tot erunt etiam loci generis eiusdem, de quo argumenta nascuntur. Quae quum ita sint, quumque primus omnium locus a toto sit, id est, a definitione, prius quid sit definitio definitione declarat, ut patefacta rei natura species eius vel membra convenienti ordine partiatur. *Definitio*, inquit, *est oratio*, *quae id*, *quod definitur*, *explicat*, *quid sit;* sicut definitio est hominis: animal rationale mortale. Dictum vero cautissime est *explicat*. Nam quod nomen confuse denuntiat, id definitio per quaedam substantialia membra diffundit. Quod enim confuse nomine hominis declaratur, id aperit atque explicat definitio, dicens hominem esse animal rationale mortale. Nam nisi ita dixisset, potuerat esse communis definitio generi quoque, velut hoc modo: Definitio est, quae designat, quid est id, quod definit. Sed genus quoque designat, quid est id, de quo praedicatur, sed non explicat. Sola enim definitio explicat, quid sit: quae oratione perficitur; genus vero et cetera, quae

---

23. *pensiore* Ven. *pressiore* Paris. 34. *definitione* om. Ven. Paris. 36. *oratio* om. Eius. 45. *quae oratione*] Ven. Paris. — *quod oratione* Eius. Bass.

singulis plerumque nominibus proferuntur, minime. Explicat autem definitio id, quod definitur, non quoquo modo, id est, non in eo, quod quale vel quantum est, non in quolibet aliorum praedicamentorum, sed quid sit, id est, eius, quod definit, substantiam monstrat. Ea vero definitio substantiam digerit, quae ex genere differentiisque consistit; haec namque unius cuiuslibet substantiam signant, sicut in his dictum est, ubi de genere ac specie, differentia, proprio accidentique tractatum est. Ergo omnis definitio explicat, quid sit id, quod definitur. Aristoteles vero eodem paene modo definitionem determinat, dicens: Definitio est oratio quid est esse significans. Hanc M. Tullius partitur hoc modo:

(Cap. 5. §. 27.) *Definitionum autem — — — explicanda est.*

Omnem definitionem manifestum est ad aliquid dici: alicuius est enim semper definitio. Quae vero ad aliquid dicuntur, quandam proprietatem ex iis sumant necesse est, ad quae referuntur. Quo fit, ut ex iis rebus, quas determinat definitio, in ipsas definitiones quaedam proprietas transferatur. Sed quia, quod ad aliquid refertur, id non potest idem esse ei, ad quod dicitur, propriam quoque ipsum, quod refertur ad aliud, formam necesse est possidere: eoque fit, ut in definitionibus et sua cuique insit forma et ea, quam ab iis accipiunt, quae definiunt, consideretur. Quod M. Tullius videns primum dividit definitiones secundum ea, quae definiuntur; quarum genera duo esse proponit, unum earum rerum, quae sunt, alterum earum, quae intelliguntur. Has igitur definitionum differentias ex iis videtur sumpsisse, quae definitione monstrantur. Omnia enim, quae definiuntur, aut corporalia sunt aut incorporalia. Res enim omnes in haec primitus dividuntur. Ea vero, quae corporalia sunt, esse dicit; quae incorporalia, non esse. Non quod omnino ea, quae incorporalia sunt, non sint: alioquin nec definitionem susciperent. Nam si definitio est, qua explicatur id, quod definitur, quid sit: eius rei, quae omnino non est, nec, quid sit, explicatio ulla esse potest. Sed quia humanum genus sensibus degit, id maxime esse arbitratur, quod sensuum comprehensioni subiicitur. Quis enim sibi non magis lapidem scire videatur aut hominem, quum iustitiam vel hereditatem vel quidquid aliud non sensibus, sed intelligentia comprehendit? Unde fit, ut propter evidentiam cognitionis ea magis esse videantur, quae subiecta sunt sensibus; ea minime, quae intelligentiae ratione capiuntur. Sed id sciendum est M. Tullium ad hominum protulisse opinionem, non ad veritatem. Nam, ut inter optime philosophantes constitit, illa maxime sunt, quae longe a sensibus segregata sunt; illa minus, quae opiniones sensibus subministrant. Unde etiam idem Cicero in Timaeo ait: *Quid est, quod semper sit nec ullum habeat ortum, et quod gignatur nec unquam sit? Quorum alterum intelligentiae ratione comprehenditur, alterum affert opinioni sensus rationis expers.* Hic igitur id, quod semper sit, rationi adiecit; id vero, quod nun-

---

6. *signat* Eins. Ven. *significant* Bass. 10. *quid esse* (om. *est*) Eins. 25. *quae def.*] Eins. *quae in def.* Edd. 41. An *opinioni sensus?* Or.

quam sit, sensibus iunxit. Sed, ut dictum est, *corporea esse* et *incorporea non esse* non ad veritatem, sed ad communem quorumlibet hominum opinionem locutus est. Ponit igitur exempla earum quidem rerum, quae sunt, formas quasdam corporalium rerum, ut fundum, aedes, parietes, stillicidium atque id genus: quae corporalia esse hac ratione ostendit, quoniam cerni tangique possunt. Earum vero rerum, quae non sunt, exempla posuit usucapionem, tutelam, gentem ceteraque, quae sunt incorporea: quae ex hoc incorporea esse monstravit, quod ait ea tangi demonstrarive non posse, sed intelligentia atque animo comprehendi. Cur vero ea non esse dixerit, supposuit rationem dicens, nullum quasi corpus earum rerum esse nec molem aliquam, quae feriat sensum. Quod enim corpus esse potest usucapionis? Nam ipsa, quae usucapiuntur, corporea sunt; ipsa vero usucapio corporea non est. Ipsa enim per utendi consuetudinem possidendi firmitudo quodnam corpus habere potest? Item, quod quis tutela regit, corporale est; homo namque est: ipsa vero cura tutelae atque ipsum ius alium tuendi nihil omnino corporis habere potest. Homines quoque, qui in eadem gentilitate sunt, corporei sunt: ipsa vero gentilitas, id est, communis nominis liberorum societas, ut Scipionum, Valeriorum et Brutorum, certe incorporea est. Sed quaedam earum rerum incorporalis animi conceptio est atque intelligentia, quam notionem vocavit. Ipsa enim imaginatio usucapionis vel tutelae atque intellectus incorporalis rei notio dicitur, quam Graeci ἔννοιαν vocant. Divisit igitur definitionem in has duas partes, scilicet secundum subiecti differentias, ut alias quidem esse diceret definitiones earum rerum, quae sunt, id est, corporalium, alias vero rerum, quae non sunt, id est, incorporalium. Hinc quaeri potest, quod etiam superius breviter commemoravi, quonam modo definitio non inter affecta numeretur, quum omnis definitio ad aliquid esse videatur. Idcirco enim affecta esse dicta sunt similitudo, contrarium et cetera, quoniam semper ad aliquid referuntur. Quod si etiam definitio refertur ad aliquid nec est absolutae ac propriae considerationis, ea quoque inter affecta ponenda est. Sed occurritur, quoniam ea, quae affecta sunt, tamquam umbrae quaedam corpus, ita extra posita non possunt id relinquere, ad quod probantur affecta; et aut omnino substantiam eorum, ad quae affecta sunt, non significant, ut contrarium, simile et cetera, aut, si quando designant, una quaedam pars intelligitur esse substantiae, velut genus, species, differentia. Non enim genus tota substantia est speciei, quando quidem non solum genus speciem format, sed differentiae quoque; nec differentiae totam substantiae continent formam, quando quidem non sola differentia speciem perficit, sed etiam genus. Ipsa vero species quaedam generis pars est: at vero definitio, etsi ad aliquid est, tamen totam substantiam monstrat, atque exaequatur ei rei, quam definit, et substantiam perficit, ut neque extra posita sit sicut similitudo et contraria, neque pars eius substantiae sit, quam definitione determinat, sed potius ipsa substantia sit. Ac de hac quidem re satis dictum est. Idem vero de partibus dici potest. Nam coniunctae partes totum id efficiunt, cuius partes sunt. Nota

quoque totum signat id, quod designat, atque omnia coaequantur, et definitio definito et partes toti et nota rei, quam significatione declarat, si non sit univoca vel aequivoca. vel si res, quae designatur, non sit multivoca. Sane illud dubitari recte potest, cur, quum dixisset duo genera esse definitionum, non ipsas definitiones partitus est, sed quae definiuntur, id est, corporale atque incorporale. Quod idcirco dictum videtur, quia definitio quum sit ad aliquid, ut dictum est, quandam capit ex iis, quorum substantiam determinat, qualitatem.

(Cap. 5. §. 28.) *Atque etiam definitiones — — fieri possunt.*

Quoniam definitio ita ex subiecta re, quam definit, proprietatem capit, ut tamen formam propriam non relinquat, idcirco post eas differentias definitionum, quae ab iis rebus tractae sunt, quae definiebantur, nunc a propria forma definitionum differentias tradit. Propria vero forma unius cuiusque compositi in suis partibus constat; itaque ex partibus definitionum tales differentias docet, quod aliae definitiones per divisionem, aliae per partitionem fiunt. Definitur enim res quaelibet, dum aut eius species omnes enumerantur aut partes. Pars vero a specie quid differat, paullo posterius dicam. Nunc exponenda arbitror Ciceronis exempla; dat enim partitionis exemplum hoc. Sit enim propositum definire, quid sit ius civile; dicemus ita: Ius civile est, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistit. Lex igitur est, quam populus centuriatis comitiis sciverit. Senatusconsulta sunt, quae fuerint senatus auctoritate decreta. Res iudicatae sunt, quae inter eos, qui super aliqua re ambigunt, sententia iudicum fuerint constitutae, quarum exemplo ceterae quoque iudicantur. Iurisperitorum auctoritas est eorum, qui ex duodecim tabulis vel ex edictis magistratuum ius civile interpretati sunt, probatae civium iudiciis creditaeque sententiae. Edicta magistratuum sunt, quae praetores urbani vel peregrini vel aediles curules iura dixere. Mos est, quod in civitate solitum est fieri. Aequitas est, quod naturalis ratio persuasit. Haec igitur omnia unam formam iuris efficiunt tamquam partes, velut hominem caput, brachia, thorax, venter, crura atque pedes. Partitio est enim, ut ipse ait, quae unam quamque rem propositam quasi in membra discerpit. Alteram vero partem definitionis, quae per divisionem specierum fit, tali monstrat exemplo. Definit enim, quid sit abalienatio eius rei, quae mancipi est, dicens: *Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu aut cessio in iure, inter quos ea iure civili fieri possunt.* Nam iure civili fieri aliquid non inter alios nisi inter cives Romanos potest, quorum est etiam ius civile, quod duodecim tabulis continetur. Omnes vero res, quae abalienari possunt, id est, quae a nostro ad alterius transire dominium possunt, aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res veteres appellabant,

4. *si res, quae signant, non sint multivocae* Paris. 6. *quae designantur* Paris. 18. *Pars - - differat*] Eins. — *Partes - - differant* Edd. 43. *dom. possunt, aut mancipi sunt*] Bass. — *dom. mancipi sunt* (mediis omissis) Eins. — *dom. possunt, mancipi dictae sunt* Ven. Paris. Ibid. *aut nec mancipi*] Eins. — *aut non mancipi* Bass. — om. Ven. Paris.

quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret solennitatem. Nexus vero est quaedam iuris solennitas, quae fiebat eo modo, quo in Institutionibus Gaius exponit. Eiusdem autem Gaii libro primo Institutionum de nexu faciendo haec verba sunt: „Est autem mancipatio, ut supra quoque indicavimus, imaginaria quaedam venditio: quod ipsum ius proprium Romanorum est civium: eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. Is, qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit: HUNC EGO HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO, ISQUE MIHI EMPTUS EST HOC AERE AENEAQUE LIBRA. Deinde aere percutit libram, idque aes dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco." Quaecunque igitur res lege duodecim tabularum aliter nisi per hanc solennitatem abalienari non poterat. † Sui iuris autem ceterae res nec mancipi vocabantur. Eaedem vero etiam in iure cedebantur. Cessio vero tali fiebat modo, ut secundo commentario idem Gaius exposuit: „In iure autem cessio fit hoc modo: Apud magistratum populi Romani vel apud praetorem vel apud praesidem provinciae is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita vindicat: HUNC EGO HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO. Deinde, postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet. Quo negante aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit: idque legis actio vocatur." Res igitur, quae mancipi sunt, aut nexu, ut dictum est, abalienabantur, aut in iure cessione. Has autem solennitates quasdam esse iuris, ex superioribus Gaii verbis ostenditur. At si ea res, quae mancipi est, nulla solennitate interposita tradatur, abalienari non poterit, nisi ab eo, cui traditur, usucapiatur. Quae quum ita sint, recte definita est secundum divisionem abalienatio rei mancipi, scilicet, quae aut nexus traditione aut in iure cessione perficitur. Nam pura traditione abalienatio rei mancipi non explicatur. Species vero has esse, non partes, hinc intelligitur, quia, si quis nexu abalienet rem mancipi, id, quod suum fuit, in alterius postestatem pleno iure transtulerit. Quod si etiam in iure cedat, plenum abalienationis ius erit. Ubi autem plenum nomen eius, quod dividunt, partes suscipiunt, illud genus et has species esse paullulum quoque dialectica cognitione imbutus intelligit. Quae quum ita sint, divisit Cicero definitionem in duas partes, unam, quae partium enumeratione fieret, alteram, quae per partium divisionem. Utraque vero definitio partes enumerat. Sed hoc interest, quia haec quidem species, illa vero membra partitur. Hic suboritur quaestio valde difficilis. Nam si definitio est etiam partitio, mirum videri potest, quemadmodum alter sit

---

3. *Gaius*] Eins. — *Caius* Edd. ubique. 4. Gaii Institut. I. §. 119. Conf. II. §. 65. 5. *indicavimus*] *diximus* Gaii Cod. 6. *quod et ipsum ius proprium civium Romanorum est* Gaii Cod. 9. *mancipio* Gaii Cod. Ibid. *aes tenens*] *rem tenens* Gaii Cod. 12. *mancipio* Gaii Cod. 14. Locus corruptus. Addendum fort. *mancipi* post *poterat*. 16. Institut. II. §. 24. 17. *In iure cessio autem hoc modo fit* Gaii Cod. 18. *vel praetorem* (om. *apud*) Gaii Cod. 22. *ita dicit* Gaii Cod. 23. *vocatur*] Eins. cum Gaii Cod. — *vocabatur* Edd. 26. Conf. Gaii Institut. II. §. 41.

a definitione locus, alter a partium enumeratione. Quae res maximam confusionem praestat. Nam quum superius in locorum enumeratione alter a definitione locus, alter sit a partium enumeratione propositus; quumque nunc enumerationem partium vel divisionem definitionis species esse confirmet: non est dubium, quin, quum idem sit partium enumeratio, quod definitio (idem namque est species, quod genus), idem locus sit a definitione, qui est a partium enumeratione. Cuius quaestionis valde difficilis facilior absolutio est, si definitionum ipsarum formas ac distantias colligamus. Multis namque fieri modis definitio potest. Inter quos unus est verus atque integer definitionis modus, qui etiam substantialis dicitur, reliqui per abusionem definitiones vocantur. De quibus omnibus paullo posterius integram faciam divisionem. Nunc in commune sic disseram. Nam quia omnis definitio explicat, quid sit id, quod definitur; explicatio autem fit duobus modis, uno quidem, quum pro re minime cognita planius aliquid affertur, alio vero, quum fit quadam partium enumeratione: de priore quidem modo posterius, nunc vero de enumeratione partium [ita] dicendum est, quod omnis definitio, quae per partium enumerationem fit, quasi quaedam partitio recte intelligitur. Dictum est enim id, quod in nomine confuse significaretur, in definitione, quae fit enumeratione partium, aperiri atque explicari. Quod fieri non potest nisi per quarundam partium nuncupationem. Nihil enim, dum explicatur oratione, totum simul dici potest. Quae quum ita sint, quumque omnis huiusmodi definitio quaedam sit partium distributio, quattuor id modis fieri potest. Aut enim substantiales partes explicantur, aut proprietatis partes dicuntur, aut quasi totius membra enumerantur, aut tamquam species dividuntur. Substantiales partes explicantur, quum ex genere ac differentiis definitio constituitur. Genus enim, quod singulariter praedicatur, speciei totum est. Id etiam genus sumptum in definitione pars quaedam fit: non enim solum speciem complet, nisi adiiciantur etiam differentiae, in quibus eadem ratio, quae in genere, est. Nam quum ipsae singulariter dictae totam speciem claudant, in definitione sumptae partes speciei fiunt, quia non solum speciem quidem esse designant, sed etiam genus. Huius exemplum est: *Homo est animal rationale, mortale.* Quum ergo tota definitio homini coaequetur, totiusque definitionis partes sint tum animal, tum rationale, tum mortale: ipsius hominis partes esse videntur singula, quae eiusdem definitionis partes sunt. Haec igitur proprio nomine definitio nuncupatur. Item est illa definitio, quando in unum accidentia colliguntur, atque ex his unum aliquid efficitur, et est veluti quaedam partium enumeratio, non in substantia, sed in quadam accidentium collectione posita. Huius exemplum est: *Animal est, quod moveri propria voluntate possit.* Animali namque et motus est accidens et voluntas et possibilitas: sed haec iuncta perficiunt animal, non substantialiter constituentia, sed per quaedam accidentia designantia, quae animalis quasi quaedam partes sunt: et haec descriptio nuncupatur. At si non accidentia rei, sed quasi membra quaedam dica-

17. *ita* om. Paris. 19. *enim* add. Eins. 41. *positarum* Eins. Ven.

mus, ex quibus componitur atque coniungitur, atque inde definitionem facere tentemus, hoc modo dicimus: *Domus est, quae fundamento, parietibus tectoque consistit.* Hic membra quaedam sumpta sunt ad definitionem, quibus res tota coniungitur; et haec vocatur per enumerationem partium definitio. At si quis ita definiat, ut non in definitione ponat membra, sed species: a divisione specierum definitio nuncupatur; velut si quis hoc modo pronuntiet: *Animal est substantia, quae vel sensu tantum, vel sensu et ratione nitatur.* Haec igitur quattuor a se differre manifestum est. In ea namque definitione, quae per substantiales partes efficitur, singulae partes maiores esse videntur et substantialiter universaliores ab ea re, quam definiunt; ut animal maius ab homine. Mortale etiam atque rationale singula hominis transgrediuntur naturam: quae in unum convenientia eidem, quo singulatim maiora sunt, coaequantur. Accidentia vero, quae in definitione ponuntur, omnino a substantiae ratione disiuncta sunt. In ea quoque definitione, quae ex partium enumeratione perficitur, talia sunt, quae enumerantur, ut singula totius definiti nomen capere non possint; atque idcirco eodem minora sunt, ut fundamenta non possunt domus vocabulo nuncupari et fundamentá domo minora sunt, itemque ceterae partes. At vero in ea definitione, quae per divisionem fit, singulae quidem partes tota ea re, quae definitur, minores sunt; totum tamen definitae rei nomen excipiunt, ut rationale nomen capit animalis, eodem modo irrationale. Quibus ita discretis, quotienscunque ab ea definitione, quae per substantiales partes efficitur, vel ab ea, quae per accidentium enumerationem colligitur, argumentatio fit: a definitione, id est, a toto, tractum dicitur argumentum. Quotiens vero ab ea, quae vel per membrorum enumerationem vel per specierum divisionem perficitur, argumentatio fit: ab enumeratione partium argumentum ductum esse perhibetur. Sed M. Tullius, quia iam partitionem definitionis ingressus est, etiam hanc interposuit, quae non ad definitionis, sed ad enumerationis partium locum pertinebat. Huius vero rei argumentum est, quia, quum post de eisdem locis latius tractans de enumeratione partium loqueretur, nullam aliam enumerationem partium posuit nisi eam, quam nunc definitionis speciem dixit. Nec tamen est arbitrandum, omnem partitionem definitionis locum posse obtinere; ut, si quis sic dicat: *Fundamenta, parietes et tectum domus est;* id non est necesse. Potest namque esse porticus publicis usibus destinata, potest item aliud quodlibet, ut theatrum, quod propter ampliores sonitus exhibendos tegi solet. Sed id nunc intelligere nos oportet, posse per partitionem aliquid saepe definiri, quum partium illa collectio unam rem tantum possit efficere; ut, si nihil esset aliud, quod fundamenta, parietes atque tectum posset habere nisi domus, iure definitio facta esse videretur, domum esse, quam fundamenta, parietes tectumque perficerent.

. (Cap. 6. §. 28.) *Sunt etiam alia genera — — nihil pertinent.*

Hunc locum Victorinus unius voluminis serie aggressus exponere et omnes definitionum differentias enumerare multas interserit, quae definitiones esse paene ab omnibus reclamantur. Inter definitiones enim

ponit et nomina, quod specialiter Aristoteli in omni doctrinarum genere peritissimo non videtur, pernegatque in Topicis nomine fieri definitionem, veluti si quis dicat, *quid est conticescere?* et respondeatur, *tacere:* hae nullo modo definitiones habendae sunt. Quod etiam ex ipsius M. Tullii definitione approbari potest, per quam, definitio quid esset, ostendit; dixit enim esse definitionem orationem, quae id, quod definitur, explicat, quid sit. Sed quum nomen non sit oratio, manifestum est nomine definitionem non posse constitui, quum praesertim ne omnia quidem, quae oratione promuntur atque aliquid ostendunt, proprio definitionis nomine signentur, veluti descriptiones omnisque alia, quae non ex substantialibus partibus, sed ex quolibet alio modo coniunctis efficitur: quod ne ipse quidem Victorinus ignorat. Sed videtur id definitionis loco ipse sibi Victorinus ad disserendi sumpsisse propositum, quod quoquo modo rem subiectam posset ostendere. Idcirco enim nomen quoque in definitionum numerum recepit, quoniam saepe notiore vocabulo fit clarius, quod ignotiore antea prolatum latebat. Idcirco etiam nos superius diximus explicationem fieri duobus modis, uno quidem, quum pro re minime cognita planius aliquid afferatur, alio vero, quum fit per quandam partium enumerationem: ut ea quidem explicatio, in qua notius aliquid affertur, nominis sit, ea vero, quae fit per partium enumerationem, orationis; quamquam etiam in ipsis orationibus semper planius aliquid afferatur, quo notius fiat illud, de quo disseritur. Ut igitur nihil expositio praetermittat et definitionis proprietas appareat itaque omnia in notitiam deducantur, ut nec vera definitio nesciatur et, quae non sit proprie vereque definitio, sub scientiam cadat: talis definitionum differentia facienda est. Definitionum enim aliae proprie definitiones sunt, aliae abusivo nuncupantur modo. Ac proprie quidem definitiones sunt, quae ex genere differentiisque consistunt, velut haec: *Homo est animal rationale, mortale.* Hic enim animal genus est, rationale vero et mortale differentiae. Earum vero definitionum, quae non proprie, sed abutendo definitiones vocantur, aliae sunt, quae singulis nominibus denotantur, aliae vero, quas explicat ac depromit oratio. Atque illarum quidem definitionum, quae tantum nomine signantur, aliae sunt, quae *κατὰ λέξιν*, id est, ad verbum, fiunt, quum pro nomine redditur nomen, velut si dicat aliquis, *quid est conticescere?* et respondeatur, *Tacere*; *quid est haurit? Percutit:* aliae vero, quae exempli gratia ponuntur, ut quum volumus designare, quid est substantia, exempli gratia dicimus: homo. Haec vocatur Graece *τύπος*, quae idcirco, ut dictum est, inter definitiones ponitur, quoniam id, quod quolibet modo aliquid designat, eius, quod designatur, etsi non proprie, tamen aliquo modo videtur esse definitio. Earum vero definitionum, quae in oratione consistunt, neque tamen sunt propriae, multae sunt diversitates. Quarum est omnium nomen commune descriptio. Harum aliae fiunt partitione, aliae divisione, de quibus superius dictum

28. *proprie*] Eins. Ven. — *propriae* ceteri. 35. *κατὰ λέξιν*] Eins. a pr. m. — *κατ' ἀντίλεξιν* Edd. 36. *conticescere*] Eins. Ven. — *conticere* ceteri.

est. Aliae vero substantiales quidem differentias sumunt, sed genus non adiiciunt; atque haec quidem a Victorino ἐννοηματική dicitur, quasi quandam communem continens notionem, veluti si quis dicat: *Homo est, quod rationali conceptione viget mortalitatique subiectum est.* Hic igitur genus positum non est, sed differentiae substantiales. Aliae vero sunt, quae pluribus quidem qualitatibus designantur, accidentibus tamen, ita ut singulae qualitates, etiam si non coniungantur, possint tamen quod demonstratur efficere, ut: *Homo est, ubi pietas est, ubi aequitas, et rursus, ubi malitia et versutia esse possunt.* Nam etsi cetera nullus adiungat, sufficit ad ostendendum hominem dicere, ubi pietas inesse potest, vel ubi iustitia, vel cetera. Haec vocatur ποιότης. Aliae vero sunt, quae pluribus in unum accidentibus coniunctis efficiuntur, ut si quis luxuriosum definire velit, dicens: *Luxuriosus est, qui pluribus et non necessariis sumptibus in delicias affluit et in libidinem fertur effusior.* Omnia enim coniuncta luxuriosum videntur efficere, singula vero minime. Haec vocatur ὑπογραφική. Aliae quoque fiunt eo modo, ut ad signandam differentiam proponantur in iis rebus, quae discreto fine coniunctae sunt, ut, si dubitet quis, Nero imperatorne an tyrannus fuerit? dicit eum tyrannum fuisse, quoniam crudelis fuerit atque intemperans. Haec enim adiuncta differentia ita tyrannum ab imperatore seiungit. Aut etiam, si de eodem tyranno atque rege dubitetur, quid uterque sit, iuncta differentia utrosque designat; ut, si temperantia quidem regi vel pietas, tyranno vero et intemperantia et crudelitas convenire dicatur. Haec vocatur κατὰ διαφοράν. Alia, quae per translationem dicitur, ut, *Adolescentia est flos aetatis.* Illa quoque definitio esse dicitur, quae fit ex privatione contrarii, ut, *Bonum est, quod malum non est.* Illam quoque definitionem Victorinus ponit, quae tantum propriis nominibus aptari potest, quae etiam ὑποτύπωσις appellatur, ut, *Aeneas est Veneris et Anchisae filius.* Praeter has etiam illa est, quae fit per indigentiam pleni, ut, *quodrans est, cui dodrans deest, ut sit as.* Ponit etiam Victorinus inter differentias definitionum illam quoque, quae per quandam laudem fieri potest, ut, *Lex est mens et animus et consilium et sententia civitatis.* Quod maxime ratione caret; non enim laudis modus ille faciet differentiam. Illa enim consideranda sunt, quae in definitione ponuntur, non quo animo constituta sunt. Quod si recipienda fuit laudandi voluntas inter differentias definitionum, cur non vituperandi quoque voluntas aliam differentiam definitionis efficiat? Sed hoc apertissime inconveniens et veritati videtur esse contrarium. Fiunt etiam definitiones per proportionem, ut si quis dicat: *Homo est minor mundus.* Sicut enim mundus ratione regitur, ita quoque, quoniam homo multis partibus iunctus habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici potest. Fiunt etiam definitiones a relationibus. Quum dicitur, *Quid est pater?* respondetur, *Cui est filius.* Causa quoque solet efficere

---

12. ποιότης] Eins. Ven., ille cum glossa interlineari: *qualitas.* — ποιώδης ceteri. 37. *non quae animo constituuntur* Paris.

definitionem, ut quum dicimus, *Quid est dies?* respondetur, *Sol super terram.* Causam enim, id est, solem, pro re ipsa, cuius causa est, interposuimus, atque ita diem definitione monstravimus. Hae sunt definitionum differentiae, quas in eo libro, quem de definitionibus Victorinus edidit, annumeravit, quas M. Tullius praetermittit eo nomine, quod eas minime necessarias aestimarit. Nos vero, ne quid perfecto deesset operi, etiam quae sunt a Cicerone praetermissa, subiecimus.

(Cap. 6. §. 29.) *Tantum est dicendum — — — definiendum est.*

Definitionis ratione proposita divisaque per singulas partes tum materiae, tum etiam formae, (materiae quidem, quum definitionem esse dixit vel earum rerum, quae corporeae essent, vel earum, quae incorporeae; formae vero, quum aut partitionibus aut divisionibus definitiones fieri docuit,) praetermissisque ceteris, quaecunque ad propositum opus minime pertinerent: nunc, quod utilissimum est maximeque totam definitionum intelligentiam significare potest, exsequitur. Id autem est: qui sit in omnibus, quaecunque quomodo libet fiunt, definitionis modus. Est autem una atque omnibus communis definiendi ratio, ut ex communitatibus inter semet iunctis atque compositis in unam proprietatem rei definitio colligatur. Omnia enim, quae communia atque universalia sunt, si quid eis fuerit adiectum, determinatione minuuntur et ad particularitatem redeunt, atque eo ambitu, quo concludebant cuncta, cohibentur; veluti quum generi adiicitur differentia et fit species. Nam quum genus per se proprio ambitu multas species contineat, ei si propriam adiicias differentiam, minuitur et in quandam quodammodo particularitatem redit; veluti quum dicimus *animal*, hoc nomen multa concludit. At si ei *rationale* adiicias, faciasque *animal rationale*, minus erit a simplici. Minus namque est animal rationale a simpliciter animali. Ita additio differentiae, quod maius fuit, in particularitatem quandam redegit atque cohibuit. Quoties igitur aliqua res definienda est, sumitur id, quod ei cum pluribus aliis commune est; huic adiiciuntur differentiae, statimque necesse est minuatur id, quod pluribus fuerat ante commune, et, si hac differentiae additione in tantum modum decreverit, ut rei, quae definitur, fiat aequalis, alias differentias colligere atque aptare non necesse erit, sed id ipsum, quod ita decrevit, ut aequale sit ei, quod definitur, definitionem esse necesse est. At si adhuc amplior sit ab ea re, quae definitur, quaeramus necesse est aliam differentiam, qua adiuncta numerus quidem crescat, vis autem communitatum differentiarum additione decrescat, atque id hactenus faciendum, quatenus, ut dictum est, ea, quae ad definitionem sumuntur, ei, quod definiendum est, adaequentur. Ut igitur id non ratione solum, verum convenienti quoque clarius fiat exemplo, sumatur res notissima ad definitionem; id sit homo. Huius igitur ita quaerimus definitionem. Sumimus, quod ei cum pluribus aliis commune est, id est, animal. Dicimus igitur hominem esse animal; nondum est definitio: primum quia, ut dictum est, nomine definitio reddi non potest; dehinc quia animal maius est

homine. Ut igitur minuatur animal et homini coaequetur, addimus differentiam, qua adiuncta rerum quidem numerus crescit, vis autem rei atque amplitudo minuitur. Addo igitur rationale, efficioque animal rationale. Minus est igitur animal rationale, quum proprie animal. Dico autem hominem esse animal rationale. Sed id nondum coaequatur ad hominem. Possunt enim esse animalia rationabilia, sicut Platoni quoque de astris placet, quae homines non sunt. Addo igitur rursus aliam differentiam, si quo modo in tantum definitio contrahatur, ut fiat homini, quod definitur, aequale. Adiungo igitur mortale, ac dico hominem esse animal rationale, mortale. Id aequatur ad hominem. Nam et qui homo est, animal rationale, mortale est, et quod est animal rationale mortale, homo est. Dico igitur hominis hanc esse definitionem, quae ex pluribus communibus iunctis unum tamen quiddam proprium homini atque aequale confecit. Atque in ceteris definitionibus eadem ratio est, ut definitiones fiant collectis communitatibus in unumque copulatis, quum necesse sit illa copulatione, quae communia sunt, contrahi atque in minorem cohiberi modum, eique, quod definitur, ex communitatibus coniunctis aliquid proprium atque aequale componitur. Hoc est igitur, quod ait Cicero, hunc esse definitionis modum: *quum sumpseris ea, quae sint ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, ut proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit:* ut his verbis et hac sententia breviter signare videatur, hanc esse definitionem, quae ex substantialibus communitatibus iuncta atque in minorem modum redacta fit ei rei, quae definitur, aequalis. Exempla vero, quae ponit, huiusmodi sunt, unum definiendae hereditatis, alterum gentilitatis. Hereditatis quidem hoc modo: *Hereditas est pecunia.* Commune hoc et multis aliis est conveniens, quae hereditates non sunt, ut donationibus vel furtis vel quibuslibet aliis pecuniariis rebus, quae minime sunt hereditates. Huic igitur pecuniae addendum aliquid fuit: id est: *quae morte alicuius ad quempiam pervenit.* Hereditas enim pecunia est ad quempiam morte perveniens. Sed ne id quidem plenum hereditatis explicat intellectum. Commune namque est, et pecuniae mortuorum pluribus teneri modis possunt, velut si bello quis victus est ac spoliatus. Addendum igitur est aliquid, *iure*, ut sit: *Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam iure pervenit.* Hereditates enim iure capiuntur. Videatur forsitan hoc loco definitionem posse consistere: sed minime. Quid enim, si legata pecunia est, hereditas quidem dici non potest, capta tamen morte alicuius iure pecunia est. Nam testamenta iure fiunt, pecunia etiam iure legatur. Adiiciendum est aliquid, id scilicet, quo ab hereditatibus legata separentur, ut dicamus, hereditatem esse pecuniam morte alicuius ad quempiam pervenientem iure, quae legata non sit. Num satis est definitioni? Minime. Quid enim, si meum quidem dominium sit fundi vel alicuius pecuniariae rei, alterius vero ususfructus? Nam morte

8. *in tantum*] Eins. Ven. — *iterum* ceteri. 12. *et quod - - homo est*] add. Eins. Ven.

eius, cui usus fructus competit, ad me res illa revertitur, quae in meo dominio proprietatis iure tenebatur, neque tamen hereditas esse potest. Adiiciendum igitur est, minime possessione esse retentam, id est, ut proprietatis possessione id, quod ex morte alicuius iure non legatum pervenit, non retineatur. Hoc autem modo possessione retineri potest, si sit nostra proprietas et eius, qui decesserit, ususfructus. Coniuncta igitur omnia in unum facient hereditatis definitionem hoc modo: *Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure, non legata neque possessione retenta.* Haec definitio est aequalis hereditati. Nam ut hereditas pecunia est morte alicuius ad quempiam perveniens iure, non legata neque possessione retenta: ita quaecunque pecunia alicuius morte ad aliquem iure pervenerit neque legata sit neque retenta, hanc hereditatem esse necesse est. Sed quum M. Tullius ad eum usque locum definiendo venisset, ut diceret hereditatem esse pecuniam, quae morte alicuius ad quempiam pervenisset iure, ait: *Iam a communitate res disiuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic: Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam iure pervenit.* Idque ita dictum est, quasi iam plena facta sit definitio. Quid enim est aliud explicatam esse definitionem et a communitate disiunctam, nisi perfectam et cui desit nihil? Sed rursus, quasi non sit explicata definitio nec a communitate disiuncta, adiicit: *Nondum est satis; adde, nec ea aut legata testamento aut possessione retenta.* Cuius adiectionis haec ratio est. Fecit enim definitionem aliis adiunctis, aliis separatis. Itaque id, quod definiebat, vel iis, quae adiunxit, vel iis, quae separavit, a ceterorum omnium communitate segregavit. Hereditatem enim dixit esse pecuniam; huic addidit, morte alicuius ad aliquem pervenientem, separavitque eam ab iis pecuniis, quae non morte alicuius ad aliquem, sed contractu viventium pervenirent. Addidit, iure, ut ab iis pecuniis separaret, quae per vim morte alterius ad quempiam pervenirent. His igitur duobus, morte atque iure, ea pecunia effecta est, quae ita a ceteris separaretur, ut tamen per legitimum acquirendi modum non inter utrosque vivos, sed inter unum vivum atque alterum mortuum fieret. Haec igitur una separatio a ceteris facta est, atque ideo ait explicatam esse definitionem et a communitate disiunctam. Sed quoniam in ea ipsa pecunia, quae morte et iure ad aliquem pervenit, inerant quaedam, quae hereditates non essent, harum separatione plena effecta est hereditatis definitio. Nam quum diceret hereditatem pecuniam esse, itemque quae morte alicuius ad aliquem pervenisset, itemque quae iure: haec omnia efficientia substantiam hereditatis apposita sunt. Sed quoniam erant in hac collectione quaedam, ad quae huius collectionis intellectus transferri posset nec tamen essent hereditates, veluti legatum aut possessionis retentio, his subtractis reliqua fuit hereditas, de qua intelligi possit, pecunia alicuius morte ad quempiam iure perveniens.

16. *disiuncta esse vid.* Eins. Ven. 17. *alicuius morte* Eins. 22. *neque aut* (om. *ea*) Eins. 31. *separaretur*] Eins. — *separetur* Edd.

Non igitur legatum aut possessionis retentio substantiam hereditatis efficiunt, quippe quae impedirent ad eius substantiam demonstrandam, nisi removerentur. At vero nec negatio quidem cuiusquam substantiam perficit, sed tantum, quid non sit, ostendit. Quod si legatum et possessionis retentio hereditatis substantiam non modo non complent, verum etiam impediunt atque corrumpunt, nisi fuerint disiuncta atque seposita; quumque harum negatio nihil ex hereditatis substantia monstret, sed tantum, quid non sit, ostendat: relinquitur pars superior, id est, pecunia morte alicuius ad quempiam iure perveniens, quae substantiam hereditatis ostendat, eaque sit explicata definitio a ceterisque disiuncta. Sed quoniam rursus, ut dictum est, quaedam sunt, ad quae derivari huius definitionis intelligentia possit, idcirco ad discretionem integram designandam, reliqua pars additur. Itaque quoniam ista demonstrant hereditatem efficiuntque substantiam, iure dictum est: *Iam a communitate res disiuncta videtur, ut sit explicata definitio sic: Hereditas est pecunia, quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure.* Sed quoniam rursus hic intellectus ad plura intra se posita poterat convenire, non immerito additum est: *Non est satis* et cetera, quae legatum et possessionis retentionem ab hereditatis definitione seiungunt. Ac de priore quidem hereditatis exemplo haec dicta sint. Ad huius vero similitudinem etiam secundum tractat exemplum, quod de definitione gentilitatis est positum. Gentiles enim sunt, qui eodem nomine inter se sunt, ut Scipiones, Bruti et ceteri. Quid, si servi sunt, num ulla gentilitas servorum esse potest? Minime. Adiiciendum igitur: qui ab ingenuis oriundi sunt. Quid, si libertinorum nepotes civium Romanorum eodem nomine nuncupentur? num gentilitas ulla est? Ne id quidem; quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur. Addatur igitur: quorum maiorum nemo servitutem servivit. Quid, si per adoptionem in alterius familiam transeat? Tunc, etiam si eius gentis, ad quam migravit, nomine nuncupetur, licet ab ingenuis et ab iis ortus parentibus sit, qui nunquam servitutem servierint, tamen, quoniam in familia gentis suae non manet, ne in gentilitate quidem manere potest. Addendum igitur est: neque capite sunt diminuti. Hoc fortasse, inquit, satis est secundum Scaevolae Pontificis definitionem; nihil enim ulterius adiecit, ut sit definitio gentilium haec: Gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo servitutem servivit, et ubi gentilitatem nulla capitis diminutio destruxit. Haec quoque definitio facta est ex pluribus communitatibus in unum confluentibus atque unam proprietatem eius rei, quae definiebatur, id est, gentilitatis, facientibus. Hic igitur definitionis modus in utroque genere rerum valet, sive quae sunt, sive quae non sunt, id est, sive corporalium, sive incorporalium. Nam, ut superius ostensum est, id esse Cicero dicit, quod corporale sit, id non esse, quod est incorporale. Ac postremo omnium definitionum modus hic est, ut ex pluribus communitatibus aliqua proprietas fiat. Sed distant a se definitiones, quod eae, quae proprie definitiones vocantur, ex iis communitatibus coniunguntur, quae substantiales sunt,

illae vero, quae non vere, sed abutendo definitiones dicuntur, ex accidentibus communitatibus congregantur.

(Cap. 6. §. 30. — cap. 8. §. 32.) *Partitionum autem — — — reliqua videamus.*

Quoniam definitionum formas in partitionem divisionemque distribuit, ne qua rerum auditor similitudine turbaretur, divisionis ac partitionis differentias prodit, ac primum aliud partes, aliud species esse demonstrat. Species enim saepe partes, partes vero nunquam species appellantur. Differunt vero haec a se, quoniam pars totius membra coniungit, species vero genus dividit atque dispertit. Nam, ut superius quoque dictum est, partes eius, quod copulant, non suscipiunt nomen totius. Neque enim fundamenta vel tectum domus esse dici possunt. Nam nisi omnia, quae quid efficiunt, iuncta sint, totius vocabulum singula non habebunt. At vero species etiam singulae generis suscipiunt nomen, ut homo animalis. Quo fit, ut in his illa quoque differentia possit agnosci, quod partes quidem totius partes, species vero non totius, sed universalis rei, id est, generis, species esse dicuntur. Differt vero totum a genere, quod genus universale est, totum vero minime. Quod probatur hoc modo. Si enim id, quod totum dicitur, ut domus, universale esset, partes quoque eius totius susciperent nomen; at non suscipiunt, ut saepe monstratum est: quod igitur totum est, universale non est. Genus vero universale esse manifestum est, quoniam eius nomen deductae ab eo formae suscipiunt. Item alia differentia. Genus semper speciebus suis prius est, totum vero suis partibus posterius invenitur. Nisi enim partes fuerint, totum non potest iungi. Quo fit, ut, si genus pereat, species quoque perimantur; si species intereat, maneat genus: quod in partibus totoque contrarium est. Nam si pars quaelibet una pereat, totum necesse est interire; si vero totum, quod partes iunxerant, dissipetur, partes maneant distributae; veluti si domus tecta et parietes et fundamenta a semet ipsis extrinsecus posita intelligantur, domus quidem non erit, quia coniunctio destructa est, partes tamen manebunt. Propriis igitur nominibus M. Tullius partes quidem veluti totius membra appellat, species vero formas idcirco, quoniam non satis ei apta videtur inflexio casuum ab eo nomine, quod est species. Et licet plures, inquit, usurpaverint hoc nomen, tamen, quoniam dura huius nominis per casus inflexio est, quum dicitur *speciei*, *specierum*, *speciebus*, idcirco commoditatem in dicendo, ut ipse ait, non arbitratus est negligendam, ut formas vocaret, in cuius nominis casibus nulla esse sentitur asperitas. Et quoniam forma praeter genus esse non potest (nihil enim praeter suum potest esse principium), utrorumque apposuit definitiones dicens, genus esse notionem ad plures differentias pertinentem. Notio vero est intellectus quidam et simplex mentis conceptio, quae ad res plures pertineat a se invicem differentes. Id vero genus esse manifestum est, quod apertissimo liquet exemplo. Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet,

---

1. *vere*] Eins. Ven. — *verae* ceteri. 10. *genus*] Eins. Bass. — *totum* Ven. Paris.

ad rationale scilicet atque irrationale, ad mortale etiam atque immortale, ad ambulabile, reptile, volatile, natabile, et est eorum omnium, quae sub his differentiis sita sunt, genus. Idem vero signat haec definitio, quod etiam vetus; haec huiusmodi est: Genus est, quod de pluribus specie differentibus in eo, quod quid est, praedicatur; velut animal genus ad plures res specie differentes, id est, ad hominem atque equum, in eo, quod quid est, praedicatur. Nam interrogantibus: quid est homo vel equus? animal dicitur. Item formae definitionem talem dedit: *Forma est notio, cuius differentia ad caput generis et quasi fontem referri potest;* et recte. Nam si formae a genere deducuntur, species necesse est referantur ad genus. Si igitur principium quoddam et fons formae genus est, necesse est, ut intellectus formae ad primordium suum, id est, notionem generis, revertatur. Intellectus enim hominis refertur ad animal, itemque equi et ceterorum. Notionem vero appellat, quod Graeci ἔννοιαν vel πρόληψιν dicunt. Huius haec est definitio: *Notio est insita et ante percepta cuiusque formae cognitio enodationis indigens.* Haec vero definitio hinc tracta est, quod Plato ideas quasdam esse ponebat, id est, species incorporeas substantiasque constantes et per se ab aliis naturae ratione separatas, ut hoc ipsum homo, quibus participantes ceterae res homines vel animalia fierent. At vero Aristoteles nullas putat extra esse substantias, sed intellectam similitudinem plurimorum inter se differentium substantialem genus putat esse vel speciem. Nam quum homo atque equus differant rationabilitate atque irrationabilitate, horum intellecta similitudo efficit genus. Nam similitudo equi et hominis substantialis ea est, quod uterque substantia est, uterque animatus, uterque sensibilis: quae iuncta efficiunt animal. Est namque animal substantia animata sensibilis. Igitur hominis atque equi similitudo est animal, quod est genus. Rursus quum Plato atque Cicero numero accidentibusque distarent, horum similitudo, quae est humanitas, intellecta atque animo formata, species est. Ergo communitas quaedam et plurimorum inter se differentium similitudo notio est: cuius notionis aliud genus est, aliud forma. Sed quoniam similium intelligentia est omnis notio, in rebus vero similibus necessaria est differentiarum discretio, idcirco indiget adhuc notio quadam enodatione ac divisione, velut ipse intellectus animalis sibi ipse non sufficit. Nam mox animus ad aliquod animal, id est, vel hominem vel equum, deducitur inquirendum, et hominis notio vel ad Tullium vel ad Platonem vel ad quemlibet singularium personarum refertur. Quae quum ita sint, quotiens genus dividitur in formas, nullam praetermitti oportebit. Est enim vitium vel maximum, si qua dividentem forma praetereat, veluti, si quis ius dividere velit, in legem, morem atque aequitatem necesse est partiatur. Nam et lex et mos et aequitas et singula et in commune iuris vocabulo subiecta sunt. Culpat vero illorum inscitiam, qui idem species vel formas putant esse, quod partes, conturbarique eos inscitia dicit, quod res a se plurimum differentes imperite atque improvide

16. *praecepta* Eius.

distinguere ac segregare non curant. Sed quoniam de definitione loquebatur, addit aliam speciem definitionis, quam nos superius enumeravimus, quae per translationem non proprietatis veritatisque, sed splendoris atque ornatus ratione perficitur, quod poëtarum atque oratorum esse autumat, quibus luculenta oratio curae est. Huius definitionis exemplum a iure civili Tullius petit, aitque se non aliter ab exemplis notioribus Trebatio recessurum, quam si necessitas cogat. Per translationem vero definitio est, veluti quum Aquilius littus definire volens dicebat, littus esse, qua fluctus eluderet. Hoc eludere ab iis translatum est, qui agitatione aliqua causa lusus moventur. Itemque adolescentia flos aetatis; id ad arboribus ductum est, quarum fructus flores praecedunt. Et senectus vitae occasus; id a die ductum est, qui desinit esse, quum sol occidit: quae translationes a proprietate discedunt et quadam similitudine subiecta signant. Est enim translatio, quotiens habenti rei nomen propter alterius rei similitudinem a re simili nomen imponitur, ut motus habet proprium nomen, item lusus suo vocabulo nuncupatur. Sed qui dicit, *qua fluctus eluderet*, a similitudine agitationis ad fluctuum motum vocabulum transfert. Ac de definitionibus quidem disputationem terminans ad partitiones transitum facit. Sed nunc tertio volumini satis est: reliqua in posterum differamus.

BOETHII

COMMENTARIORUM

LIBER QUARTUS.

Explicare non possum, mi Patrici, quantas saepe in difficillimi operis cursu vires afferat amicitiae contemplatio, quum et iis studiosius componamus, quos reposito penitus amore diligimus, et placere cupientibus multa sese rerum copia subministret. Huc accedit, quod, ut quaeque in mentem venerint, iniudicata atque etiam incastigata promuntur, quando quidem apud cari pectoris secretum nihil est periculi proferre quod sentias. Est igitur mihi, quum tuam benevolentiam specto, pronum omne atque, ut ita dicam, voluptarium, quod in tuae praescriptum iucunditatis impenditur. Sed quum memet ipse perpendo, vereor, ne imperato muneri par esse non possim et deficientis culpa in adhortantis cedat iniuriam. Quo fit, ut tibi etiam atque etiam providendum sit, ne tuis ipse moribus emendatus nostri alicuius erroris sarcinam feras. Nosti oblatrantis morsus invidiae, nosti, quam facillime in difficillimis causis livor iudicium ferat. Quaeso igitur extremam nostro operi manum communis negotii studiosus imponas, abundantia reseces,

hiantia suppleas, errata reprehendas, sis postremo nostri laboris tuaeque adhortationis assertor, quum praesertim securum me peractum reddat officium, quo te amici pudor dignius possit convenire, si displicet. Sed haec alias: nunc operis suscepti tramitem persequamur. Quoniam locorum in ipsis, de quibus quaeritur, terminis inhaerentium alii sunt a toto, alii a partibus, alii a nota, alii ex affectis: de eo quidem loco, qui a toto est et in definitione est constitutus, sufficienter disseruit superiore tractatu. Nunc de partium enumeratione dicere instituit, rectam ordinis viam scilicet insistens, ut non solum exemplo, qualis esset partium enumeratio, perdoceret, verum ratione quoque ostenderet, quomodo partium enumeratione in argumentationibus esset utendum.

(Cap. 8. §§. 33—34.) *Partitione autem sic — — distare voluerunt.*

Sensus huiusmodi est: Rerum, quae partibus coniunguntur, aliae quidem paucas et facile intelligibiles comprehensibilesque partes habent, aliae vero plures intellectuque difficiles. In iis igitur partibus, quae sunt paucae ac facile sub intelligentiam cadunt, vel maximum vitium est, si partiendo aliquid relinquatur. In iis vero, quarum, ut ipse ait, infinitior numerus est et confusior perspectio, minus vitiosum est, si qua dividentem pars in enumeratione praetereat. Fit autem hoc non solum per eas res, quae aliquibus partibus constant, verum etiam saepe per partes ipsas, quas in distributione partimur, ut, si hominis corpus velimus intellectu ac ratione per propria membra disiungere, faciemus ita: caput, humeros, manus, thoracem, ventrem, suras atque pedes. Et quoniam maiores partes sumpsimus ad dividendum, idcirco nihil praetermissum esse videtur; at, si minutissimas particulas persequamur, tunc oculi quoque et labia et nares atque aures earumque partes persequendae sunt, idque in toto corpore faciendum, eoque modo difficilior erit partitio, quum sit partium numerus infinitior. Saepe etiam, ut dictum est, res ipsae his partibus iunctae sunt, quarum non sit facilis inspectio, ut, si quis stipulationem et iudiciorum formulas partiatur, vel etiam si figuras loquendi, quae σχήματα Graeci vocant, dividi necesse sit. Hic igitur si quid praetermissum sit, non erit vitium partientis, quia partium natura multiplex saepius obtendit errorem. At si quis genus dividat, perniciosum est aliquam praeterire formam, quoniam formarum finita quantitas est. Nam quia semper in contrarium dividuntur, aut duae sunt semper species generis aut tres, et tunc tres, quum ea tertia, quae sumitur, ex contrariorum permixtione perficitur, ut, si colorem dividamus, dicendum est ita: Coloris aliud est album, aliud nigrum, aliud medium. Id medium ex albi coloris ac nigri commixtione coniunctum est, quamvis in quamlibet aliam coloris speciem transferatur, seu purpurei, seu rubri, seu viridis. Itaque si tale est, quod dividis, talesque sunt partes, quas ad divisionem sumis, quas non difficulter intelligentia comprehendat, vitium erit, si quid omiseris; velut, si tutelas partiaris. Tutela quippe quattuor fere

35. *ostendit* Ven. Paris.

modis est; aut enim consanguinitatis gradu aut patronatus iure defertur, aut testamento patris tutor eligitur, aut urbani praetoris iurisdictione formatur: et sint forsitan plures, sed nunc istae sufficiunt. Hic igitur et paucae partes et facile comprehensibiles. At si stipulationum formulas et iudiciorum comprehendere velis, quoniam multae in his partes sunt, non erit vitiosum, si quid omiseris. Improprium vero est exemplum partium, quod de tutelis est dictum; magis enim ut genus in formas, quam ut totum in partes, tutela divisa est. Nam sive per consanguinitatem sit tutor, sive patronatus iure, sive ceteris modis, integrum tutelae ius habet, quod in singulis partibus non solet evenire, ut totius integrum capiant nomen. Sed ut conveniens videatur exemplum, requirendae sunt tales tutelarum partes, quae iunctae tutelas efficere possint, non quae singulae tutelae nomine designentur, quod nescio an quisquam iurisperitiae professorum tales tutelae partes ediderit. Merobaudes vero rhetor ita intelligendum probabat, ut id, quod ait, *Partitione sic utendum est, nullam ut partem praetermittas*, de divisione dixerit, id est, de una parte propositae partitionis. Nam et divisio et per membra distributio partitio nuncupatur. In divisione enim vitiosum est aliquid praetermittere, in partitione membrorum minime. Ita exemplum de tutelis ei partitioni accommodatum dedit, quae est divisionis. At si divisionem facias, id est, formarum a genere partitionem, summum est vitium aliquid praetermittere, quoniam, quum sit finitus formarum numerus, si quid omissum sit, inscitia praeteritur: ut, si oratorias quaestiones in formas dividere velimus, dicemus omnem rhetoricam quaestionem aut de facto esse aut de qualitate facti aut de nomine. At si locutionum figuras sententiarumque distribuam, non erit, ut dictum est, vitium, transire aliquid, quandoquidem sententiarum inter se atque locutionum figurae et multiplices et varia ratione diversae sint. Hic quoque figurarum partes non ita videntur accipi posse, quemadmodum totius, sed ut generis species. Una quaeque enim figurarum, quae infinitae sunt, velut figurae generalis species est: quod possumus intelligere ex iis libris rhetorum, ubi de elocutione tractatur. Nullae namque sunt figurarum partes, quae figuras iungant ita, ut singulae figurae nomen universalis figurae non possint admittere. Sed obiici nobis potest: Et quomodo infinitae sunt figurae, si species sunt? Sed respondebo leviter, elocutione mutata figuram quoque mutari, atque idcirco in potestate esse dicentis, figuras facere, quas is, qui tractat, difficile, antequam fiant, possit agnoscere: hae vero non substantialibus quibusdam differentiis constituuntur, sed potius accidentibus explicantur. Unde fit, ut tunc communis nominis in significationes partitio fieri videatur, quum figura dividitur, potius quam generis in species. Omnia vero significata cuiusque nominis divisione includere difficile est, quia nova plerumque finguntur; sed ne id quidem rerum ratio permittit. Nam una quaeque figura generalis figurae nomine et definitione comprehen-

---

3. *sint*] Eins. — *sunt* Edd. 6. *Improprium*] Ven. Paris. — *In promptu* Bas. 21. *accommodatum* om. Paris.

ditur. Quocunque enim modo figura definitur, eadem erit definitio etiam unius cuiusque figurae. Quae res unam quamque figuram universalis figurae speciem esse declarat. Univoca enim sunt species et genus. Sed est illud verius, partitionem figurarum ad elocutionem ipsam Tullium retulisse, cuius pars quaedam est figura, non species. Variis enim multiplicibusque figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis enim elocutionem partiri velit in figuras, non genus in species, sed totum secabit in partes. Quae quum ita sint, ex hoc quoque apparet, quid intersit inter divisionem partitionemque: quum partitio interdum talis sit, ut, si quid in ea praetermissum sit, nihil afferat vitii; divisio vero formarum talis est, ut in ea non queat aliquid sine culpa praeteriri. Quo factum est, ut, quia res differebant, diversa etiam vocabula rebus inter se distantibus inderentur.

(Cap. 8. §§. 35—37.) *Multa etiam ex notatione — — intelligi posse.*

Post enumerationem partium recto ordine de notatione perpendit. Notatio igitur est, quotiens ex nota aliqua rei, quae dubia est, capitur argumentum. Nota vero est, quae rem quamque designat. Quo fit, ut omne nomen nota sit, idcirco, quod notam faciat rem, de qua praedicatur: id Aristoteles *σύμβολον* nominavit. Ex notatione autem sumitur argumentum, quotiens aliquid ex nominis interpretatione colligitur. Interpretatio vero nominis *ἐτυμολογια* Graece, Latine *veriloquium* nuncupatur; *ἔτυμον* enim Graece *verum* significat, *λόγος orationem*. Sed quia id veriloquium minus in usu Latini sermonis habebatur, interpretationem nominis Tullius *notationem* appellat. Ea est huiusmodi, ut, si quaeratur: Quid est postliminium? In qua quaestione non illud videtur inquiri, quae res postliminio revertantur. Hoc enim in divisionem caderet, id est, earum omnium rerum enumerationem, quae postliminio redeunt, postularet; velut, si ita dicamus: Postliminio redeunt homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frenos recipere solet, id est, domita. Nunc enim enumeratae sunt res, quae postliminio revertantur. At quum, quod sit ipsum postliminii ius, quaeritur, potest ex ipsius nominis interpretatione cognosci. Postliminio enim redit, quisquis captus ab hostibus ad patriam remeaverit. Namque dum captivitatem hostium patitur, ius civis amittit; omnia vero iura recipit, si postliminio revertatur. Ergo ex notatione nominis ita ius postliminii clarescere potest, ut, quia *post* semper id significat, quod retro relinquitur, postliminii vocabulo quaedam reversio significetur, ut Servius probat, qui ex adverbio *post* vim nominis interpretatur, reliquam vocabuli partem protractionem solam esse confirmans. Nam in eo, quod est postliminium, ex eo, quod *post* est dictum, interpretationem nominis sumit, *liminium* vero supervacuo putat esse productum. Ad horum nominum formam *meditullium* ponit: prima enim pars *medium* significat, *tullium* vero

---

13. *inderentur*] Paris. — *inderent* Ven. — *viderentur* Bass. 39. *ut — — significetur*] Elus. — *unde — — significatur* Ven. Paris. — *ut — — significatur* Bass. 42. *post est*, *dictam int.* Paris.

nihil; et *legitimum* et *aeditimum:* in utrisque enim, *lex* ibi, *aedes* ibi aliquid, *timum* vero nihil omnino designat. Id vero nomen, quod est postliminium, Scaevola P. F. ex adverbio *post* et *limine* putat esse compositum. Nam quia ad idem *limen*, quod reliquit, *post* revertitur is, qui *postliminio* redit, idcirco ex utrisque significationibus arbitratur nomen esse coniunctum. Quaecunque enim a nobis abalienata ad hostem perveniunt, quum a nostro limine exierint, si post ad idem limen revertantur, postliminio redeunt. Quo modo etiam Mancini causa defendi potest, quem quum populus Romanus ob foedus male ictum dedidisset, hostes eum suscipere noluerunt: qui quum reversus esset, postliminio redisse videbatur idcirco, quia, si eum hostes recepissent deditum a civibus, etiam si quoquo modo ab hostibus effugisset, non videretur postliminio regressus, qui iudicio civium omni libertatis iure fuisset exutus; sed quoniam nec deditio nec datio nec donatio praeter acceptionem videtur posse consistere, idcirco, qui susceptus non sit, ne deditus quidem intelligi posset. Recte ergo Mancinus, qui non deditus in hostium, si ea uti vellent, pervenerat potestatem, quum in patriam remeavit, iure postliminio redisse defensus est.

(Cap. 9. §. 38.) *Sequitur is locus — — pluendo crevisset.*

Quum locum, qui ipsis, de quibus quaeritur, inhaereret, in quattuor differentias supra distribuit, a toto, ab enumeratione partium, a nota, ab affectis, quoniam diligenter de superioribus tribus paullo ante tractavit, nunc quartum locum, id est, affecta, persequitur. Et quoniam locus ab affectis in plurimas differentias solvebatur, quarum prima a coniugatis proposita est, primum loquitur de coniugatis, quae multum a notatione non differunt. Nam quia notatio ex vi nominis trahitur, itemque coniugatio similitudine vocabuli continetur, aliquod inter se veluti confinium tenent. Sed hoc interest, quia notatio expositione nominis, coniugatio similitudine vocabuli ac derivatione perficitur. Et quoniam facilis et intellectu et tractatu locus est, tantum ponere sufficit exemplum, quod est huiusmodi: Aqua pluvia est, quae pluendo colligitur et crescit. *Pluendo* vero atque *pluvia* coniugata sunt. In uno enim eodemque vocabulo diversus nominum terminus differentiam facit. Item: Ius est aquam pluviam arceri, id est, ut, si in alicuius agro pluvia aqua colligatur et in alterius agrum defluat eaque vicini frugibus nocitura concrescat, arceat eam suis finibus ille, qui id sua putat interesse, ne defluat. Si fluvius igitur pluvia creverit, quaeritur, an debeat arceri. Respondetur, inquit Mucius, quoniam aqua pluvia a pluendo dicta sit, fluvium quoque, qui pluendo creverit, aquam esse pluviam atque arceri debere.

(Cap. 9. §. 39.) *Quum autem a genere — — alterum non iubetur.*

Talis generum specierumque intelligitur esse natura, ut, quum colliguntur vel etiam dividuntur, ab individuis per species et genera usque

4. *quod reliquit, post rev.*] Orellius. — *quod post reliquit, rev.* Eins. Ven. Paris. — *quod prius reliquit, rev.* Bas. 17. *si ea uti vellent*] Eins. Bas. — *si eo uti vellent* Paris. — *si ea uti mallent* Ven.

ad maxima genera possit ascendi, itemque a maximis generibus per infra posita genera ac species usque ad individua valeat esse descensus. Id vero uno clarum fiet exemplo. Cicero quippe individuum est; huius species homo; huius genus animal; huius superius genus est corpus animatum; et, si longius ascendas, corpus altius genus invenies; si prolixius egrediare, substantia ultimi loco generis occurrit. Quum igitur multa sint genera, si cuiuslibet speciei genus assignandum sit, non necesse erit, inquit, maxima et principalia genera semper exquirere, verum eorum quoque aliquid, quae in medio locata sunt, oportebit adhibere, illa tamen ratione servata, ut semper genus superius sit eo, ad quod praedicatur ut genus. Extrema quippe inscitia est, si, dum genus semper natura speciebus propriis superponatur, loco generis id, quod est inferius, collocetur. Quocirca vitiosum est, si quis corporis genus dicat esse corpus animatum. Quo fit, ut, si ad speciem aptandum est genus, eorum, quae superiora sint, aliquid aptemus, et non erit necesse ultimum semper genus adhibere, ut, si homini genus proprium praeponere velimus, non necesse est, ut substantiam praeponamus, sed vel corpus vel corpus animatum vel, quod maxime fieri oportet, animal. Illa enim semper genera sumenda sunt, quaecunque proxima formis adhaerent, eaque in definitione maxime requiruntur; sed in argumentationibus nihil differt, utrum proximum eligas, an superius genus. Nam quoniam ex continenti fit argumentatio, plus continet id, quod est superius genus. Quocirca, si de homine aliquid ambigitur et a genere argumentandi sumitur locus, quidquid de animali dicetur, id etiam de homine praedicabitur. Quo fit, ut, si quid etiam de animato corpore praedicetur, idem de homine dici possit. Ut igitur argumentationes ex proximis generibus fiunt, ita etiam ex ulterius constitutis. Sed in his omnibus illud est, quod maxime considerandum videtur, ne id, quod est inferius, superiori praeponatur ut genus. Et sententia quidem talis est. Quod vero ad exemplum attinet, declarabitur hoc modo. Sit aqua pluvia ea, quae deiecto de caelo imbri colligitur. Huius species duplex est; alia enim aqua pluvia nocens est, alia non nocens. Nocentis quoque duplex species est, alia manu, alia vitio. Aqua pluvia manu nocens est, quae ita loco aliquo excipitur, ut inde profluens vicino noceat, si locus is non sit naturaliter talis, sed manu hominis excipiendae aquae fuerit apparatus; vitio vero, quotiens naturaliter ita sese locus habet, ut excipere aquam possit et nocere vicino. Si eius igitur aquae, quam quis arceri velit, ne sibi noceat, a vicino, genus velit exquirere, non necesse est ab ultimo usque genere deducere, ut dicat aquae eius, quam quis velit arceri, genus esse aquam pluviam; sed potest id, quod inquirit genus, paullo inferius invenire, ut huius aquae, quam arceri desiderat, id genus esse dicat, quod est aqua pluvia nocens. Quod si genus proximum quaerat, illud poterit adhibere, quod est, aqua pluvia manu nocens. Hoc enim arcere quis cogitur, quod manu fit noxium; quod vero loci forma vel vitio incommoditatis aliquid apportat, arcere non cogitur. Quod autem

2. *ac species* add. Eins. Ven. 5. *altius*] Eins. — *alterius* Edd.

diximus eius aquae, quam arceri oporteat, genus esse aquam pluviam manu nocentem, ita intelligendum est, si aqua, quae arceri debet, plurima sub se habeat individua et similia; tunc enim demum eius aquae, quae arceri debet, aqua pluvia manu nocens genus esse poterit. Quod si aqua, quae arceri debet, in nulla individua diducatur, ipsa est individua, nec eius genus est aqua pluvia nocens manu, sed species. Quod si cui paullulum videtur obscurius, hic, si eos commentarios, quos de genere, specie, differentia, proprio atque accidenti composuimus libris quinque digestos, inspexerit, nihil horum poterit incurrere, quo caliget.

(Cap. 9. §. 40.) *Commode etiam — — firmum videri solet.*

Dictum est, quemadmodum genus ad speciem debeat aptari, atque in eo praescriptum est, ut nisi id, quod est superius, adhiberi non debeat. Nunc illud adiungitur, quemadmodum eius loci, qui a genere ducitur, in argumentationibus commodior usus esse possit. Quotienscunque enim de re aliqua dubitatur, si facta generis alicuius divisione sub aliqua eius generis parte id, de quo ambigitur, potuerimus includere, tunc a genere tractum esse argumentum videtur, hoc modo: Sit dolus malus, quando aliud agitur, aliud simulatur. Huius ergo si species dividantur et id, quod factum arguimus, alicui earum specierum, quae a dolo malo deductae sunt, potuerimus adiungere: quidquid de dolo malo existimabitur, idem etiam de ea re, quam arguimus, necesse est iudicari, et factum est argumentum a genere. Nam de quo quaeritur, species est, et id, a quo sumitur argumentum, genus est, scilicet, si ita contigit dolus malus. Locus vero hic ab eo, qui est a partium enumeratione, diversus est. Nec si enumeramus partes, id est, formas aut species, idcirco non a genere, sed ab enumeratione partium ducitur argumentum. Quotiens enim ipsa partium enumeratione utimur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum esse dicimus, ut hoc modo: Si fundamenta et parietes et tectum habet et habitationi est destinatus locus, domus est. Ipsa igitur partitione utentes domum esse probavimus. Quotiens vero sub genere aliquid collocandum est divisisque partibus alicui eorum, quae a genere deducuntur, id, de quo quaeritur, aggregamus (ut hoc modo: Si Ciceronem animal esse monstremus, dicemus ita: Omne animal aut rationale est aut irrationale; sed Cicero rationalis est: animal igitur est), non partitione utimur principaliter ad argumentum constituendum, sed idcirco genus divisimus, ut in una qualibet divisione id, quod nitebamur ostendere, posset includi, id est, ut id, de quo dubitatur, in assumpti continentiam generis redigeretur atque de eo per generis naturam fides fieret. Sic ergo a genere facta argumentatio iure dicetur. Amplius partium enumeratio totius efficere substantiam solet, sive illud universale sit, ut genus, sive partium coniunctione copuletur, ut totum. At vero haec divisio generis, in cuius parte quaelibet illa res, de qua contenditur, includenda est, non id efficit, ut totius substantia constituatur, sed ut illud, quod approbare quaerimus, intra genus locetur. Quem argumentationis modum in primis M. Tullius validum esse confirmat. Illa enim regula satis vera est atque

necessaria, quae de genere praedicantur, eadem de specie modis omnibus praedicari. Illud vero quaeri perutile est, quum aliquid de particularibus rebus probatur ex superposita proxima specie, ut, si Socratem rationalem esse probamus, quoniam sit homo, quum sit homo rationalis: utrum ex genere, an ex forma argumentum ductum esse arbitremur. Nam si dicamus, ex genere, ultima species genus non est; si ex specie, superpositum genus semper species probare desiderat. Socrates vero, cui fidem praestat homo, quoniam rationalis est, species hominis non est, sed dicendum est, quoniam veluti a genere tractum videbitur argumentum. Nam ex genere quasi ex continenti atque ampliore et de substantia praedicato fides ducitur, quam sortem ad sua individua speciem nemo dubitat obtinere. Nam et continet ea et de eorum substantia praedicatur.

(Cap. 10. §§. 41—45.) *Similitudo sequitur — — — argumenta ducuntur.*

De similitudinis loco plane atque expedite disseruit omnemque aperuit intellectum, similitudinum dividens formas, praescripsitque apertissime, quibus magis ex similitudine argumenta contingerent, id est, philosophis atque oratoribus. Etenim similitudo persuasionibus videtur aptissima. Nam quod in unam vel plures extra eam, de qua quaeritur, causam cadere solet, facile credi potest in eam quoque, de qua ambigitur, convenire. Idcirco ex similitudine tractae argumentationes magnum oratoribus usum praestant. Philosophis quoque, quoniam non in omnibus quaestionibus demonstratione utuntur, sed aliquotiens veri similia colligunt, quo id facilius persuadeant, quod nituntur ostendere, similitudo rerum saepe est conquirenda. Atque idcirco locus a similitudine oratoribus maxime philosophisque conducit, non tamen solis. Omnes enim loci communes sunt cuiusque materiae, sed in alias uberius incidunt, in aliis angustius inveniuntur. Quocirca cognitis atque ante perceptis locis quaestiones ipsae, quae tractabuntur, quibus uti debeat, sollertem animum poterunt admonere. Omnis vero similitudo duplex est; aut enim ex pluribus rebus similitudo colligitur et *inductio* nuncupatur, quod Graeci ἐπαγωγὴν nominant, aut singulae res per similitudinem comparantur. Ac prior quidem huiusmodi est. Si tutor fidem praestare debet, si socius, si cui mandaveris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Nam quum in pluribus rebus fides praestari debeat unaque similitudo sit in fide praestanda tam in tutore quam socio atque eo, cui mandatum sit, eoque, qui fiduciam acceperit: debet eadem similitudo procuratori etiam convenire. Fiduciam vero accepit, cuicunque res aliqua mancipatur, ut eam mancipanti remancipet; velut, si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipet, ut ei, quum tempus, quod suspectum est, praeterierit, reddat: haec mancipatio fiduciaria nominatur idcirco, quod restituendi fides interponitur. Hac similitudinis collectione plurimum Socrates esse usus dicitur, ut in Platonis aliorumque eius sectatorum voluminibus invenitur. Quotiens vero una res uni rei per similitudi-

---

9. *species*] Eins. — *genus* Edd. 25. *aliquot. universalia coll.* Ven. Paris.

nem comparatur, hoc modo colligitur argumentum. Regundorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt, ut, si fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio. Sed fines in agrorum tantum limitibus esse dicuntur; arbitri autem finium regundorum in civitate esse non possunt. Item arceri aquam in agris tantum dici solet, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur et defluens in campos vicini pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendae aquae a magistratibus statuebantur. Quaeritur ergo, an in urbe arcendae aquae arbitrum possimus adigere, et argumentum capitur ex similitudine. Si regundorum finium, quia solius agri sunt, in urbe arbitrum adigere non possis, ne aquae quidem arcendae, quia solorum esse videtur agrorum, in urbe arbitrum possis adigere. Hic igitur una res uni rei similitudine coniuncta est. Ex eodem etiam similitudinis loco illa sumi Cicero proponit, quae vocantur exempla; veluti Crassus in causa Curiana, quae fuit huiusmodi. Quidam praegnantem uxorem relinquens scripsit heredem postumum, eique alium substituit secundum, qui Curius vocabatur, ea conditione, ut, si postumus, qui intra menses decem proximos nasceretur, ante moreretur, quam in suam tutelam pervenisset, id est, ante obiret diem, quam testamentum iure facere posset, secundus heres succederet; quod si ad id tempus pervenisset, quo iam firmo iudicio in suam tutelam receptus iure civili instituto posset herede defungi, secundus heres, id est, Curius, non succederet: quae vocatur substitutio pupillaris. Quaesitum est, an valeret ita instituta ratio. Crassus igitur plurima protulit exempla, quibus ita institutus heres obtinuisset hereditatem: quae exemplorum commemoratio iudices movit. Dicit etiam ipsos quoque iuris consultos uti saepius exemplis; veluti, quum fingitur propositio vel causa, ut casus, de quo agitur, per similitudinem intelligatur, hoc modo. Si quis enim iuris peritus adiiciat id, quod non iure contractum est, nullius esse momenti, adhibeatque exemplum tale, veluti, si quis rem non mancipi mancipaverit, num idcirco aut rem alienavit aut se reo facto potuit obligasse? Minime. Quod enim non iure contractum est, nihil retinet firmitatis. Et alia huiusmodi apud iuris peritos inveniuntur, in quibus oratores maxime valent, quibus etiam in tantum fingere licet, ut eorum oratione etiam mortui saepe ab inferis excitentur: quod Tullius in ea facit oratione, qua Caelium defendit. Sed latior, inquit, est illorum campus, id est, oratorum, quibus spatiari ac devagari licet. Nec idcirco minus ceteris quoque facultatibus similitudines prosunt, quoniam eadem argumenta maximis minimisque causis conveniunt: quo fit, ut loci quoque argumentorum diversarum artium quaestionibus accommodentur.

(Cap. 11. §. 46.) *Sequitur similitudinem — modo solvere.*

Eiusdem facultatis est similitudines differentiasque cognoscere. Qui enim scit, quid sit idem, nosse poterit, quid sit diversum. Omnis vero similitudo idem aliquid esse constituit: quod enim idem est secundum qualitatem, id simile esse necesse est. Omnis quippe res aut

---

41. An: *quid sit idem, idem nosse pot.?*

substantia eaedem sunt aut qualitate aut ceteris praedicamentis. Quod si ita est, et animus intelligere hoc idem in pluribus praedicamentis potest. Sed quum hoc ipsum idem in praedicamentis notat, eodem modo in eisdem praedicamentis, quod diversum est, intuetur. Sed simile idem est, differentia vero diversum. Idem igitur animus eademque intelligentia similitudinem differentiamque cognoscit. Differentiarum vero multae sunt species. Aliae quippe sunt substantiales, ut homini rationale; aliae non substantiales, sed inseparabiles, ut nigrum Aethiopi atque corvo; aliae vero mobiles neque constantes, ut sedere, stare et huiuscemodi ceterae, quibus et ab aliis hominibus et a nobis ipsis saepe distamus. Item differentiae aliae aliquo modo sunt generum divisibiles, aliquo modo vero specierum constitutivae. Sed si a constitutivis argumentum ducatur, velut a genere ducitur. Nam sicut genus continet speciem, ita differentiae continent species. Sane si differentiae constitutivae ut genera intelligentur, fides ab his ad ea aptabitur, quae constituunt. Haec enim talium differentiarum veluti quaedam formae sunt. Quod si ad ea probanda referantur, quae in contrariam partem genus dividunt, tunc proprie a differentia fieri argumentum videtur, quia contrariae veluti differentiae comparantur. Quod vero ad exemplum attinet Tullii, huiusmodi est. Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebantur, pupilli item sub tutoribus agunt: sed mulieribus si quid debitum fuisset, sine tutoris auctoritate poterat solvi, pupillis vero minime. Ergo si quaeratur, an id, quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore possit exsolvi, a differentia sumitur argumentum sic: Non sicut mulieri sine tutoris auctoritate debitum possis exsolvere, eodem modo, nisi auctoritas tutoris accesserit, pupillo solvere, quod debeas, possis. Illae enim perpetua tutela etiam provecta iam aetate continentur; illorum tutelae certus annorum numerus terminum facit, atque idcirco solvi pupillo sine tutoris auctoritate non poterit. Differt enim persona mulierum a persona pupillorum vel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela, mulieres vero perpetua, vel quod pupillus nullum suae rei administrandae utilitatis iudicium habere potest, quum sit aliquis mulieribus, etsi non firmus, in explicanda familiaris rei utilitate delectus.

(Cap. 11. §§. 47 — 49.) *Deinceps locus est — — — contraria non convenire.*

Diviso differentiae loco nunc de contrariis tractat. Quare uti rerum ordo clarius colliquescat, pauca mihi ex Aristotele sumenda sunt, quae ille vir omnium longe doctissimus de hac divisione tractavit: quamquam M. Tullius re quidem Aristoteli fere consentit, sed ab eo nominum interpretatione diversus est. Nam quae Aristoteles opposita, id est, ἀντικείμενα, vocat, ea Tullius contraria nominat. Sed haec paullo posterius: nunc Aristotelis divisio consideretur. Oppositorum igitur secundum Aristotelem alia sunt contraria, alia priva-

---

20. *Mulieres antiquitus* cet.] Conf. Gaii Instit. lib. I. §. 144. 32. *suae ministr.* (om. *rei*) Ven. Paris. 33. *etsi non firmus*] Bass. Paris. — *etsi non infirmus* Eins. — *et non firmus* Ven. — An: *et non infirmus?*

tio et habitus, alia relativa, alia contradictoria: contraria quidem, ut album atque nigrum; habitus vero et privatio, ut visus et caecitas, dignitas et indignitas; relativa vero, ut pater filius, dominus servus; contradictoria, ut, est dies, non est dies. Horum omnium tales inter se differentiae considerantur. Nam quae contraria sunt, partim mediata sunt, partim vero medio carent. Mediata sunt, ut album nigrum: est enim horum medius quilibet alius color, ut rubens vel pallidus. Et horum contrariorum non necesse est alterum semper inesse corporibus; neque enim omne corpus aut album aut nigrum est, sed aliquotiens in horum medietate est constitutum, ut sit rubrum vel pallidum. Immediata vero contraria sunt, quorum nihil medium poterit inveniri, ut gravitas et levitas: horum enim nihil est medium. Nam quae levia sunt, sursum feruntur, quae gravia, deorsum. Quod autem sit corpus, quod neque rursum neque deorsum feratur, nihil poterit inveniri. Sed immediata contraria talia sunt, ut alterum eorum, cui potest accidere, semper inhaereat, ut in proposito superius exemplo. Necesse est enim omne corpus vel leve esse vel grave, quia levitas et gravitas medium non habent, quod praeterea inesse corporibus possit. At ea, quae in privatione et habitu sunt, ut caecitas et visus, distant quidem ab iis contrariis, quae claudunt aliquam medietatem, quod ipsa medietatem non habent; ab iis vero contrariis differunt, quae sunt immediata, quoniam horum contrariorum alterum semper subiecto inesse necesse est, ut corpori gravitatem vel levitatem, privationem vero et habitum non semper, ut, quum sit habitus quidem visus, privatio autem caecitas, non omne, quod videre potest, aut videt aut caecum est. Infans quippe nondum editus neque videt, quia nondum processit in lucem, neque caecus est, quia nondum habuit visum, quem potuisset amittere. Idem de catulis dici potest, qui statim nati nequeunt intueri: nam tunc eos nec caecos dicere possumus nec videntes. Et postremo contraria semper in suis qualitatibus considerantur. Privationes autem non, quod ipsae sint aliquid, sed ex habitus absentia colliguntur: neque enim caecitas est aliquid, sed a visus intelligitur abscessu. Tam vero privatio quam contrarietas differt a relationis oppositione eo, quod neque contraria neque privatoria simul esse possunt: idem enim uno eodemque tempore, uno eodemque in loco, album nigrumque vel videns caecumque esse non poterit. Sed relativa a se nequeunt separari; neque enim potest esse filius sine patre, nec servus, si dominus non sit. Amplius contraria ad se et privatoria non referuntur: nemo enim dicit album nigri vel nigrum albi vel caecitatem visus vel visum caecitatis. Quae vero in relatione sunt posita, in ipsa relationis praedicatione consistunt, ut duplum dimidii, dominus servi et cetera ad hunc modum. Tam vero contraria quam etiam relationes differunt a contradictionibus, quod contradictiones quidem semper in oratione consistunt et in altera earum parte veritas, in altera falsitas invenitur; contraria vero et privatoria et relationes in simplicibus partibus orationis, et in his neque veritas neque falsitas inest. Nam quum dico album nigrum, caecitas visus, dominus servus, simplices orationis partes sunt neque verum neque mendacium continentes; in simplicibus

enim partibus orationis veritas vel falsitas nulla est. Quum autem dico, dies est, dies non est, utraeque propositiones, una in affirmatione, altera in negatione posita, orationes sunt. Sed M. Tullius non tam propriis nominibus quam notioribus utitur. Ait enim contrariorum alia esse, quae adversa vocentur, alia, quae privantia, alia, quae in comparatione sint, alia, quae aientia et negantia nuncupentur. Sed quae contraria nominat, opposita verius dicerentur; quae adversa dicuntur, contrariorum melius susciperent nomen; quae in collatione nominat, ea relativa vel ad aliquid certius vocarentur. Sed utatur nominibus, ut volet, dum res ipsae certa proprietatis suae ratione signentur. Nos vero in ceteris, quos edidimus, libris eo nuncupavimus modo, quo superius in Aristotelis dictum est divisione. Secundum M. Tullium igitur contrariorum alia sunt adversa, ut sapientia stultitia; alia privantia, ut dignitas et indignitas; alia vero, quae cum aliquo conferuntur, ut duplum simplum; alia vero, quae appellantur negantia, e contrario aientibus constituta, ut, si hoc est, illud non est. Adversa igitur sunt, quae sub uno genere posita plurimum differunt, ut album nigrumque a se plurimum distant sub uno genere posita, id est, sub colore. Item celeritati tarditas adversa est, positis utrisque sub motu; neque enim celeritati debilitas opponenda est, quia debilitati firma valetudo contraria est: quod in divisione omisit Cicero, sed docuit exemplo. Illa quoque dicuntur adversa, quae in diversis generibus sita plurimum a se discrepare intelliguntur, ut sapientia stultitiae. Illa enim sub genere boni est, haec vero sub mali: quamquam huiusmodi exemplum privationem potius spectare videatur. Nam stultitia privatio sapientiae est, nec quicquam est aliud stultitia nisi sapientiae et rationis absentia. Sed quae sint, quae privantia Cicero appellat, posterius demonstrabo. Ex his hoc modo argumenta sumentur: Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur, si bonitatem appetimus, malitiam fugiamus: quamquam malitia quoque secundum eundem modum, qui superius dictus est, privationibus possit adiungi. Privantia vero secundum Ciceronem sunt, quae Graece στερητικὰ appellantur: quae habent eam partem orationis praepositam, quae, quum fuerit adiecta, semper fere aliquid demit. Ea est IN praepositio; haec enim syllaba cui fuerit apposita, demit fere aliquid ex ea vi, quam esset res quaelibet habitura, si IN syllabam praepositam non haberet, ut humanitati inhumanitas; (namque praeposita IN id, de quo dicitur, humanitate privavit;) ut dignitas et indignitas. Et Tullius quidem ea tantum privantia esse confirmat, in quibuscunque syllaba ista praeponitur: privantium quippe natura secundum Tullium huius syllabae commemoratione finitur. A Peripateticis vero accepimus privationes tum simplicibus nominibus, tum cum privatoriis syllabis efferri: simplicibus nominibus, ut caecitas; cum privantibus vero syllabis, ut indignitas, inhumanitas. Quocirca secundum M. Tullium caecitas non erit privatio visus, sed ei adversum; atque idcirco forsitan stultitiam inter adversa numeravit, quoniam non habet IN syllabam, ex qua privationes arbitratur exsistere. Ex quibus eodem modo, ut in superius positis adversis, argumenta ducuntur. Inhumanitatem aversemur, si humani-

tas consectanda est. Illa vero contraria, ut ait Tullius, quae cum aliquo conferuntur, talia sunt, ut duplum simpli (id tantundem est, tamquam si diceret, duplum dimidii: simplum enim dupli dimidium est), et pater filii: eaque sunt semper reciprocantia, aliquotiens quidem septimo casu, aliquotiens vero genitivo; nam filius patris est filius et pater filii pater, haec secundum genitivum conversio est, et duplum simplo duplum est, haec secundum septimum casum; sunt etiam, quae accusativo, ut pauca ad multa et magnum ad parvum. Item negantia sunt, quae in affirmationibus et negationibus posita sunt, ut, si hoc est, illud non est; veluti, si dies est, nox non est. Atque hanc oppositionem Cicero dicit valde esse contrariam. Ex quibus omnibus secundum superius dictum modum argumentorum facultas est. Nam ex relativis contrariis ita sumimus argumentum: Si pater est, fieri non potest, quin ei filius sit; ex negantibus autem, quae ἀποφατικά, ut ait, Graeci vocant, ita: Si sol supra terram fuit, nox esse non potuit; haec enim affirmatio illam perimit negationem. Cur vero haec negantia esse constituerit, mirandum est. Nam quae negantia sunt, aientibus opponuntur et simul esse non possunt, ut diem esse ac diem non esse; hoc vero est consequens, quum ita dicatur: Si hoc est, illud non est; ut, Si dies est, nox non est. Atque affirmationem negationemque valde Tullius dicit esse contrariam; sed in hac consequentia nequeunt esse contraria. Nam quod est consequens, contrarium non est.

(Cap. 11. §. 50. — cap. 12. §. 52.) *Ab adiunctis autem — — possunt movere.*

Quid sit ab adiunctis locus, brevi superius monstravit exemplo, eo scilicet, quo dixit, si secundum mulieris nunquam capite diminutae tabulas possessio bonorum daretur, consequens esse, ut secundum puerorum quoque et servorum [tabulas] possessio permitteretur. Sed nunc formam ipsam et quasi substantiam loci monstrare proponit, quae est huiusmodi. Ab adiunctis enim locus est, quum ex eo, quod proponitur, aliquid aliud vel esse vel fuisse vel futurum esse argumentatione colligitur, ut in eo ipso, quod dudum posuit, exemplo. Approbatur enim non debere secundum mulieris nunquam capite diminutae tabulas bonorum possessionem dari, quia, si id fuerit positum, id futurum est, ut secundum puerorum quoque ac servorum tabulas bonorum possessio permittatur. Talia vero sunt, quae dicuntur adiuncta, ut circa rem fere, quae quaeritur, inveniantur, neque tamen necesse sit ei semper adhaerere. Et forma quidem huius loci talis est, ut hanc quoque definitionem possit admittere: Ab adiunctis locus est, quum ex aliquibus, quae sunt proxima eis, de quibus quaeritur, rebus, id, quod quaeritur, vel fuisse vel esse vel futurum esse monstratur; qui locus est coniecturalibus causis maxime necessarius. Quum enim de facto quaeritur, tum, si id factum est, quod dubitatur, quid vel fuerit vel sit vel futurum sit, considerari solet. Multa enim sunt, quae

---

6. *filii pater*, *haec*] Eins. — *filii*, *haec* (om. *pater*) Edd. 29. *tabulas* om. Eins. Ven.

uni cuique adiuncta rei variorum eventu temporum colliguntur. Idcirco enim, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit, in coniecturalibus causis inquiritur: quae ab oratoribus tractantur solis; neque iuris consultis in huiusmodi negotiis cum rhetorica facultate ulla communio est. Iuris enim peritus de facti qualitate, non etiam de ipsius facti veritate respondet. Idcirco quotiens ad Gallum peritum iuris facti quaestio deferebatur, „Nihil ad nos", inquibat, et ad Ciceronem potius consulentes, id est, ad rhetorem remittebat. In quo Tullius facete ad Trebatium iocum miscuit dicens: Quamquam locus hic ab adiunctis, coniecturalibus causis maxime utilis, nihil consultorum iuris prudentiam iuvet, patere me tamen, inquit, nullam suscepti operis partem praeterire, ne, si in hoc libro nihil praeter tuae artis exempla conscripsero, tuae tantum gratiae videar addictus. Ab adiunctis vero locus, qui non modo iuris consultis, sed ne philosophis quidem praeter oratores [non] patet, trium saepe temporum ratione tractandus est. Nam de facto si quaeritur, quid vel ante id vel cum eo vel post fuerit, necesse est vestigari. Ante rem quidem hoc modo: apparatus; veri simile est enim effecisse aliquem, quod ante efficiendum paravit: colloquia; fieri enim potuit, ut amaverit, qui saepe fuerit collocutus: locus; velut quum ad aliquid faciendum opportunus locus eligitur: constitutum convivium; velut si quis constituto ante convivio in eo fecisse aliquid arguatur capiaturque coniectura facti ex eo ipso, quod sit convivium constitutum. Atque horum omnium ante rem, de qua quaeritur, exempla sunt. Cum re vero hoc modo: pedum crepitus; velut si isse in quempiam locum aliquis accusetur, pedum crepitu deprehensus esse probabitur; vel si fuisse adulter in cubiculo ex umbra corporis designetur. Haec cum ipsis, de quibus quaeritur, inspecta eisdem tamen intelliguntur adiuncta. Post rem vero: si quas conscientiae maculas pallor, rubor titubatioque prodiderit; restinctus ignis, velut si clam factum aliquid exstincto igni velimus ostendere, ut tutius notitiam submoventibus tenebris committeretur; item gladius cruentus peractum facinus monstrat. Haec omnia post rem facto intelliguntur adiuncta. Et semper ante rem, cum re et post rem secundum rationem temporum intelligendum est, neque ita ut in antecedentibus et consequentibus. Illic enim naturae ratio consideratur. Omnia quippe simul sunt: nam quod antecedit, si positum sit, statim est id, quod consequitur; ut, si ponas hominem, statim animal esse necesse est, nec ante secundum tempus homo dici potest, post vero subsequi animal, ut ante aliquis apparatus est secundum tempus, posterior effectus. Itaque illic antecedentia et consequentia nominantur, hic ante rem, cum re et post rem, idcirco, quod illud quidem non secundum tempus, sed secundum principalitatem naturae secum simul aliquid trahentis antecedens dicitur vel consequens id, quod antecedens comitatur. Ea vero, quae secundum temporis priorem posterioremve rationem considerantur adiuncta, idcirco ante rem, cum re et post rem cepere vocabulum.

13. *videar*] Eins. — *videatur* Edd. 15. *non* malim abesse.

(Cap. 12. §. 53.) *Deinceps est locus — — nunquam possit.*

Expedito adiunctorum loco nunc de antecedentibus et consequentibus et repugnantibus disserit. Qui locus quum sit unus, in tria velut membra divisus est. M. quidem Tullius loci huius vocabulum tacuit, mihi autem totus conditionalis appellandus videtur. Cuius quum promptissime natura claruerit, nomen quoque ei, quod nos posuimus, recte inditum manifestius apparebit. Primum igitur singularum partium definitio providenda est. Itaque antecedens est, quo posito aliud necesse est consequatur; item consequens alicuius est, quod esse necesse est, si illud, cuius est consequens, praecessisse constiterit; repugnans est, quod simul cum ea re, cui repugnare dicitur, esse non possit. Antecedentium igitur atque consequentium et repugnantium unum locum esse praediximus: qui quomodo sit unus, paucis ostendam. Primum igitur, dum quaereretur, quonam modo unus esset locus a consequentibus et antecedentibus et repugnantibus, dicebatur, quoniam eiusdem mentis est atque intelligentiae, tam consentanea sibimet quam dissidentia providere, idcirco hunc quoque locum unum videri. Consentaneorum namque duae sunt partes, antecedens una, altera consequens. Nam quum aliquo praecedente comitatur alterum, illa sibimet in ipsa naturae consequentia consentire necesse est. Repugnantium vero tametsi duae partes sunt, unum tamen est utrisque vocabulum: utraque enim repugnantia nominantur; duo vero esse, quae sibimet repugnent atque a se dissentiant, nullus ignorat; sed eo distant, quod antecedentium et consequentium duo sunt nomina, licet unus utrisque consensus. Ergo eadem mens eademque intelligentiae ratio id, quod praecedit, et id, quod comitatur, intelligit. Neque enim fieri potest, ut antecedens aliquid intelligatur, nisi in eodem, quid sit consequens, consideretur. Eodem quoque modo nec consequens, nisi appareat, quid praecedat, item repugnans aliquid intelligere nemo potest, nisi intelligat, cui repugnet. Sed quoniam eadem ratio potest similia dissimiliaque perspicere, antecedentium vero et consequentium consensus quidam et per naturae similitudinem concordia est, dissensus vero in repugnantibus ac dissimilitudo: necesse est, ut una atque eadem ratio et antecedentium consequentiumque naturam et repugnantium spectet. Quo fit, ut unus quoque locus sit, quem una intelligentia comprehendit. Sed hic opponebatur: Cur igitur alium ex similitudine, alium ex contrario locum M. Tullius superius enumeravit? Nam secundum propositam rationem, quoniam similitudinem et contrarietatem intelligentia una perpendit, unus locus similium contrariorumque esse debuisset. Sed respondebatur: Quoniam non eodem modo sibi antecedentia et consequentia consentire dicuntur, sicut ea, quae similia nuncupantur. In his namque una tantum qualitas invenitur et secundum eandem qualitatem similia esse dicuntur: at in antecedentibus et consequentibus non qualitatis similitudo, sed quidam naturae consensus est. Et quae similia sunt, sine se esse possunt: antecedentia vero et consequentia sine se esse non possunt. Atque idcirco non videtur esse consequentium et antecedentium cum similitudine ulla communio naturae. Quae ratio non valde videtur idonea nec explicat, quod demonstrare conatur. Illud

certe firmissimum esse constitit, quod huius loci tractatus conditionalibus semper propositionibus accommodaretur. Conditionalis vero propositio est, quae cum conditione pronuntiat esse aliquid, si aliud fuerit; veluti quum dicimus: Si dies est, lucet. Haec igitur rerum consequentia facile in repugnantiam vertitur. Nam si rebus consequentibus negatio interponatur, ex consequentibus repugnantia redduntur, hoc modo: Si dies est, lux est. Repugnantia fiunt ita: Si dies est, lux non est. Repugnat enim diem esse et lucem non esse. Quae repugnantia in conditione consistit. Dicimus enim: Si dies est, lux non est. Nam diei contrarium est nox, consequens vero noctis, lucem non esse. Quare esse diem et non esse lucem repugnat. Argumento vero est, hanc repugnantiam in conditione consistere, quia, si conditio deficiat, nulla est repugnantia, hoc modo: Dies est; lux non est. Utraeque enim disiunctae propositiones suas sententias gerunt, nec quicquam intelliguntur habere commune; atque ideo diversis acceptae temporibus verae sunt, nec repugnant. Nam sicut in his propositionibus, dies est, lux est, nulla est consequentia, quoniam conditio deest, quae propositionem facit connexam, sed utraeque a se disiunctae suam sententiam claudunt: ita in his, quibus proponitur, dies est, lux non est, nulla est repugnantia, quoniam servat suam utraque separata sententiam. At si his conditio interveniat, superiorum quidem ita sententia copulatur, ut consequentes fiant, posteriorum vero ita, ut repugnantes, hoc modo: Si dies est, lux est. Haec consequens propositio ex duabus per conditionem mediam effecta est una. At si sit ita: si dies est, lux non est; repugnat. Negatum enim, quod consequitur, repugnare necesse est. Amplius argumentum, quod ex antecedentibus et consequentibus fit, ex unius propositionis connexae partibus nascitur. Nam conditionalis propositionis connexae una pars est antecedens, alia consequens. Quod si a repugnantibus argumentum fiat, rursus ab unius propositionis membris tale argumentum nasci oportebit. Igitur ex his propositionibus, dies est, lux est, una esse non potest, nisi conditione copulentur, ut unum sit antecedens, aliud consequens. Et ideo in his ex antecedenti et consequenti argumentum esse non potest: quoniam duae sunt. Etiam ex illis propositionibus, quae sunt, dies est, lux non est, una esse non poterit, nisi conditionis adiunctione in unius quodammodo propositionis sententiam reducantur, cuius propositionis partes sint repugnantes. Nam ut in connexa propositione una pars est antecedens, alia consequens: ita in repugnanti utraque pars propositionis a semet invicem repugnat ac dissidet. Amplius repugnans propositio connexae partem contrariam tenet. Nam ut in illa, quod antecedit, secum id, quod sequitur, trahit: ita in hac propositione partes simul esse non possunt. Contrariae vero differentiae sub eodem genere poni solent. Si igitur connexa propositio in conditione est constituta, repugnans quoque in conditione consistit. Quod si et consequentiam propositionum et repugnantiam conditio facit, non est dubium, quin locus hic iure conditionalis vocetur, ac sit unus positus in conditione divisis partibus, id est, in

27. *connexae* om. Eins. 37. *sint*] Eins. — *sunt* Edd.

antecedentem consequentemque et repugnantem. Connexae namque propositionis una pars antecedens est, alia consequens. Repugnantis vero propositionis utraque repugnat ac dissidet. Itaque connexae propositionis partes antecedens et consequens sunt, repugnantis vero repugnantes [partes sunt]. Nec illud intelligentiam turbet, quod „dies est" et „lux est" quadam sibi ratione consentiunt, item „dies est" et „lux non est" quasi a se dissentiunt atque discordant. Nam connexa est propositio, si, quum aliud antecesserit, aliud consequatur, item repugnans, si uno posito falso aliud inferatur: quod esse non potest, nisi id vis conditionis efficiat. Quo circa aperte demonstratum esse arbitror, conditionalem hunc locum vocari et recte unum esse a M. Tullio constitutum. Quomodo vero fiat ab antecedentibus et consequentibus et repugnantibus argumentum, posterius dicam. Sed quoniam nullius facultatis alterius est, quid quamque rem consequitur vel cuique quid repugnet, inspicere, nisi dialecticae tantum, quae huius quam maxime rei peritiam profitetur, idcirco ait hunc locum esse totum dialecticorum: qui etiam ab adiunctis longe diversus est, primum, quod adiuncta prodere sese atque ostentare invicem possunt, non vero perficere atque implere naturam, veluti ambulationem pedum strepitus signare quidem ac denuntiare potest, efficere vero non potest. Neque enim ambulationem efficit pedum strepitus, nec vero ex necessitate ambulatio, ut pedum strepitus sit, auctor est: sed saepe ita ambulatur, ut nullus pedum strepitus exaudiatur, saepe non mutato loco moveri pedes ac strepere praeter ambulationem queunt. Idcirco non semper inveniuntur adiuncta, propositoque termino, quem probare contendimus, saepe ex adiunctis argumenta deficiunt, quia ipsa quoque aliquotiens deficere videntur adiuncta. Praecedentia vero et consequentia et repugnantia nunquam desunt. Omne enim, quidquid in rebus est, habet, quod se aut sequatur naturaliter aut praecedat. Est etiam, a quo naturae diversitate dissideat, veluti hominem sequitur quidem animal, praecedit vero substantiam. Dicimus enim: Si homo est, animal est. Substantiam vero praecedit, quum proponimus: Si animal est, substantia est. Repugnat vero mortuo, quum enuntiamus: Si animal est, mortuum non est. Praeterea, quae sunt adiuncta, temporibus distributa sunt, ut ante rem, cum re vel post rem. Quae vero sunt antecedentia, consequentia et repugnantia, quomodolibet in temporibus sint, nihil refert. Nam priora saepe temporibus comitantur, et temporibus posteriora praecedunt, et, quae simul temporibus sunt, alias praecedunt, alias vero consequuntur, ut superius quoque saepe diximus. Amplius, quae antecedentia sunt et consequentia, relinquere sese non possunt, nec sibi repugnantia cohaerere, et sunt necessario sibimet connexa vel inconnexa; quae vero sunt adiuncta, nihil obtinent necessitatis, quia et iungi sibimet et a se separari queunt. Quae quum ita sint, quaestio difficilis vehementer oboritur. Videtur enim minus intuentibus nihil hic locus differre ab iis [locis], qui dicti sunt vel a genere vel a specie vel a contrariis.

5. *partes sunt*] om. Eins. Bass. 10. *vis*] Paris. — *ius* ceteri. 46. *locis* om. Eins.

Nam genus semper species sequitur, speciem genus praecedit; contraria simul esse non possunt. Quae solvenda est hoc modo: primum, quia non omne consequens genus est nec omnis species antecedens; repugnantia vero non ipsa contraria, sed contrariorum sunt consequentia, ut in locorum, qui a M. Tullio propositi sunt, expositione monstravimus; dehinc, quia, quum a genere fit argumentum, ipsum genus assumitur, eodem quoque modo species, quum ab ea aliquid volumus approbare. Quum vero ab antecedentibus et consequentibus aliquid monstrare contendimus, eo, quod in conditionali propositione praecessit, utimur in assumptione, etiam si non fuerit genus. Item si a consequenti argumentum fiat, etiam si species non sit, a consequenti parte conditionalis propositionis ducitur argumentum; veluti quum ita dicimus: Si ignis est, levis est; ignis antecedit, levitas sequitur, sed neutrum neutri est genus aut species. Assumitur itaque: atqui ignis est. Nunc igitur id, quod antecedebat, assumpsi, ex quo monstratur conclusio: levis igitur est. At si ita assumatur: sed non est levis; id, quod consequebatur, assumpsi. Concluditur ergo atque monstratur: non est igitur ignis. Vides igitur, ut de his praecedentibus et consequentibus nunc loquimur, quae in conditionali propositione posita vel praecedere vel consequi intelliguntur. Quum vero fit ex genere argumentum, species quidem est, de qua aliquid probare intendimus: genus vero assumimus non quasi praecedens, sed quasi continens, ut quidquid esse consideratur in genere, id etiam formae quoque debeat aptari. Genus enim quoad permanet, a sua specie non recedit. Quum vero de specie sumimus argumentum, genus quidem est, de quo aliquid quaeritur, sed id laboramus, ut id, quod de genere conamur ostendere, ex specie possit facilius agnosci; ut quum uxori Fabiae relictum fuisset legatum, si materfamilias fuisset, quoniam non convenerit in manum, scilicet ab in manus conventione, quae est species uxoris, uxorem, quod est matrisfamilias genus, a legati iure seiungimus, et legatum ad speciem, id est, matremfamilias, derivamus. Sed illud interius dispiciendum videtur, num locus ab antecedentibus et consequentibus totus supervacaneus esse videatur, quum, quolibet modo fuerint ex eo argumenta composita, a ceteris locis, quos superius descripsimus, non recedant. Nam quodcunque ab antecedentibus et consequentibus ducitur argumentum, id vel a toto vel a partibus vel a coniugatis vel ab aliquo reliquorum tractum esse perpenditur, hoc modo: Si utilis est aequitas constituta ad res suas obtinendas, utile est ius civile; at [utile est], quod praecedit; quod sequitur igitur. Hoc est a definitione argumentum, scilicet ab assumptione praecedentis. At si ita dicam: Sed non est utile ius civile: non est igitur utilis aequitas constituta ad res suas obtinendas: hic per consequentis assumptionem a definitionis loco sumptum est argumentum. Item a partium enumeratione: Si neque censu, neque cete-

---

1. *species - speciem*] Sic scripsi. — *species - species* Ven. Paris. — *speciem - speciem* ceteri. 39. *at utile est*, *quod praec.*] Paris. — *at id*, *quod praec.* Ven. — *ad quod praec.* Eins. — *ad id*, *quod praec.* Bass.

ris liber est, non est liber; at censu vel ceteris: est igitur liber. At non est liber: neque censu igitur, neque ceteris manumissus est. Sed notandum est, quae sit vis unius cuiusque argumenti et quonam modo proferatur. Sunt enim argumenta, quae praedicativis apta sint syllogismis, ut a definitione sic: Ius civile est aequitas constituta et reliqua, id vero utile est: utile est igitur ius civile. Item a partibus: Qui neque censu neque vindicta neque testamento est manumissus, hic ex servitute liber factus non est; Stichus vero neque testamento neque censu neque vindicta manumissus est: Stichus igitur liber non est: et in ceteris eodem modo. Omnia vero, quaecunque per categoricum syllogismum proferri possunt, eadem per conditionalem dici queunt. Omnis namque praedicativa propositio in conditionalem verti potest, hoc modo: Omnis homo animal est, praedicativa est; haec facile vertitur in conditionalem ita: Si homo est, animal est. Non vero omnis conditionalis in praedicativam verti potest, velut haec: Si peperit, cum viro concubuit. Nemo enim dicere potest ipsum peperisse id esse, quod cum viro concumbere, quomodo dicimus hominem id esse, quod animal sit. Alia enim ratio est in iis propositionibus, quae ita dicuntur: Quae peperit, cum viro concubuit. Haec enim similis est ei, quae dicit: Si peperit, cum viro concubuit. Sed praedicativa propositio id esse subiectum dicit, quod fuerit praedicatum. Conditionalis vero id ponit, ut, si id, quod est antecedens, fuerit, comitetur necessario, quod subsequitur. Quum vero praedicativa est propositio, si ea vertatur in conditionalem, alia nimirum redditur propositio. Nam quum dicitur, Omnis homo animal est, ipse homo animal esse proponitur; quum vero, Si homo est, animal est, non id sentitur, ut ille, qui homo est, animal sit, sed proposito esse hominem consequi, ut sit animal. Ergo conditionalis syllogismus in antecessione et consecutione positus, licet per definitionem, licet per partium enumerationem, licet per coniugationem et quolibet alio fiat modo, tamen in propria forma se continet et est conditionalis, id est, utens propria conditione, ut quodammodo cetera argumenta suae veluti naturae videatur habere subiecta: ut, quum sit a definitione argumentum, si quidem per praedicativam formam factus fuerit syllogismus, a definitione ductum esse dicatur; sin vero per hypothesin facta fuerit argumentatio, conditionalis sit syllogismus, quem discernat assumptio, utrum ab antecedentis an a consequentis parte promatur. Quo fit, ut etiam si per ceteros locos conditionale argumentum feratur, tamen suam quandam habeat formam, quandoquidem in antecessione et consecutione est constitutus. Tunc enim definitio, partes, coniugatio et cetera veluti res ipsae fiunt, ac non locus, quum venerint in conditionem; at si conditio esset, ex ipsis perfectum videbitur argumentum. Quod si propositionem conditio copulaverit, ipsa quidem ea, quae in propositionibus continentur, sunt veluti quaedam argumenti partes, locus vero in conditione est constitutus. Atque haec non ita dicta sunt, quasi aliter

22. *quod est antecedens, fuerit*] Eins. — *quod antecedens fuerit* Edd.
45. *haec non ita dicta*] Paris. — *haec dicta* Eins. — *haec ita dicta* ceteri.

conditionalis hic locus tractari non valeat, nisi eorum aliquem, quos praediximus, includat. Nam potest praeter eos etiam saepe reperiri, ut quum dicimus: Si homo est, risibilis est; si corvus est, niger est. Hic enim nec definitionem nec partes nec ullum alium locum superius enumeratorum continet argumentum. Amplius facile est in singulis eorum differentias praevidere; locus quippe a toto a substantia trahitur, a partibus vero a rei compositione. Nam in simplicibus terminis tale argumentum non potest inveniri: a nota, ab interpretatione, a coniugatis, ab eo, quod ex eodem utrumque diducitur, a genere, a continenti, a forma, ab eo, quod continetur, a differentia, ab eo, quod discrepat, a similibus, ab eadem qualitate, a contrariis, ab eo, quod a se longe diversa sint, a causis efficientibus, ab effectis, ab iis, quae vim alterius efficientiae susceperunt, ab adiunctis, a vicinitate naturae, a comparatione maiorum, parium vel minorum, a relatione ad aequalem vel inaequalem quantitatem. Ab antecedentibus vero longe alius modus est. Constat enim in eo, quod, si propositum quid fuerit, aliud quiddam modis omnibus exsistet, quod consequens appellatur. Huius vero intelligentia consistit in eo, quod praecedente quolibet aliud subsecutum est; repugnantium vero [intelligentia consistit] non modo, quod neque sequi neque antecedere possunt, verum etiam, quod simul esse non possunt: quae in conditione consistere dubium non est. His igitur ita expeditis, quoniam M. Tullius proprietatem loci, ut in transcursu potuit, evidenter expressit, nunc, quibus modis eodem loco uti conveniat, adiungit. Quae Topicorum pars quoniam diligentius explananda est, finem quarto volumini faciam, quinto cetera redditurus.

BOETHII

COMMENTARIORUM

LIBER QUINTUS.

De omnibus quidem hypotheticis syllogismis, Patrici, rhetorum peritissime, plene abundanterque digessimus iis libris, quos de eorum principaliter institutione conscripsimus: a quibus integram perfectamque doctrinam, cui revolvendi illa vacuum tempus est, lector accipiet. Sed quia nunc Ciceronis Topica sumpsimus exponenda atque in his aliquorum M. Tullius modorum meminit, dicendum mihi breviter existimo de his septem conditionalibus syllogismis, quae eorum natura

19. *intelligentia consistit* om. Eins.

sit propositionumque contextio, ut, quum haec ad scientiam rite praelibata pervenerint, Tulliana facilius noscantur exempla. Omne igitur, quod in quaestione dubitatur, aut veri similibus aut necessariis probabitur argumentis. Argumentum vero omne aut in syllogismi ordinem cadet aut ex syllogismo vires accipiet. Syllogismus vero omnis propositionibus constat. Propositiones autem omnes vel simplices sunt vel compositae. Simplices sunt, quae simplicibus orationis partibus coniunguntur. Copulant autem incompositam propositionem simplices orationis partes, nomen et verbum, veluti quum dicimus: dies est, vel dies vernus est, vel dies serenus est. Hic enim omnem vim propositionis nomen connectit et verbum. Omnis autem simplex propositio ex subiecto praedicatoque consistit. Subiectum est, de quo dicitur id, quod praedicatur. Praedicatum est, quod de eo dicitur, quod subiectum est. Verbum autem aliquotiens praedicato nomini adiungitur, aliquotiens ipsum praedicatur. Praedicato nomini adiungitur in hac propositione, quae dicit: *dies serenus est*. *Dies* enim subiectus est, *serenus* praedicatus, *est* vero verbum *sereno* adiunctum est, quod diximus esse praedicatum. At si talis sit propositio, quae solo nomine constet et verbo, veluti quum dicimus, *dies est*, tunc *dies* subiicitur, *est* verbum sine dubio praedicatur. Sine verbo autem nulla est propositio. Omnis enim propositio vel vera vel falsa est: nisi autem verbum sit quodlibet adiunctum, quo esse aliquid aut non esse dicatur, nulla veritas aut falsitas in propositionibus deprehenditur. Saepe autem propositiones etiam ex totis orationibus constant, ut si dicamus, *Transire in Africam utile esse Romanis*. Hic enim subiectum quidem est *transire in Africam*, *utile* autem *Romanis* praedicatum, *esse* vero praedicato coniungitur. Huiusmodi igitur omnes propositiones praedicativae dicuntur (praedicativae vero appellantur, quia aliud de alio praedicant): omnesque, qui ex his propositionibus fiunt syllogismi, secundum enuntiationum suarum formas praedicativi appellantur. Ex his autem praedicativis propositionibus exsistunt compositae propositiones, quarum aliae quidem copulativa coniunctione nectuntur, ut: *et dies est, et lux est*. Aliae vero per conditionem fiunt, quae etiam conditionales enuntiationes vocantur; hae vero sunt, quae coniunctione quadam partibus interposita ad consequentiam conditionemque ducuntur. Age enim, sint duae propositiones praedicativae, una quidem, quae dicit: *animal est*, alia vero, quae proponit: *homo est*. His si coniunctio interveniat, faciet: *Si homo est, animal est*. Vides igitur, ut duas praedicativas propositiones in unam conditionem coniunctio copulaverit. Quae quum ita sint, omnes hae propositiones hypotheticae, id est, conditionales, vocantur, atque ex his syllogismi tales exsistunt, quibus hypotheticis vel conditionalibus nomen est. Omnis autem hypothetica propositio vel per connexionem fit vel per disiunctionem; per connexionem hoc modo: *Si dies est, lux est;* per disiunctionem ita: *Aut dies est aut nox est*. Earum vero, quae per connexionem fiunt, aliae ex duabus affirmativis copulatae sunt, ut: *Si dies est, lux est;* namque *dies est* et *lux est* utraeque aliquid affirmant; aliae ex duabus negativis, ut: *Si lux non est, dies non est*;

nam *lucem non esse* et *diem non esse* utraque negatio est; aliae vero ex affirmativa negativaque coniunctae sunt, ut: *Si dies est*, *nox non est*; aliae vero ex negativa atque affirmativa copulantur, ut: *Si dies non est*, *nox est*. Omnes tamen in connexione sunt positae. Aut enim affirmatio affirmationem sequitur aut negatio negationem eique connexa est, aut affirmationem negatio aut negationem affirmatio. Sed ex connexis repugnantes manifestum est nasci: namque ubi affirmatio sequitur affirmationem, his si media negatio interposita sit, repugnantiam facit hoc modo: *Si dies est*, *lux est*. Hîc affirmatio sequitur affirmationem. At quum dico: *Si dies est*, *lux non est*, repugnant inter se partes propositionis connexae interposita negatione. Item quotiens negatio sequitur negationem, si posteriori propositionis parti negativum dematur adverbium, repugnantes fiunt hoc modo: *Si animal non est*, *homo non est*. Haec connexa est ex duabus [propositionibus] negativis. At si posteriori parti, *homo non est*, negativum detrahatur adverbium, fiet: *Si animal non est*, *homo est*; quod repugnat. At si affirmatio negationem sequatur, sive posteriori parti negatio iungatur, sive priori auferatur, repugnantes fiunt, hoc modo: *Si dies non est*, *nox est*. Hîc igitur affirmatio sequitur negationem. Sive igitur posteriori parti, *nox est*, negatio copuletur, ut sit ita, *Si dies non est*, *nox non est*; sive priori auferatur, ut sit ita; *Si dies est*, *nox est*: repugnantem fieri propositionem necesse est. Quod si negatio affirmationem sequatur, et posteriori parti negativum adverbium subtrahatur, propositionis connexae partes in repugnantiam cadunt, hoc modo: *Si vigilat*, *non stertit*. Hîc affirmationem sequitur negatio. Sed si posteriori parti, id est, *non stertit*, negatio dematur, fiet: *Si vigilat*, *stertit*, et erit repugnans. Sed in connexis atque disiunctis propositionibus illud intelligendum est, quod in earum partibus et vis quaestionis includitur et argumenti. Age enim dubitetur, an lux sit; idque approbandum sit eo, quod dies est. Si igitur itâ fiat propositio: *Si dies est*, *lux est*; ea quidem pars totius propositionis, quae sequitur, id est, *lux est*, quaestionis est. De ea namque quaeritur, an lux sit. Ea vero, quae prior est, id est, *dies est*, vim continet argumenti. Ex eo enim, quod dies est, lux esse probabitur. Et in ceteris quidem vel connexis vel disiunctis eadem ratio est. In omnibus vero his, quoniam syllogismus atque argumentatio ad demonstrandam partem alteram quaestionis accommodatur, quaestio vero omnis dubitabilis est, oportet syllogismos, qui accommodantur ambiguae quaestioni, indubitabiles esse atque perspicuos: qui ut sint tales, ex claris atque apertis et in veritate patentibus propositionibus necesse est constent. Propositiones vero partim per se notae sunt, partim aliquibus probationibus indigebunt. Omnis vero syllogismus enuntiatione proposita habet alicuius partis assumptionem, ut, quod est in quaestione, concludat, hoc modo: *Si dies est*, *lux est*. Ut igitur lucem esse demonstrem, assumam unam partem propositionis superius consti-

---

14. *connexa - - propositionibus*] Sic scripsi. — *connexa - - proposita* Ven. Paris. — *connexio - - proposita* Bass.

tutae dicamque: *Sed dies est;* ac tunc demum id, quod est in quaestione, concludam: *Lux est igitur.* Ergo quum ad syllogismi conclusionem et tota enuntiatione in proponendo, et in assumendo parte enuntiationis utamur, necesse est, ut ea, quibus utimur, nihil habeant dubitabile: si quidem ex his ea, quae sunt ambigua, capient fidem. Quod si propositio aliquotiens quidem per se nota est atque perspicua, aliquotiens vero probationis indigens invenitur, assumptio quoque aliquotiens per se vera esse notabitur, aliquotiens approbationis indiget adiumentis. Quo fit, ut, si et propositio et assumptio demonstrandae sint, quinquepertitus (ut Cicero etiam in Rhetoricis auctor est) syllogismus fiat, constans ex propositione eiusque probatione, assumptione eiusdemque probatione, et conclusione. Quod si neutra sit approbanda, tripertitus fit, ex propositione scilicet et assumptione et conclusione. Quod si altera earum demonstranda sit, fit quadripertitus, ex propositione scilicet et assumptione atque unius earum approbatione et conclusione. Conclusionis vero ipsius approbatio praecedente propositione atque assumptione perficitur. Quae quum ita sint, quumque omnis propositio hypothetica in connexionem disiunctionemque dividatur, in connexis propositionibus aliud dicimus praecedens, aliud consequens. Idem autem consequens et connexum vocamus, velut in hac propositione: *Si dies est, lux est; dies est* praecedit, annectitur *lux est.* In disiunctis autem non est eadem ratio, quia, quum ea, quae proponuntur, simul esse non possunt, nullo modo dicuntur esse connexa. Praecedens autem et subsequens inde iudicatur, quia, quod primum ponitur, iure antecedens vocatur, quod posterius, iure subsequens dicitur. Ex iis igitur propositionibus, quae connexae sunt, fit primus et secundus hypotheticorum syllogismorum modus. Addita vero negatione propositioni connexae ex duabus affirmationibus copulatae eaque insuper denegata tertius accedit; ex disiunctis vero propositionibus, diverso modo assumptionibus factis, quartus et quintus; utrisque vero per negationem compositis, sextus et septimus. Atque hae septem sunt hypotheticae conclusiones, quarum M. Tullius in Topicis meminit: quarum omnium deinceps ordo atque exempla subdenda sunt. Primus igitur modus est, quum in connexa propositione assumpto eo, quod praecedit, volumus monstrare, quod sequitur, ita esse oportere, ut est in connexione prolatum. In quo si id, quod connexum est ac sequitur, assumpserimus, nullus omnino fit syllogismus. Huius exemplum tale est: *Si dies est, lucet.* Si igitur lucere monstremus, assumamus necesse est, diem esse, hoc modo: *Atqui dies est.* Consequitur ergo ex necessitate, lucere. Quod si lucere assumamus itaque dicamus: *Atqui lucet;* non necesse est diem esse, atque ideo nulla necessitas evenit conclusionis. Ubi vero nulla necessitas est, ne syllogismus quidem intelligi potest. Est igitur primus modus in hanc formam: *Si dies est, lucet; dies autem est: lucet igitur.* Inveniuntur tamen, in quibus aequo modo valet assumptio, sive praecedens, sive subsequens assumatur, ut in homine atque risibili: *Si enim homo est, risibile est; atqui homo est: risibile igitur*

47. *risibilis* (ter) Eins.

est; atqui risibile est: homo igitur est. Sed in his haec causa est, quia homo atque risibile aequi sunt termini, atque idcirco uno posito alterum comitari necesse est. Sed quia hoc in omnibus non est, idcirco dicimus non esse universale, ut assumpto posteriore, quod praecedebat, probetur. Secundus vero modus est, quotiens assumpto posteriore atque consequenti, quod antecesserat, aufertur, hoc modo: *Si dies est, lucet.* Hic si assumamus non lucere, contrario modo atque in propositione prolatum est, assumamus dicentes: *atqui non lucet;* in eo igitur sequitur non esse diem. Quod si diem negemus, id est, quod antecedit, in assumptione contrario modo, atque positum est in propositione, proferamus: non tollitur, quod est connexum; ut, si dicamus, *atqui non est dies*, non mox sequitur non lucere. Potest enim non esse dies et tamen lucere. Est igitur secundi modi forma huiusmodi: *Si dies est, lucet; atqui non lucet: non est igitur dies.* Primus igitur modus assumit, quod praecessit, ut approbet, quod connexum est; non potest vero assumere, quod connexum est, ut probet, quod praecessit. Secundus autem assumit e contrario, quod sequitur; ut, quod praecessit, evertat; non potest autem e contrario assumere, quod praecessit, ut id, quod connexum est, auferatur. Tertius modus est, quum inter partes connexae atque ex duabus affirmationibus copulatae propositionis negatio interponitur eaque ipsa negatio denegatur, quae propositio ὑπεραποφατική Graeco sermone appellatur, ut in hac ipsa, quam superius proposuimus: *Si dies est, lux est.* Si inter has partes negatio interveniat, fiet hoc modo: *Si dies est, lux non est.* Ac si ulterius denegemus, erit ita: *Non, si dies est, lux non est.* Cuius propositionis ista sententia est: quia, si dies est, fieri non potest, ut lux non sit. Quae propositio superabnegativa appellatur: talesque sunt omnes, in quibus negatio praeponitur negationi, ut: *Non non est dies*, et rursus: *Nec non Ausonii Troia gens missa coloni.* In hac igitur si priorem partem, id est, diem esse, in assumptione ponamus, consequitur etiam lucem esse, hoc modo: *Non, si dies est, lux non est; atqui dies est: lux igitur est.* Qui modus a superioribus plurimum distat, quod in eo modo, qui fit ab antecedentibus, ponitur antecedens, ut id, quod sequitur, adstruatur; in modo vero a consequentibus perimitur consequens, ut id, quod praecesserat, auferatur: in hoc vero neutrum est. Nam neque antecedens ponitur, ut, quod sequitur, confirmetur, nec interimitur subsequens, ut id, quod praecesserat, evertatur: sed ponitur antecedens, ut id, quod sequitur, interimatur. Hic autem propositionis modus partes inter se suas continet repugnantes: adversum quippe est ac repugnat, si dies est, non esse lucem. Sed idcirco rata propositio est, quia consequentium repugnantia facta per mediam negationem alia negatione destruitur et ad vim affirmationis omnino revocatur. Nam quia consequens esse intelligitur ac verum, si dies est, esse lucem, repugnat ac

---

24. *inter has partes*] Eins. — *inter has propositiones* Ven. Paris. — *inter huius propositionis partes* Bas. 29. *ut: Non non est*] Paris. — *ut*, *non est* ceteri.

falsum est, si dies est, non esse lucem: quae denegata rursus vera est ita: *Non, si dies est, lux non est;* et fit consimilis affirmationi: *Si dies est, lux est;* quia facit affirmationem geminata negatio. Similiter vero fiunt ex repugnantibus propositionis partibus argumenta, vel si duabus negationibus, vel si negatione et affirmatione, vel si affirmatione et negatione iungantur. Quomodo vero fiant ex talibus connexis repugnantes, superius dictum est. Fit vero ex ea propositione, quae duabus iungitur negativis, ex repugnanti argumentum hoc modo. Sit propositio: *Si non est lux, dies non est.* Fiat repugnans ita: *Si non est lux, est dies.* Huic iungamus negationem, ut fiat vera, ita: *Non, si lux non est, dies est; atqui lux non est: dies igitur non est.* Item sit ex negatione atque affirmatione propositio haec: *Si dies non est, nox est.* Huic addatur ex posteriore parte negatio, ut sit ita: *Si dies non est, nox non est.* Fit repugnans. Haec nihilo minus abnuatur, ut sit vera: *Non, si dies non est, nox non est.* Assumimus: *atqui dies non est.* Concludimus: *nox igitur est.* Item si ex eadem propositione, quae ex negativa affirmativaque coniungitur et dicit: *Si dies non est, nox est*, a priori parte negatio subtrahatur, fiet repugnans, hoc modo: *Si dies est, nox est.* Huic apponatur negatio, ut vera esse possit, hoc modo: *Non, si dies est, nox est;* assumamusque: *atqui dies est.* Concluditur: *Nox igitur non est.* At si sit ex affirmatione et negatione propositio coniuncta, velut haec: *Si vigilat, non stertit;* demitur posteriori parti negatio, ut fiat ita: *Si vigilat, stertit.* Sed haec repugnat. Tota rursus propositio denegetur, ut vera fiat, hoc modo: *Non, si vigilat, stertit.* Assumimus: *atqui vigilat.* Concludamus necesse est: *non stertit igitur.* Sed hae quattuor ex repugnantibus conclusiones in tertio modo consistere intelliguntur: quarum quidem Tullius tres commemoravit unamque praecepto docuit, eam, quam propositio talis efficit, quae duabus iungitur affirmativis, duas vero exemplo, scilicet eam, quae ex tali propositione nascitur, quam duae copulant negationes, et eam, quae ex tali connexa procreatur, quae ex affirmatione negationeque consistit. Reliquam vero praeteriit, quod illarum similitudine etiam haec in tertium conclusionis modum videbatur incidere. Quartus modus in disiunctione consistit, hoc modo: *Aut dies est, aut nox est; sed dies est: nox igitur non est.* Huius haec ratio est, quia disiunctiva enuntiatione proposita prior pars eius assumitur affirmando, ut subsequens auferatur. Ex ea enim propositione, quae dicit: *aut dies est, aut nox est;* assumimus: *atqui dies est*, scilicet affirmantes esse diem: quam affirmationem assumptionis consequitur non esse noctem. Quintus modus est, quum in eadem disiunctiva propositione, id, quod primum est, negando assumitur, ut id, quod est posterius, inferatur, hoc modo: *Aut dies est, aut nox est, atqui dies non est.* Per negationem scilicet facta est assumptio. Consequitur esse noctem.

---

32. *ex tali connexa procr., quae*] Ven. Paris. — *ex tali connexo procr. quod* Eins. — *ex propositione tali connexa procr. quae* Bas. 33. *haec* om. Ven. Paris.

Sextus vero modus ac septimus ex quarti et quinti modi disiunctiva propositione deducuntur, una negatione scilicet adiuncta et disiunctiva propositione detracta additaque coniunctiva iis propositionibus, quae superius in disiunctione sunt positae, hoc modo: *Non et dies est, et nox est.* Dudum igitur in disiunctiva ita fuit, ut: *aut dies est, aut nox est.* Ex hac igitur propositione sublata *aut* coniunctione, quae erat disiunctiva, adiecimus *et*, quae copulativa est, proposuimusque negationem. Itaque fecimus ex partibus disiunctivae propositionis copulatis addita negatione propositionem sexti atque septimi modi, quae est: *Non et dies est et nox est.* In qua si assumatur esse diem, noctem non esse consequitur ita; *atqui dies est: non est igitur nox.* Septimus vero modus est, quum prima pars propositionis negando assumitur, ut posterior subsequatur, hoc modo: *Non et dies est et nox est*; *atqui dies non est: nox igitur est.* Atque hic modus propositionum in solis iis inveniri potest, quorum alterum esse necesse est, ut diem vel noctem, aegritudinem vel salutem, et quidquid medium non habet. Quo autem modo omnium syllogismorum conditionalium veritas sese habeat, iis diligentissime explicavimus libris, quos de hypotheticis conscripsimus syllogismis. Nunc vero non, quod de his perfectior consideratio inveniri potest, apposuimus, sed id, quod ad explanandam M. Tullii sententiam poterat accommodari. Ut igitur cuncta, quae diximus, breviter colligantur: primus modus est, quotiens in connexa propositione primum, ut in propositione locatur, assumitur, ut consequatur secundum, hoc modo: *Si dies est, lux est; atqui dies est: lux igitur est.* Secundus modus est, quotiens in connexa propositione secundum e contrario assumitur, quam in propositione locatum est, ut id, quod primum est, auferatur, hoc modo: *Si dies est, lux est; atqui non est lux: non est igitur dies.* Tertius modus est, quum connexae propositionis partes ex affirmationibus iunctae negatione dividuntur, totique propositioni negatio rursus adiungitur assumiturque, quod prius est, ut in propositione est enuntiatum, ut e contrario concludatur secundum, quam in propositione prolatum est, hoc modo: *Non, si dies est, lux non est; atqui dies est: lux igitur est.* Hic ergo posito, quod praecedebat, id est, esse diem, eversum est, quod sequebatur, id est, non esse lucem. Negationem quippe affirmatio omnis evertit, vel quum connexae propositionis ex negationibus iunctae secundae parti negatio detrahitur totaque propositio denegatur positaque priore propositionis parte interimitur, quod subsequebatur, hoc modo: *Non, si lux non est, dies est; atqui lux non est: dies igitur non est;* vel si connexae propositionis ex negatione atque affirmatione compositae secundae parti negatio iungatur eaque insuper denegetur ponaturque, quod prius est, ut id, quod sequitur, auferatur, hoc modo: *Non, si dies non est, nox non est; atqui dies non est: nox igitur est;* vel si in eadem propositione, quae ex negatione atque affirmatione copulata est, priori parti negatio subtrahatur eaque denegetur ponaturque, quod primum est, ut id, quod sequitur, auferatur, hoc modo: *Non, si dies est, nox est;*

20. An *invenire?*

atqui dies est: nox igitur non est; vel si connexae propositionis ex affirmatione et negatione copulatae posteriori parti negatio dematur totaque insuper denegetur positoque priore id, quod sequitur, interimatur, hoc modo: *Non, si vigilat, stertit; atqui vigilat: non stertit igitur.* Atque haec omnia in tertio esse intelliguntur modo atque ex repugnantibus fiunt et semper id, quod antecedit, ponitur, ut id, quod sequitur, auferatur. Nam non sicut in propositione conditionali, quae negata repugnantia partium vera fit, prior pars proponitur, sive affirmative, sive negative, ita eam reddit assumptio. Sed ut prima pars fuerit assumpta, reliqua contraria enuntiatione concluditur. Nam si assumptio fuerit affirmativa, erit negativa conclusio; si assumptio negativa, erit conclusio affirmativa. Quartus modus est, quum in disiunctiva propositione primum ponitur, ut auferatur secundum, hoc modo: *Aut dies est, aut nox est; atqui dies est: non est igitur nox.* Quintus modus est, quotiens in disiunctiva propositione aufertur, prod prius est, ut ponatur secundum, hoc modo: *Aut dies est, aut nox est; non est autem dies: nox igitur est.* Sextus modus est, quum iis rebus, quae in disiunctionem venire possunt, id est, contrariis vel repugnantibus medietate carentibus, negatio praeponitur et copulativae coniunctiones adiunguntur poniturque, quod primum est, ut id, quod est subsequens, auferatur, hoc modo: *Non et dies est, et nox est; dies autem est: nox igitur non est.* Septimus modus est, quum in eadem propositione aufertur id, quod praecedit, ut ponatur id, quod consequitur, hoc modo: *Non et dies est, et nox est; atqui dies non est: nox igitur est.* His igitur ita praedictis ad Ciceronis verba veniamus:

(Cap. 13. §.53.) *Quum tripertito igitur — — numerata pecunia est.*

Eum locum, qui ex antecedentibus et consequentibus et repugnantibus esset, unum recte videri eumque in conditione esse positum, sed trina partitione distribui, superius explicatum est: idque M. Tullius evidentius notat dicens, intellectum quidem eius considerationemque in conditione positam unam esse, sed per argumentationis tractationem tripertito dividi. Cuius rei per primum ac secundum et tertium hypotheticorum syllogismorum modum, sicut paullo superius diximus, exempla subiecit. Quae quoniam implicatiora videntur, quam ut primo statim auditu comprehendantur, visum paullisper est apertioribus exemplis animum lectoris imbuere, ut in facilioribus primum exercitata intelligentia sine magno negotio, quae sunt difficiliora, perpendat. Ab antecedentibus igitur argumentatio fit, quotiens enuntiata conditione propositionis sumitur id, quod antecessit, ut id, quod sequitur, inferatur, hoc modo: Sit enim dubium, an Tullius animal sit, concedaturque eundem Ciceronem esse hominem, et sit rata propositio haec: *Tullius si homo est, animal est.* Homo antecedit, animal sequitur. Si igitur ex antecedenti velim facere argumentationem, assumam id, quod praecedit, hoc modo: *Sed homo est Cicero.* Consequitur animal esse Ciceronem: et est hic primus, quem supra diximus, modus. Rursus a consequenti argumentatio fit, quo-

5, *Nam non sicut*] Bas. — *Nam sicut* (om. *non*) ceteri.

tiens in conditione proposita id, quod consequitur, tollit assumptio, ut id, quod praecesserat, interimatur, hoc modo: *Si homo est Cicero, animal est.* Antecedit homo, sequitur animal. Si igitur ex consequenti facere argumentum velim, dicam: *atqui non est animal.* Sequitur esse ne hominem quidem, sed id perspicue falsum est. Esse enim hominem constat; falsum est igitur animal non esse. Tullius igitur animal est: et hic dictorum superius secundus est modus. Quod si a repugnantibus fiat, in tertio scilicet modo digestarum superius conclusionum faciemus ita: *Non, si homo est Tullius, animal non est.* Repugnat enim esse hominem et animal non esse. Hic si assumamus esse hominem, animal quoque esse recta ratione concludimus hoc modo: *atqui homo est: animal igitur est.* Atque hic quidem modus ex ea propositione connexa conversus est, quae ex duabus iuncta est affirmativis. His igitur tribus modis Tullius, qui homo esset, animal quoque esse monstratus est: nunc quidem, dum id, quod antecedit, assumimus, id est, esse hominem; nunc vero, dum id, quod consequitur, in assumptione denegamus, id est, non esse animal; nunc autem repugnantiam denegantes eorum, quae sibi sunt consequentia, posito, quod praecedebat, id, quod sequebatur, intulimus. Quibus ita praecognitis nunc M. Tullii tractemus exempla. Quum enim dixisset, loci in consecutione, antecessione et repugnantia positi reperiendi quidem argumenti simplicem esse intellectum, tractandi autem triplicem, adiecit: Nam quid interest, quum tibi sumpseris ad demonstrandum pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit argentum omne legatum, utrum id ab antecedentibus, an a consequentibus, an a repugnantibus probes? Namque eadem sententia in conclusione colligitur et argumentationum diversitas non in re, sed in antecedentium et consequentium et repugnantium tractatu est constituta. Primum igitur [ponatur, quod] testamento aliquis omne suum argentum mulieri legaverit, quaeraturque, an numerata quoque pecunia mulieri legata sit, concedaturque numeratam etiam pecuniam argentum appellari. Argumentum igitur in primo modo ex antecedentibus tali ratione contexitur. Proponimus enim: *Si pecunia signata numerataque argentum est, eadem pecunia numerata atque signata legata mulieri est.* Hic igitur praecedit, numeratam atque signatam pecuniam argentum esse, sequitur, legatam esse mulieri. Id igitur, quod praecessit, assumimus dicentes: *at est signata ac numerata pecunia argentum.* Concludimus, numeratam signatamque pecuniam mulieri esse legatam; eritque totius argumentationis hic textus: *Si pecunia signata numerataque argentum est, legata mulieri est; at est pecunia signata numerataque argentum: igitur legata est mulieri.* In quo si ad saepius praemissa plurimisque exemplis superius enodata lectoris animus revertatur, hanc argumentationem in primo modo ab antecedentibus esse compositam non ignorabit. A consequentibus vero hoc modo: *Si numerata pecunia non est legata mulieri, cui sit argentum omne legatum, numerata pecunia non est argentum.* Hic igitur praecedit, numeratam pecuniam

28. *ponatur, quod* om Eins. Paris.

non esse legatam, quum sit argentum omne legatum. Sequitur, numeratam pecuniam argentum non esse. Si igitur id, quod est posterius, auferamus, id est, numeratam pecuniam non esse argentum, dicemus: *atqui est numerata pecunia argentum;* affirmatio namque tollit negationem. Sequitur igitur, ut pars praecedens auferatur, ea, quae erat, non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, quum argentum ei fuisset omne legatum. Sed quum omnis negatio affirmatione consumatur, dicemus in conclusione: *Est igitur numerata pecunia mulieri legata, quum ei sit argentum omne legatum;* eritque huiusmodi argumentatio: *Si non est mulieri legata pecunia numerata, quum ei sit argentum omne legatum, non est argentum numerata pecunia; atqui est argentum numerata pecunia: legata est igitur mulieri numerata pecunia, quum ei fuerit argentum omne legatum.* Sed quod Tullius brevitatis causa praeteriit, id est, illam partem propositionis, quae ait: *Quum sit mulieri argentum omne legatum;* nos apertioris intelligentiae causa subiunximus. Nec perturbare lectorem debet, quod, quum in superioribus exemplis in secundo modo per negationem facta fuerit semper assumptio et per negationem rursus illata conclusio, nunc per affirmationem et assumptio et conclusio facta est. Cuius rei evidentissima ratio est. Nam quum in superioribus exemplis prima propositio ex affirmationibus fuerit constituta, atque in secundo modo assumptio id, quod sequebatur, auferret ita, ut interimeret id, quod praecedebat: necessarium erat duplicem affirmationem gemina negatione consumi, hoc modo: *Si dies est, lux est;* utraque ex affirmatione sunt constitutae. Ut igitur posterior pars, id est, *lux est*, quae affirmatio est, interimatur, deneganda est. Dicam igitur: *atqui non est lux;* quo fit ut praecedentem quoque partem, id est, *dies est*, quam affirmationem esse manifestum est, negatione tollamus concludentes: *Dies igitur non est.* At in hoc Ciceronis exemplo utraque pars primae atque hypotheticae propositionis negationibus enuntiata est, quae in assumptione vel conclusione non aliis nisi affirmationibus auferuntur, hoc modo. Est enim tale Ciceronis exemplum: *Si legata non est mulieri numerata pecunia, non est numerata pecunia argentum.* Vides, ut sit utraque negatio. Nam et non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, et non esse numeratam pecuniam argentum, utraeque in negatione sunt positae. Quod si auferenda est per assumptionem propositionis consequens pars, quoniam negatio est, non esse numeratam pecuniam argentum: dicendum est, argentum esse pecuniam numeratam. Quod si in conclusione auferenda est pars praecedens, ea, quae negatio est, id est, non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, dicendum est: *Legata igitur mulieri numerata pecunia est.* Et secundus quidem modus [rite] a consequentibus factus huiusmodi est. Illud tamen est diligentius annotandum, quod superius M. Tullius, quum locorum omnium breviter

---

7. *quum omnis*] Eins. Paris. — *quum sit omnis* Bass. — *quum sit omne* Ven. 8. *consumatur*] Paris. — *consumitur* ceteri. Ibid. *dicemus*] Eins. a pr m. Paris. — *dicimusque* ceteri. 42. *rite* om. Ven. Paris.

exempla disponeret, loci huius, qui a consequentibus ducitur, inconveniens secundo conditionalium syllogismorum modo subiecit exemplum, potiusque primo convenit modo, qui non a consequentibus conclusionem, sed ab antecedentibus facit. Ita quippe posuit a consequentibus: *Si mulier, quum fuisset nupta cum eo, cum quo connubium concessum non esset, nuntium remisit: quoniam, qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* Hic igitur quum quaeratur, an dotis pars apud virum debeat permanere, id, quod praecedit, assumitur, ut fiat rata conclusio hoc modo: *Sed mulier cum eo nupta est, quicum connubium non fuit.* Concluditur: *Quoniam igitur, qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* Et ita non est a consequentibus argumentum, quia non id, quod consequebatur, assumptum est, sed id, quod praecedebat. Erat quippe antecedens, nupta mulier praeter connubii ius; sequebatur, quum filii patrem non sequebantur, pro eis nihil ex dote retineri. Sic igitur Tullius pro eo, quod est a consequentibus argumentum, ab antecedentibus potius dedit exemplum. Potest vero fieri a consequentibus argumentum ita, si id, de quo quaeritur, prius ponatur, et id, quod assumendum est, posterius, hoc modo: *Si quid ex dote pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi sequuntur: cum eo nupta est mulier, quicum connubii ius erat.* Sumo igitur id, quod consequitur, per negationem ita: *Sed non est nupta mulier cum eo, quicum connubii ius erat; atque ideo, qui nati sunt, patrem non sequuntur.* Perimitur ergo in conclusione id, quod in propositione praecesserat, ita: *Pro liberis igitur manere nihil oportet.* Sed de secundo modo ista sufficiant, nihil namque, ut arbitror, praetermissum est. Tertius modus a repugnantibus longe perspicuus hoc modo: *Non, si legatum omne argentum est, non est legata mulieri pecunia numerata.* Hic namque consequens erat, si argentum esset omne legatum, pecuniam quoque numeratam fuisse legatam. Ut igitur fieret repugnans, huic consequentiae interposita negatio est dictumque, si argentum omne legatum esset, numeratam pecuniam non esse legatam. Quod quia pugnat et falsum est, ad veritatem alia negatione reducitur sic: *Non, si legatum argentum est, non est legata numerata pecunia;* ut scilicet ei affirmationi conveniat, quae dicit, si legatum argentum est, legatam esse pecuniam numeratam. Assumimus igitur huic propositioni, argentum omne esse legatum, et consequitur, omnem numeratam pecuniam mulieri esse legatam, ut sit forma argumentationis huiusmodi: *Non, si legatum argentum est, non est legata numerata pecunia; atqui legatum argentum est: legata est igitur numerata pecunia.* M. vero Tullius propositionem ita formavit: *Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia.* Sed nos idcirco causalem coniunctionem apposuimus eam, quae est *si*, ut, ex quo esset genere talis propositio, monstraremus. Namque ex connexo negatione addita fit repugnans. Connexum vero nulla aeque ut *si* coniunctio posset

---

22. *erat*] Paris. — *esset* ceteri.

ostendere: quamquam idem efficiat etiam copulativa coniunctio. Nam, quae connexa sunt, etiam coniuncta esse intelliguntur ex hoc, quod paullo ante diximus. Quod argumentum ex ea propositione profectum est, quae duabus affirmationibus copulabatur et iuncta negatione insuper denegata est. In omnibus igitur illud est approbatum, pecuniam numeratam mulieri deberi, quum sit argentum omne legatum. Sed nunc quidem ex supra descriptis propositionibus id, quod antecedebat, assumpsimus; nunc vero id, quod consequebatur; nunc autem id, quod repugnabat. Ac de explanandis Ciceronis exemplis, ut arbitror, satis. Illud autem dubitationem movere potest. Nam si quis minus callidus ad Ciceronis exempla respiciat, eundem locum arbitrabitur esse a genere, quem ab antecedentibus et consequentibus et repugnantibus esse diximus, illo falsus errore, quod in utrisque locis eodem utitur exemplo, argenti videlicet et numeratae pecuniae. Sed diligentius intuenti in eisdem rebus diversus argumentationum videbitur tractatus esse. Aliud quippe est dicere, quum argenti species sit numerata pecunia, si genus legatum sit, et speciem esse legatam, quoniam nunquam species a genere separatur: aliud est in conditione enuntiationem proponere et eiusdem partibus assumendis argumentationem varia ratiocinatione formare, ut superius demonstratum est: quum praesertim huiusmodi ex consequentibus, antecedentibus et repugnantibus argumentationes etiam praeter genera ac species fieri possint, velut nos superius indicavimus in die atque luce. Nam neque dies lucis neque lux diei species aut genus est. Sed id tantum in his considerari debet, quia posito altero alterum necessaria ratione subsequitur. Differunt igitur loci a genere vel a specie ab eo loco, qui in conditione est constitutus, quoniam illi ex universalitatis ac partis ratione ducuntur, hic autem in consequentiae ac repugnantiae ordine tractatur. Post haec igitur Tullius hypotheticorum syllogismorum modos conclusionesque dinumerat hoc modo:

(Cap. 13. §. 54. — cap. 14. §. 57.) *Appellant autem — — — ad hanc institutionem necessariae.*

Etsi multipliciter superius cuncta digessimus nec expositionis indiget repetita totiens disputatio, erit tamen operae pretium, si quam brevissime potero M. Tullii verbis mediocris lucem commentationis interseram. Septem igitur modos hypotheticos enumerans ait: Quum in connexis propositionibus id, quod est primum, assumitur, ut ostendatur secundum, primum a dialecticis modum vocari, hoc modo: *Si hoc est, illud est.* Quod dicit *hoc*, primum est; quod vero ait, *illud*, secundum. Assumitur ergo, quod primum est, *atqui hoc est;* concluditur id, quod secundum est: *illud igitur est;* velut in his rursus exemplis, *Si homo est, animal est,* assumitur: *atqui homo est;* concluditur: *animal igitur est.* Secundum vero modum ait esse Tullius connexis propositionibus textum, in quo quum secundum negatur, sequi-

---

18. *in conditione enuntiationem*] Eins. a sec. m. Paris. — *in conditione enumerationem* Eins. a pr. m. Bass. — *in conclusione enumerationem* Ven. 25. *indicavimus de luce* Paris.

tur, ut id etiam, quod primum est, abnegetur, hoc modo: *Si hoc est, illud est; illud autem non est: igitur ne hoc quidem est.* In exemplis ita: *Si homo est, animal est; animal autem non est: homo igitur non est.* Tullius ita dixit, quum id, quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundum esse modum, quasi connexa propositione affirmativis partibus iuncta. Universaliter autem rectius diceretur, quum id, quod annexum est, id est, secundum, perimitur, perimi illud quoque, cui annexum est, id est, primum, ut, si affirmativum est id, quod annexum est, negatione perimatur, si vero negativum, affirmatione. Et de eo quoque, cui annexum est, id est, primo, idem est, ut, si in connexa propositione affirmatur, in conclusione denegetur secundum nunc propositum Ciceronis exemplum, si vero negativa sit propositionis prior pars, in conclusione contraria affirmatione tollatur. Tertium vero modum ait esse Cicero, quum ea, quae coniuncta sunt, denegantur, et his alia negatio rursus adiungitur; ut, quia animal homini coniunctum est, ita dicamus: *Non et homo et non animal est*, atque ex his unum ponitur, ut, quod relinquitur, auferatur, hoc modo. Ponimus hominem esse, dicentes: *atqui homo est.* Quod ergo relinquitur, *non est animal*, aufertur atque concluditur: *animal igitur est.* Fit enim argumentatio hoc modo: *Non et homo est, et non animal; atqui homo est: animal igitur est.* Ex his nasci dicit enthymemata ex contrariis conclusa, quibus plurimum rhetores uti solent. Atque haec enthymemata nuncupantur, non quod eodem nomine omnis inventio nuncupari non possit (enthymema namque est mentis conceptio, quod potest omnibus inventionibus convenire): sed, quia haec inventa, quae breviter ex contrariis colliguntur, maxime acuta sunt, propter excellentiam speciemque inventionis commune enthymematis nomen proprium factum est, ut haec a rhetoribus quasi proprio nomine enthymemata vocentur: sicut Graecus quoque poëta Homerus *poëta* tantum dicitur, et quisquis ex Homero aliquid profert, ita dicere consuevit: „Hunc versum poëta locutus est", et tunc non alius intelligitur praeter Homerum, non quod ceteri non sint poëtae, sed quod excellentia eius commune nomen vertit in proprium. Fiunt vero haec enthymemata hoc modo, ex contrariis videlicet texta: *hunc metuere, alterum in metu non ponere*, velut si de Lentulo et Cethego ceterisque diceretur. *Paucos cives interfici metuis; ne res publica intereat, nihil laboras.* Connexum quippe est, ut, quicunque noluit interire paucos cives, rem publicam multo magis nolit exstingui. Quibus quum interponitur negatio, fit ex repugnantibus argumentum. Sed hoc breviter Tullius enuntiavit, nos vero argumentum in syllogismum redigamus, a repugnantibus scilicet, ex quo enthymemata nasci solent, hoc modo. Sit connexum: *Si quis metuit cives paucos interfici, is metuit interire rem publicam.* Interponitur negatio sic: *Si quis metuit cives paucos interfici, is non metuit interire rem publicam.* Iungitur alia negatio: *Non, si quis metuit paucos cives interfici, non metuit interire rem publicam.* Quae duae negationes uni affirmationi pares sunt, quae dicit: *Si quis metuit hoc, metuit et illud.* Cuius quidem assum-

ptio est: *at metuit hoc.* Conclusio sequitur: *metuit igitur illud:* quae tantumdem valet, si negando interrogetur, ita: *Hoc metuis, illud non metuis?* Sed quia non totus (ut supra posuimus) in his argumentationibus ponitur syllogismus, sed propositio, cuius assumptio et conclusio notae sunt, idcirco enthymema dicitur, quasi brevis animi conceptio. Et in ceteris exemplis idem modus est. Sed haec quidem Ciceronis similitudo non tam ex repugnantibus quam ex contrariis argumentum intelligitur continere. *Metuere* quippe et *non metuere* contraria sunt, nisi haec ipsa verborum prolatio a contrariis argumentum ad repugnantiam retrahat. Nam quod dicit *hunc metuere, alterum in metu non ponere*, tale est, ut repugnantia videantur. Etenim metuere et non metuere vere contraria sunt. In metu autem non ponere et metuere prolatione ipsa tam contraria quam repugnantia intelliguntur, licet eadem probetur esse sententia. His adiecit alia rursus exempla. *Eam, quam nihil accusas, damnas.* Huius enthymematis talis est integer syllogismus: *Non, si nihil accusas, damnas; sed nihil accusas: non damnas igitur.* Venit ergo hoc argumentum ex ea propositione connexa, quae ex duabus componitur negativis, ita: *Si nihil accusas, non damnas.* Posteriori vero parti detracta negatio est et insuper tota est propositio denegata hoc modo: *Non, si nihil accusas, damnas;* et ex ea factum est argumentum, quod positum in interrogatione efficit enthymema hoc: *Quam nihil accusas, damnas? Bene quam meritam esse autumas,* [dicis] *male mereri?* Huius quoque enthymematis talis est collectio: *Non et bene meritam esse autumas et male mereri; atqui bene meritam esse autumas: non male igitur mereri.* Quod enthymema ex propositione connexa perficitur, quae constat ex affirmatione et negatione ita: *Si bene meritam esse autumas, non male mereri.* Cuius ex posteriore parte dempta negatione totaque propositione denegata, fiet propositio: *Non, si bene meritam esse autumas, male mereri:* quod in interrogationem deductum facit enthymema: *Bene quam meritam esse autumas, male mereri?* Item: *Id, quod scis, prodest; nihil id, quod nescis, obest?* Hoc quoque enthymema tali nectitur syllogismo: *Non et id, quod scis, prodest, et id, quod nescis, non obest; atqui id, quod scis, prodest: obest igitur, quod nescis.* Hoc argumentum ex ea propositione compositum est, quae duabus affirmationibus iuncta accepit mediam negationem et insuper denegata est. Quod interrogatum fit enthymema hoc modo: *Id, quod scis, prodest; nihil id, quod nescis, obest?* Omnium vero [positorum] superius exemplorum ista sententia est. Nam quam quisquam nihil accusat, eam damnare recte non potest; et eam, quam bene meritam esse autumat, male [dicere] eandem mereri turpe est; et si id, quod scit quisque in causa, proderit, oberit, si est contrarium, id, quod nescit. Hunc vero locum communem esse oratoribus ac philosophis dicit, sed apud illos tertium modum,

---

10. *dixit hoc metuere* Eins. 23. *dicis* om. Eins. Ven. Bass. 31. *quod interrogatione ded.* Ven. Paris. 39. *positorum* om. Eins. Ven. Bass. 41. *dicere* om. Eins. Ven. Bass. 42. *eandem mereri*] Ven. — *de ea mereri* Eins. — *mereri de ea* Bass. — *mereri* (simpliciter) Paris.

apud rhetores enthymema nuncupari. Reliqui, inquit, modi plures sunt. Nam quum tres superius enumerasset modos, adiungens quattuor plures dixit. Hi sunt in disiunctionibus constituti hoc modo: *Aut hoc, aut illud; hoc autem: non igitur illud.* Qui est quartus modus a nobis quoque supra positus ita: *Aut dies est, aut nox est; dies autem est: non igitur nox est.* Et semper, quod ait Cicero, *hoc* ad praecedens spectat; quod vero ait *illud*, ad consequens, sive in connexis propositionibus sive disiunctis. Item: *Aut hoc, aut illud; non autem hoc: illud igitur.* Hic quoque quintus modus est, velut in his exemplis: *Aut dies est, aut nox est; non autem dies: nox igitur est.* Quarum conclusionum necessitatem ex eo dicit evenire, quia, quae in disiunctione sunt posita, medium non videntur admittere, ut esse aliud praeter eorum alterum possit: atque ideo uno sublato alterum esse, unoque posito alterum non esse concluditur. Quod si sit medium, quod praeter alterutrum esse possit, nec vera est propositio, nec rata conclusio, velut in his: *Aut album est, aut nigrum.* Id falsum est. Esse enim praeter ea rubrum potest. Sed si ponamus esse album vel auferamus, non necesse erit non esse vel esse nigrum, quia rubrum esse, quod est medium, potest. Deinde, inquit Tullius, addunt coniunctionum negantiam, in disiunctivis scilicet propositionibus, hoc modo: *Non et hoc et illud; hoc autem: non igitur illud.* Id est: *Non et nox et dies est; nox autem est: non igitur dies est.* Hic igitur sextus modus esse praedictus est. Septimus autem est ex eadem veniens propositione, hoc modo: *Non et hoc et illud; non autem hoc: illud igitur;* velut si ita dicamus: *Non et nox et dies est; non autem nox est: dies igitur est.* Quae propositiones nisi in disiunctis medioque carentibus rebus ratam conclusionem habere non poterunt. Age enim ita dicamus: *Non et album est, et nigrum*; ponamusque non esse album; non consequitur, ut sit nigrum. Potest enim esse, quod medium est. Huiusmodi igitur per negationem coniunctionum (ut Tullius ait) propositio, si ratas factura est conclusiones, in disiunctis rebus medioque carentibus accommodetur; alias non erit rata conclusio. Distat vero propositio tertii modi a propositione sexti et septimi, quod tertii modi propositio ex coniunctis nascitur, haec sexti et septimi ex disiunctis terminis exsistit, ut in superioribus patet exemplis. Ex his igitur, inquit, modis conclusiones innumerabiles nascuntur. Unus enim quilibet horum modorum infinitis conclusionibus aptari potest, veluti primus ac secundus in omnibus, quae sibi connexa sunt, quorum nullus est numerus, si quis persequi velit. Itemque repugnantium infinita est multitudo, in quibus tertius modus est utilis. Item plura disiuncta sunt, in quibus quartus et quintus et sextus et septimus plurimum valent. Atque in his, inquit, omnis fere est dialectica; sed ad topicos locos tres primi modi sunt necessarii, qui antecessionem, consecutionem et repugnantiam tenent. Reliqui vero complendae disputationis magis gratia quam, quod ad hanc institutionem necessarii fuerint, videntur adiecti.

---

27. *disiunctivis* Paris. et mox om. *rebus.* 32. *accommodatur* Ven. Paris.

(Cap. 14. §. 58. — cap. 15. §. 59.) *Proximus est locus — — necne sola per se, quaestio est.*

Post eum locum, qui in conditione est constitutus, consequens erat is, qui considerabatur ex causis. Post hunc is enumeratus locus est, qui in effectis causarum positus argumenta praestabat. Quorum quidem superius M. Tullius exempla posuit, nunc rationem latius tractat. Quum igitur Aristoteles quattuor posuerit causas, quibus unum quodque conficitur, primam, quae movendi principium est; secundam, ex qua fit aliquid, quam materiam vocat; tertiam, rationem ac speciem, qua unum quodque formatur; quartam, finem, propter quem quodlibet efficitur: at vero M. Tullius principalem causarum divisionem facit in ea, quae efficiant aliquid, et in ea, sine quibus effici nequeat, ut id, quod efficit, ad eam causam conferatur, in qua motus principium constitutum est; id vero, sine quo non fit aliquid, tum ad intellectum materiae transferatur vel eorum, quae coniuncta materiae efficientis adiuvant facultatem, tum ad reliquas causas ducatur, ut paullo posterius apparebit. Eius igitur causae, quae vi sua id, quod sub ea subiectum est, efficit, tale ponit exemplum, ut: Ignis accendit. Nam accensionis ipsius causa ignis est et id efficere potest, atque illud, quod accenditur, movet atque permutat. Eam vero causam, sine qua id, quod faciendum est, fieri nequit, ab una eius parte designat, veluti quum dicit, aes causam esse statuae, quod sine eo statua non possit exsistere. Haec enim, ut per faciendam divisionem clarescet, non ea ipsa est causa, sine qua non efficitur, sed pars eius esse monstrabitur. Eam vero causam, sine qua id, quod faciendum est, effici non potest, dividit hoc modo: Alia enim eius sunt quieta, nihil agentia, stolida quodammodo ac per se, nisi agendi extra motus accesserit, immobilia; horum exempla, ut locus, tempus, materia, instrumentum. Omne enim, quod fit, locum necesse est habere subiectum, in quo nisi aliquid fiat, locus ipse immobilis est ad aliquid explicandum. Itemque materia et instrumenta, nisi manu moveantur artificiosa, ipsa naturaliter nihil egerint. Tempus quoque operationi subiectum est: quae si desit, nihil ipsum propriae naturae ratione perfecerit. Atque haec quidem sunt, quae nihil per se agentia tamen causae sunt, si iis efficiens operatio supervenerit; alia vero, quae in motu posita praecursionem quandam ad efficiendum ac praeparationem videntur afferre, ut amoris causa est congressio, quae praecessit, et amor flagitii. Ex his, inquit, causis Stoica disputatio fatum connectit. Fatum enim dicunt esse praecedentium causarum subsequentiumque rerum perplexionem quandam atque catenae more continentiam, hoc modo: Ideo profectus est peregre, quoniam parentum iracundiam ferre non poterat; idcirco parentum succensionem non ferebat, quia amicae amore detinebatur; idcirco amabat, quod saepe fuerat ante congressus; ideo congressus est, quia aliquid, ut congrederetur, praecessit. Itaque ordine praecedentium consequentiumque rerum fatum (ut dicit) a Stoicis necti-

13. *nequeat*] Paris. — *nequeant* ceteri. 40. *continentium* Eins. Bas. 2. 42. *par. successionem non fer.* Ven. — *par. iracundiam successione non fer.* Bass.

tur. Item dividit eam causam, quae vi sua efficit aliquid, in eam, quae ad efficiendum sibi sufficiat, eamque, quae extrinsecus adminiculationis indigeat. Sufficit igitur sibi ad efficiendum causa, ut: Sapientia efficere sapientes per se, nullo penitus adiuta, solet. Sed haec an sola beatos efficere possit, quaeritur, an ei sint extrinsecus addenda, quae iuvent, vel fortunae bona vel corporis. Itaque ea causa, quae vi sua efficit aliquid, aut talis est, ut nullo extrinsecus indigeat adiumento, aut talis, ut ei sint extrinsecus adiumenta quaerenda, veluti artifici instrumenta quaedam, quibus id, quod efficiendum est, explicet atque conformet. Eorum vero omnium, quae Tullius statuit in alterutra divisione causarum, illa quidem, quae vi sua explicant ea, quorum causae sunt, omnia tam per se ad efficiendum valentia quam quaesiti extrinsecus iuvaminis indigentia in eą Aristotelicae divisionis causa locabuntur, quae est principium motus: quamquam de sapientia tali causae non conveniat exemplum, sed potius ad rationem formamque contendat. Namque sapientia ratione quadam atque forma efficit sapientes. Eius vero causae, quam Tullius refert, sine qua non fit aliquid, materia quidem, tempus et locus id est, ex quo fit vel in quo fit, quae sunt efficientis subiecta naturae et, ut uno intellectu comprehendantur, vel materia sunt vel materiae vice supposita. Instrumenta vero eius causae sunt, quae ad finem spectant, sed non ipsa finis, quia non finis instrumenta respicit, sed haec finem. Instrumenta namque propter aliquem finem parantur. Sed mirum videri potest, cur congressionem, amoris causam, non inter ea numeraverit, quae habent efficiendi vim, sed inter eas posuerit causas, sine quibus effici non potest, quum tamen agat aliquid atque moveat. Nam ipsa congressio aliquid videtur efficere, similisque est ei causae, quae ipsa quidem habet efficiendi vim, sed sine adminiculo non potest; veluti quum quaeritur de sapientia, an sola beatum possit efficere. Sed Merobaudes rhetor ita disseruit, earum causarum, quae efficiendi vim haberent, eam esse facultatem, ut etiam si adiumentis extrinsecus indigeant, effectus tamen earum ad id spectet, quod efficiendum est. At in iis, quae sunt praecursoriae, etiam si eis antecedentibus aliquid exsistit, non tamen id, quod exsistere intelligitur, praecursio principaliter operatur. Sed ista quidem veluti sub quadam occasione praecurrit; illa vero res, quae exsistere dicitur, aliis operantibus nascitur, velut in congressione solitum est fieri. Fortasse enim non propter amorem quisque congreditur, sed praecedente congressione amor exsistit, quem non congressio principaliter appetebat. Itaque quoniam praeter congressionem amor exsistere non potuit, recte inter eas causas locata videtur, sine quibus non efficitur. Quoniam vero non efficit vi sua (quandoquidem nec principaliter, ut efficiat, spectat), sed tantum ea antecedente aliquid exsistit: recte inter praecursorias ac non inter efficientes causas est collocata.

---

8. *aliquid, aut - - ut ei sint*] Eins. — *aliquid, aut talis est, ut ei sint* (mediis omissis) Ven. Paris. — *aliquid, aut talis est, ut ei nulla sint* (item om. *ut nullo extr. ind. adi. aut talis*) Bass. 24. *numeraverit*] Eins. — *numeravit* Ven. Paris. — *enumeravit* Bass. 30. *Merob. in rhetorica diss.* Eins.

(Cap. 15. §. 60. — cap. 16. §. 61.) *Quare quum in disputationem — — inflammatur navis necessario.*

Prima quidem causarum divisio secundum Tullium fuit in ea, quae efficerent aliquid, et ea, sine quibus effici non posset; atque illud quidem, quod efficeret, in gemina item partitus est, scilicet in id, quod ad efficiendum aliquid necessariam vim possideret neque ullius indigeret extrinsecus adiumenti, et in id, quod nisi aliis adiuvantibus operari atque efficere non posset. Ac primum quidem de ea loquitur causa, quae efficiendi vim tenet. Eius enim ea pars, cui efficiendi necessitas adest, statim secum conclusionem comitem trahit. Dicta enim causa, quae necessario aliquid efficit, effectus etiam necesse est consequatur; veluti, si solem affuisse quis dixerit, lucem quoque affuisse monstrabit, aut quum alicui adesse sapientiam dixerimus, sapientem necesse est esse fateamur. At in iis causis efficientibus, quae extra positis indigent adiumentis, non eadem ratio est. Neque enim, ut quaeque huiusmodi causa dicitur, ita necesse est effectum sequi. Non enim huiusmodi causa necessario efficit, quod vult, nisi extra positis auxiliis adiuvetur. Idem est etiam in ea causa, quae ipsa quidem efficiendi vim non habet, sed sine ea non provenit effectus. Nam, ut Tullius quoque commemorat, nullam in efficiendis rebus adhibet necessitatem; atque ideo dicta causa non statim sequitur effectus. Neque enim, si congressus est, mox amavit, nec, si fuit aes, statuam quoque fuisse necesse est. Ex quo alia causarum partitio nascitur: aliae namque causae sunt necessariae, aliae minime. Non necessariarum aliae sunt efficientes, aliae, sine quibus non efficitur. Necessariarum vero causarum conclusio non solet conturbare; ut enim causa fuerit dicta, statim in conclusione sequuntur effectus. Non necessariarum vero, quae sunt partim efficientes (quod nunc tacuit, sed paullo ante praedixit) non habent subsequentem effectae rei conclusionem. Neque enim, si liberi sine parentibus non sunt, idcirco in parentibus efficiendi causa necessaria fuit, quum videamus in hominum esse potestate, ne gignant. Ea vero causa, quae ipsa quidem non efficit, sed sine ipsa effici non potest, huiusmodi est, quemadmodum Enniano versu declaratur. Nisi enim cecidissent abiegnae trabes ad terram, Argo illa facta non esset. Ex trabibus namque Argo facta est, sed nulla inerat trabibus necessitas, ut ex eis fieret navis. At vero ea causa, quae est efficiens et quae in se suam continet necessitatem, talis est, quale quum in Aiacis navem igneum crispisulcans fulmen iniectum est. Statim enim accendi necesse est navim, quia ignis accendendi necessaria causa est. Et sensus quidem est huiusmodi. Ordo autem paullo confusior est. Ait enim hoc modo: „Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet; hoc autem, sine quo non efficitur, saepe conturbat." Quod quum dixisset, quumque vel utriusque vel alterius exemplum ponere debuisset, neutri convenientem exemplo similitudinem dedit. Namque quum vel necessariam causam efficientem, vel eam, sine qua non efficitur, proposuisset: eius causae posuit exemplum, quae

23. *alia*] Eins. — *aliarum* Edd. 45. *neutri*] Paris. — *neutro* ceteri.

efficiat quidem aliquid, sed non sine extra positis adiumentis, hoc modo: „Non enim, si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria." Parentes enim et maxime masculini sexus efficiens causa est, sed non sine femina, id est, non sine materia quadam et ea causa, sine qua fieri non possit, quum ipsa vim efficiendi non habeat. Itaque nec causae necessariae et efficientis posuit exemplum, nec eius, sine qua fieri nihil possit, sed efficientis quidem, non tamen necessariae. Sed videtur tacuisse in propositione id, cuius posuit exemplum. Ita enim apertius dici potuisset: Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet; hoc autem, quod non habet efficiendi vim necessariam, vel hoc, sine quo non efficitur, saepe conturbat. Itaque sic intelligendum est, quasi ita sit dictum. Nam de necessaria causa nullum posuit exemplum. Quod vero subiecit, utrisque causis convenit posterius enumeratis, tam efficienti non necessariae, quam ei, sine qua nihil efficitur. Parentes namque tam masculini sexus quam feminini esse dicuntur: quorum quidem masculini sexus ea causa est, quae efficiat, sed non necessaria, feminini vero ea, quae non efficiat, sed sine qua effici non possit. Quae quum ita sint, discernendae sunt causae et praevidenda necessitas, nec omnis causa praemittenda, ut subsequatur effectus, sed ea tantum, in qua est efficiendi necessitas, etiam si extrinsecus adiumenta defuerint.

(Cap. 16. §. 62.) *Atque etiam est causarum — — causae non necessariae.*

Facit aliam rursus causarum divisionem ita: Causarum enim aliae sunt, quae sua quadam vi, sine appetitione, sine voluntate, sine opinione unum atque eundem in efficiendis rebus ordinem tenent, ut est, interire omnia, quae orta sunt. Nam quia ortum est, idcirco etiam necesse est interire, nec tamen ipse ortus, ut cetera intereant, vel appetitu aliquo vel voluntate vel opinione efficit, sed ita est ab aeterno rerum statu, ut, quidquid ortum est, quia occepit esse, aliquando etiam esse desistat. Item aliae sunt causae, quae aut in voluntate aut in perturbatione animi aut in habitu aut in natura aut in arte casuve consistunt: voluntate, ut, si quaerat aliquis, cur Trebatius librum legat, respondebitur: quia legendi voluntas est; perturbatione animi, ut, si quis timore pallescat aut urbem fugiat bellis civilibus conturbatus; habitu, ut, si idcirco Trebatius facile de iuris ratione responderit, quoniam multo usu constantem civilis scientiae habitum tenet, vel si quis idcirco irascatur facile, quia eius animus per iracundiae habitum efferatus est; natura, ut, si quis idcirco dicatur irasci, quia naturaliter iracundus est idque ei in dies vitium crescat; arte, ut, si idcirco bene quisque pingat, quia eius artis peritus esse proponatur; casu, ut, quae in nostra potestate nullo modo sunt, fiunt tamen, velut incerto praesertim tempore prosperitas navigandi. Atque horum omnium nihil causa vacuum est, nec quidquam est in rebus, quod non aliqua causa perficiat. Omnia enim, quae fiunt, habent aliquam rationem, cur facta

16. *ei*] Paris. — *eius* ceteri. 19. *qua esse non* Ven. Paris. 31. *occepit*] Sic scripsi. — *accepit* Kins. Ven. Bas. — *coepit* Paris. 42. *quisque*] Malim *quis*.

sint: quam si quis reddere possit, causam quoque reddiderit. Id est enim causa, propter quam unum quodque fit. Omnes vero causae, quae vel ex voluntate vel perturbatione animi intelliguntur, ad eam causam pertinent, quae est movendi principium, ut in Aristotelica diximus divisione. Haec enim, ut aliquid efficiatur, movendi principium sunt. At in arte vel habitu vel natura illa causa est, quae in ratione consistit. Species enim ac ratio unius cuiusque efficiendae rei in arte et habitu et natura posita est. Casus vero exterior causa nec inter principales annumeratur secundum Aristotelem. Secundum M. Tullium vero casus est latens effectae rei causa: quod quale sit, paullo posterius designabitur.

(Cap. 16. §. 63. — cap. 17. §. 64.) *Omnium autem causarum — — ignorata videantur.*

Rursus causarum divisionem aliam claram ac perspicuam prodit. Causarum namque aliae sunt constantes, aliae vero inconstantes. Constantes sunt, quarum non fere variatur effectus; inconstantes vero, quae huc atque illuc facilioribus mutationibus transferuntur. Omnia igitur, quae ex natura atque arte descendunt, constantia sunt. Natura quippe atque ars suum semper opus efficiunt, nisi subiectae materiae obstet incertum. Nam quod unus idemque artifex ex eadem saepe materia non admodum similes statuas format, non est haec in arte varietas, sed tum in artificis manu, quae integritatem artis assequi non potest, tum in ipsa materia, quae efficientiae atque formae non aequaliter cedit. Idem est in natura. Servat namque constantiam suam, quum hominem format ex homine, itaque similia in ceteris ex similibus gignit. At quum monstrosum aliquid efficitur, non naturae vitio, sed materiae potius applicatur, ex qua id, quod efficere contendebat, non ita potuit natura explicare, sed inter constantes causas habitus quoque debuit adiungi. Nam quod ex habitu cuiusqué fit, id constans nec mutabile esse solet: quandoquidem idcirco habitus dicitur, quia diuturnitate habendi in naturae similitudinem vertitur. Sed forsitan illud Tullius vidit, quod natura atque ars non tam in effectibus constantes quam in propria ratione esse intelliguntur, in tantum, ut, quod ars ac natura delinquit, materiae saepius imputetur. Habitus vero ipse consuetudine quadam collectus est, qui non ratione aliquid et propria constantia, sed usu facit. Atque idcirco forsitan habitum, qui inter cetera praeter artem et naturam videbatur esse constantior, a causis constantibus segregavit. Ea vero, quae non sunt constantia, in ea dividit, quae sunt perspicua, et in ea, quae latent. Perspicua sunt, quae ab animi quolibet motu vel appetitione vel iudicii ratione profecta sunt. Latent vero, quae fortunae subiacent. Nam quia non ignorat animus, in quam partem declinet, qui tametsi boni aliquando iudicium, nunquam tamen eius rei, quam efficit, notionem relinquit, praeter eos, qui funditus mente capiuntur et in quibus iam nulla voluntas est: necesse est nota esse, quae ex voluntate vel animi iudicio fiunt. Fortuna vero atque casus semper ignotus est: cuius quidem

26. *efficitur*] Paris. — *effertur* ceteri.

natura aeque incerta est atque ea, quae casibus ipsis fiunt. Sed M. Tullius definit esse casum eventum causis latentibus effectum: quae non videtur integra definitio. Quid enim, si adhuc lateret, quibus causis solaris defectus et lunaris contingeret, num idcirco casu ac fortuna fierent, quae constantibus caeli motibus administrantur? An casus quidem putaretur ab iis, qui defectus rationem reperire non possent, per se autem consideratus nullo modo esset casus? Sed M. Tullius non, quid videretur esse casus iis, qui eius naturam minime perspexissent, sed, quid omnino fortunae eventus esset, definitionis ratione monstrabat. Eventum vero latentibus causis Cicero casum esse ita concludit: Quum omnia certis de causis fiant, quorum ratio cognoscitur, eorum eventus casu fieri non posse monstratur, sed putatur aliquid fieri casu eorum, quorum causa nulla ratione cognoscitur. Ex quo evenit, ut fortunae sit eventus, qui latentibus causis efficitur. Hic igitur in rebus quidem ipsis constantiam ponit, casum vero non re, sed opinione metitur. Quo fit, ut si alter effectae rei noverit causam, id, quod accidit, non sit fortunae eventus, idem tamen fortunae eventus sit, si rationem alter ignoret. Quod vero omnium rerum causas esse dicit, non determinat, quales; atque ideo nec de fortuna ipsa, quorum eventuum causa sit, monstrat. Nec me scaevae hominum mentes arrogantiae notent, quod velut affectata auctoritate Tullianis sententiis pugnem, quum adversus eas si quid videbitur, non nostra, sed ab antiquissimis tractata compensem. Quod si nostra quoque diceremus, oporteret tamen eos non personarum vetustatem, sed eorum, quae proponuntur, considerare rationem, nec odisse potius, quae adversus magni nominis viros dicuntur, quam contraria, si possent, argumentatione revincere. Nam si eis M. Tullius in definitione rerum nimium placet, quaenam est invidia, nos quoque Aristotelicam rationem probare? Quod si intemperanter molestissimi esse pergunt, audiant M. Tullium secundo Tusculanarum disputationum libro adhortantem potius atque ad certamen vocantem hoc modo: *Sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. Ipsa enim Graeciae philosophia tantum in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque crevisset. Quam ob rem hortor omnes, qui facere id possunt, ut eius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et transferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri transtulerunt.* Et rursus nos, qui sequimur probabilia nec ultra, quam quod veri simile occurrit, progredi possumus, et refelli sine pertinacia et refellere sine iracundia parati sumus. Quocirca quae, malum, ratio est, ipsius M. Tullii voluntatem iudiciumque convellere, quum eiusdem contra nos sententiis atque auctoritate nitantur? Sed si cui commen-

---

7. *nullo modo*] Eins. — *nullo quidem modo* Edd. 20. *scaevae*] Ven. — *saevae* Eins. Bass. — *laevae* Paris. 30. Tuscul. Disput. lib. II. cap. 2. §. 4. 5. 33. *In ipsa enim Graecia ph. tanto* Edd. Ciceronis. 35. *viguisset* Edd. Ciceronis. 36. *ut huius quoque* Edd. Ciceronis. 41. *quae mala ratio* Eins. Paris.

tarios nostros inspicere vacuum fuerit, sciat haec nos ex Aristotelis secundo Physicorum volumine vertisse. Quae tametsi altioris philosophiae disputationes tangunt, non est tamen nostris studiis invidendum, si rhetoricis quoque ac dialecticis disputationibus admisceamus, quae sunt profundiora naturae; neque pigrescere ac dilassari animos aequum est, quos intentiores ac vegetos ipsa rerum ambiguitas et variarum cognitio speculationum deberet efficere: quum praesertim ea librorum natura sit, ut ad legendum studiosos teneat, nullum cogat ignavum. Dicamus igitur, quid eventus sit fortunae vel quarum rerum fors causa esse dicatur. Omnia igitur fiunt vel immutabiliter ac semper, ut, quod sol oritur; vel saepius, ut, quod equus quadrupes nascitur; vel raro, ut, si equus cum quinque vel tribus pedibus procreetur; vel aeque, ut, in quibus faciendarum rerum nihil interest, quo potius voluntatem vergamus. Atque illud quidem, quod semper fit, nihil habet oppositum, quod ullo modo aliter fiat. Id vero, quod saepe contingit, habet adversum id, quod rarius evenit; neque enim saepius fieret ac non semper, nisi diversum raro quidem, sed aliquando [tamen] contingeret. Quod igitur ex fortuna fit, in sempiternis non est; quis enim casu solem dicat oriri? ne in iis quidem, quae frequentius fiunt: nullus enim casu equum dixerit esse quadrupedem; nec vero in iis, quae fieri aequaliter solent: nam quae voluntaria sunt, non videntur esse fortuita. Restat igitur, ut in iis fortunae eventus sit, quae rarius fiunt. Eorum vero, quae fiunt, partim finem aliquem spectant, partim minime. Quis enim finis esse potest, si manum extendam, si genua complicem atque aliquid iacens humi tollam, quod nullis usibus applicem? At vero ea, quae aliquem finem spectant, partim voluntatis sunt, partim naturae: voluntatis, ut, si quis idcirco domo egrediatur, ut videat amicum; naturae, ut, quod in animalibus omnia, quae ab ea fiunt, certam animalis respiciunt utilitatem, atque ad eius salutem conservationemque omnium membrorum momenta sunt constituta. Casum igitur ac fortuitos eventus in iis esse ponimus, quae quum rarius fiant, in iis tamen per accidens eveniunt, quae propter aliquid fiunt; veluti, si quis egressus domo, ut amicum videret, praeteriens cadente desuper lapide ictus est. Id igitur, quod evenit, in rariore causa ponendum est; accessitque ad voluntatem, quae certum respiciebat finem. Ea vero fuit domo egrediendi [causa], ut amicum videret. Rursus, quoniam lapis naturaliter gravis est, gravitas vero terram petit: casus quidem lapidis propter aliquid naturaliter factus est. Ad id enim lapidis natura tendebat, ut in suum locum pondus veniens conquiesceret. Sed huic naturali intentioni accidit id, quod rarius evenit, scilicet, ut percuteret. Quo fit, ut sit fortuna vel casus causa per accidens rarius evenientium in iis rebus, quae propter aliquid fiunt. Quae quum ita sint, quumque definitio Aristotelica a Tulliana pluri-

2. *vertisse*] Paris. — *invertisse* Eins. — *advertisse* Ven. Bass. 3. *nostris* add. Eins. 5. *profundiora naturae*] An *profundioris naturae?* 9. *fors*] Eins. Ven. — *sors* ceteri. 17. *tamen* om. Eins. Ven. Bass. 26. *applicetur* Eins. 35. *accessitque ad voluntatem*] Eins. — *accessit vero ei voluntati* Ven. Bass. — *accessit tamen causa ex voluntate* Paris. 36. *causa* om. Eins.

mum discrepet, illud tamen in utrisque constat, id, quod fortunae subiectum est, incertis casibus semper esse suppositum. Nam licet in iis rebus saepe fortuna suos experiatur actus, quae voluntariae sunt et ad aliquem finem referuntur: extra tamen accidit, quod fortunae est, nec ab eo fine venit, quem sibi animus ante praestruxerat. Sed quum Cicero divisisset causas in eas, quae perspicuae sunt, et in eas, quae latent, diceretque perspicuas esse, quae appetitionem animi iudiciumque tangerent: manifestum est eum vel artem vel voluntatem vel perturbationem vel habitum in iis causis ponere, quae perspicuae sunt. Voluntas quippe atque animi perturbatio in appetitione ponitur, saepe enim perturbatione aliquid appetimus: artem vero vel habitum in iudicio; arte namque iudicamus, habitus vero ad utrumque pertinet; nam et voluntates consuetudo ministrat, et multo usu peritiaque fit quaedam constantia iudicandi. Casum in non perspicuis posuit. De natura incertum est, utrum inter perspicuas, an inter latentes causas posuerit. Nam, si inter latentes, ipsam naturam casum videretur putare: cuius opinionis nulla ratio est. Quod si inter perspicuas, quaenam appetitio animi vel iudicium in natura est? neque enim appetendo aliquid vel iudicando facit natura: nisi forte, quoniam ex ipsa saepe habilitas quaedam mentis et corporis exsistit (quae habilitas ad unam quamque rem adiuvat voluntatem; id enim maxime volumus, ad quod habiles sumus), natura inter perspicuas causas ponatur: quae iudicio quoque coniuncta est, ut, si naturaliter sano quisque iudicio compositus est; appetitioni etiam, ut, si naturaliter aliquid animus petat. His adiungit aliam causarum divisionem. Ait enim alias causas esse voluntarias, alias ignoratas: voluntarias eas, quaecunque ex iudicio veniunt animi; ignoratas, in quibus necessitas domina est, id est, in quibus aut omnino non volumus aut ne si velimus quidem aliter facere possumus, ut in natura atque casu. Necessitate enim quadam naturae gravia deorsum feruntur; necessitate item factum dicimus, ut aliquis ignorans iacto trans parietem lapide praetereuntem hominem peremerit. Quae necessitas talis est, non quod aliter fieri non potuisset, nisi ut lapide iacto percuteret, sed quia voluntas defuit et non idcirco, quia voluit, fecit. Prior vero necessitas talis est, in qua vel nulla voluntas est vel ea, quae est, ne id, quod cupit, efficiat, validiore necessitate constringitur. Nam quum lapis deorsum propria gravitate deponitur, nulla voluntas est, sed tantum naturae necessitas: at si homo deorsum cadat, est quidem non cadendi voluntas, sed ferri, quo non vult, validior naturae causa compellit. Voluntatem vero a fortuitis eventibus uno eodemque aptissimo secrevit exemplo; veluti, si telum manu iaciat nolensque feriat praetereuntem. Nam iecisse ex voluntatis principio nascitur. Idcirco enim iecit, quia voluit. Ignoravit vero, quod percuteret; neque enim iecisset, si se percussurum

---

7. *quae latent, diceretque persp. esse*] Eins. — *quae laterent, quumque eas, quae perspicuae sunt (sint* Bass.), *diceret esse* Edd. 13. *consuetas* Ven. Paris. Ib. *multo habitu fit* Eins. 16. *lat. causas posuerit*] Eins. — *lat. ipsam naturam collocet* Ven. Paris. — *lat. causas ipsam collocet* Bass. 22. *ponatur*] Eins. — *ponitur* Edd. 34. *idcirco quae voluit* Ven. Paris.

praevidere potuisset, neque iecit, quia voluit percutere. Si autem non ignorasset, non percutere potuisset. Unde etiam machinamentum quoddam atque defensio in iuris peritorum responsionibus invenitur, hoc modo: *Si telum manu fugit magis quam iecit.* Nam si quis caedis accusetur, optima solet esse defensio, si alia non suppetit, fugisse manu telum et magis quam voluisset iecisse, ut non voluntati, quae condemnatur in culpis, sed ignorantiae factum tribuatur. De perturbationibus animorum paullo confusius iudicium est. Dubitari enim potest, ex voluntate an necessitate an ex ignoratione venerit, quod perturbatione peccatur. Videntur enim esse voluntaria peccata, quoniam, qui perturbatus est, appetit aliquid aut fugit. Sed in hoc perturbatio eius apparet, quod non fugienda vitat et non appetenda nimium exoptat. Porro autem, quoniam in perturbationibus sunt confusa iudicia (neque enim aliter id, quod fugiendum est, saepe appetunt perturbati, nisi obcaecato obscuratoque iudicio; quod vero fit animi confusione, saepe tale est, ut nollet admisisse, qui fecit): evenit, ut non inter voluntarias, sed inter ignoratas vel necessarias causas animorum perturbatio sit. In tantum vero, qui perturbatus est, a vera discretione discedit, ut in eam possit recta bene consulentium admonitione reduci. Quo fit, ut animorum perturbatio iure a causis voluntariis segregetur et aut in ignoratione aut in necessitate ponatur. Nam quod ait, *tamen habent tantos motus, ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum aut certe ignorata videantur*, ita intelligendum est: Quoniam omnis animi passio iudicium turbat, confundit vero rectam discretionem, si acrior fuerit, quam ut rationis retinaculis temperetur: fit quaedam ex perturbationibus veluti violenta necessitas, ut dubium sit, utrum is, qui aliquid perturbatus animo facit, ignorans faciat, veluti, quum casu ignorans delinquit, quum futurum non providet casum, an sciens faciat, sed necessitate ducatur. Quod igitur dixit aut necessaria esse aut ignorata et divisit a necessariis ignorata, non pugnat contra id, quod superius dixit, ea, quae ignorata sunt, esse necessaria. Nam id, quod est ignoratum, ita quodammodo dividit. Ignoratorum alia quadam necessitate fiunt, dum aut nulla voluntas est, aut ea, quae est, necessitati nequit obsistere; alia casu, quum in iis faciendis, quae ignorantur, nulla voluntas est. Quod igitur dixit perturbationes animi aut in necessariis causis poni aut in ignoratis, id sine dubio sensisse intelligitur, perturbationes animi aut in iis esse ignoratis, in quibus ea necessitas est, ut voluntas obstare non possit, aut in iis, in quibus nulla voluntas est, sed fit delictum caecitate iudicii, velut in iis, qui immoderatius amoris cupiditati deserviunt. Aut enim confuso iudicio ab honestate discedunt, et, dum quasi bonum appetunt, in malum decidunt ignorantes, atque ita in casu quodam atque errore ponitur amor immodicus: aut novit quidem, quod appetit, esse vitandum, sed maioris actu cupiditatis impellitur: atque inter ea necessaria ponitur, quae aut non habent voluntatem, aut eam ita infirmam ac debilem, ut nullo modo validioribus passionibus obnitatur.

19. *ut in eam vix possit saepe recta* Paris.

BOETHII
COMMENTARIORUM
LIBER SEXTUS.

Fore quosdam, Patrici, rhetorum peritissime, non dubitaverim; qui hunc in Topicis altiorem ex philosophia tractatum varia obtrectatione reprehendant, quia inter logicam disputationem physicam interposuerat. Hi vero sunt, vel quibus hoc totum philosophari displiceat, vel qui in argumentorum locis naturales admisceri causas oportuisse non existiment. Sed contra priores quidem et a M. Tullio et ab ipsa quodammodo humana ratione, quae in motu posita aliquid semper inquirit atque amore scientiae neque decipi patitur neque ullo modo a veritatis ratione traduci, saepe multumque responsum est. Iis vero, qui sequestrandas ab oratoria facultate philosophiae disciplinas putant, respondendum breviter existimo. Ratione quidem reperiri quid potest, sed id melius atque facilius artifex faciet, si in opere construendi artis facilitatem atque elegantiam comparet. In argumentis quoque idem esse manifestum est. Vi namque naturalis ingenii argumenta promuntur; sed ars facultatem imitata naturae viam quandam rationemque reperit, qua id effici facilius ac melius possit. In qua re illorum necesse est reprehendatur error, qui rhetoricam facultatem naturalem esse dixerunt, quoniam quilibet totius artis alienus et intendere in alterum crimen et sese purgare solet et argumento aliquid probare contendit. Reprehendendi etiam sunt, qui eandem facultatem in sola arte positam esse dixerunt. Oportuit enim eos animadvertere, omnem quidem artem sui materiam effectus ex natura suscipere, sed in ea tamen ratione propria facultatem elegantiamque experiri. Haec itaque, quae artium ratio perficit, ab imperitis etiam fieri, utcunque contigerit, possunt. Bene autem ac facile nemo efficit, nisi artis ratione fuerit instructus. Quum igitur totius operis haec sit intentio, ut argumenta, quae confusa et veluti clausa natura suppeditat, artificialiter vestigentur: quid sit, per quod efficere id, quod promittit, ars valeat, sub exempli notatione demonstrat. Ut enim facilius argumenta reperiantur, illa res efficiet, si demonstrentur loci, in quibus argumenta sunt collocata. Etenim ut, si quis aliquid quaerat, facilius id investigare possit atque invenire, si locus ei monstretur, ubi sit positum id, quod inquirit: ita etiam quum

---

20. *facultatem non naturalem* Eins. Fort. *fac. modo naturalem*, ut statim *in sola arte positam;* mō et nō autem saepissime confunduntur.

quis argumentum invenire conatur, si ei locus, ubi argumentum sit positum, declaretur, facilius argumentum, quod quaerit, valeat invenire. Ita enim Aristoteles et ita Tullius appellat eas sedes, in quibus argumenta sunt collocata, id est, locos, qui ab Aristotele Topica vocati sunt. Sed quoniam de sedibus argumentorum loquimur, id cuiusmodi sit, paullo altius expediamus. Locus enim non uno modo intelligitur. Ac relinquamus quidem eos locos, quos Victorinus frustra atque inconvenienter interserit, velut eos, qui corpora concludunt; ac simpliciter intelligamus eos locos argumentorum esse, qui intra se continent argumenta: in quibus exponendis posterius, quid sit, quod dicimus, clarius apparebit. Nunc communiter de tota locorum ratione deque argumentatione ac de quaestionibus et propositionibus earumque terminis videtur esse tractandum. Ac primum, quoniam locus, qui tractatur in Topicis, non cuiuslibet rei, sed tantum locus est argumenti, exposito prius argumenti intellectu deinceps de loci ratione tractabimus. Definit igitur Tullius argumentum hoc modo: *Argumentum est oratio, quae rei dubiae faciat fidem.* Sumpsit igitur orationem ut genus. Omnes enim iniuriosi sunt, qui orationis virtutem a sapientiae ratione seiungunt aliamque esse dicendi artem volunt, aliam intelligendi. Nam si nihil oratione aliud agimus, nisi interius cogitata vulgamus, quae, malum, ratio est, orationis elegantiam a sententiarum gravitate seponere? quae porro sententiarum gravitas esse potest sine earum rerum, de quibus dicendum est, comprehensione? quae vero alia disciplina naturas proprietatemque rerum omnium docet, quaeve omnino eorum, quae intelligi possunt, scientiam profitetur, nisi haec tantum, ex qua nos pauca praesumpsimus, philosophia? Quae longe aliter de his ipsis in proprio sapientium tractatu disputare solet, neque ita cursim ut nos. Quae si, ut in illorum libris solet, prolixius disserenda sumpsissem, quis ferret insolentium hominum temeritatem profectus suos culpare volentium, [quibus profectibus proficerent,] si studiosi potius, quam queruli esse mallent? Sed his contentionibus neque antiqua caruit aetas nec nos ita delicati sumus, ut, quibus patientia doctissimorum hominum saepius obstitit, ferre nolimus, dum et pluribus prodesse possimus et sapientium iudicia consequamur. Ad quem finem hic noster labor et totius operis summa contendit. Sed haec hactenus. Nunc susceptae expositionis ordinem persequamur.

(Cap. 17. §§. 65. 66.) *Toto igitur loco — — de consultationibus suis disputare.*

Diviso causarum loco atque ordine suis partibus distributo de loci eiusdem facultate quibusque uberius quibusque angustius accommodetur, uti saepe Ciceroni mos est, disserit. Primum enim, inquit, oratoribus ac philosophis, quorum in disputationibus larga materia est, multa ex causarum loco argumentorum suppetit copia. Communis quippe oratoribus ac philosophis hic locus esse perspicitur, qui est a causis, his naturas rerum, quod est philosophiae proprium, illis, quod oratoriae

6. *hi cuiusmodi sint* Ven. Bas. 17. *oratio - - orationem*] Eins. — *ratio - - rationem* ceteri. 30. Verba seclusa om. Eins. Paris.

facultatis est, facta probantibus. Nam et quum res quaelibet quaeritur, eius causae a philosophis vestigari solent, quibus praemissis, ut superius dictum est, comitatur statim, quod concludendum est; et oratores ad suspicionem movendam detergendamve factorum causas requirunt. Hoc quippe stabile in hominum mentibus manet, quod neque factum neque res ulla praeter illam omnium principem naturam sine propriis causis possit exsistere. Quo fit, ut uberrimus causarum usus sit in rhetorum orationibus philosophorumque tractatu. Sed ut hunc libellum M. Tullius scribens pleraque omnia Trebatio dedisse videatur, hunc locum iuris quoque consultis attributum esse demonstrat dicens: Etsi non tam uberes opportunitates habeat hic locus in iuris peritorum responsionibus, subtilius certe atque acutius pro ipsius artis natura tractari potest, scilicet ubertatem, quae deerat, subtilitate, quae poterat inesse, compensans. Habent enim etiam ipsi proprium campum, in quo eorum virtus possit enitere. Est enim iuris consultorum provinciae privatarum quaestio causarum, maximeque in illis negotiis hic causarum locus examinabitur, in quibus bonae fidei iudicia nectuntur. In his enim, qui fuerit animus contrahentium, quaeri solet: qui deprehendi vix poterit, nisi praecedentibus causis intelligatur. In his igitur iudiciis, in quibus additur, ut EX BONA FIDE iudicent, id est, ubi ita iudices dantur, ut non strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quaerant, plurimus causarum usus est. Additur UT INTER BONOS BENE AGIER [OPORTET]: considerantur mores, inquiruntur consilia; statuitur, quibus quidque de causis administratum sit. In primisque in iudicio uxoriae rei uberrimus causarum tractatus est. Est autem iudicium uxoriae rei, quotiens post divortium de dote contentio est. Dos enim licet matrimonio constante in bonis viri sit, est tamen in uxoris iure et post divortium velut res uxoria peti potest. Quae quidem dos interdum his conditionibus dari solebat, ut, si inter virum uxoremque divortium contigisset, QUOD MELIUS AEQUIUS ESSET, apud virum remaneret, reliquum dotis restitueretur uxori, id est, ut, quod ex dote iudicatum fuisset melius aequius esse, ut apud virum maneret, id vir sibi retineret, quod vero non esset melius aequius apud virum manere, id uxor post divortium reciperet. In quo iudicio non tantum boni natura spectari solet, verum etiam comparatio bonorum fit, ut non tam quod bonum, sed quod melius aequiusque est, id sequendum sit. Quae omnia ex praecedentibus causis investigari solent. Nam si viri culpa divortium factum est, aequius melius est nihil apud virum manere; si mulieris [est culpa], aequius melius est sextans retineri. In hisque omnibus peritissimi iuris consulti esse debent. Quo fit, ut Trebatium quoque hortetur ad studium. Multa enim esse dicit, quae eorum operam exspectant. Illi enim, inquit, dolum malum, illi bonam fidem, illi aequum bonum, illi etiam, quid socius socio praestare debeat,

---

9. *pleraque non omnia* Eins. 16. *provinciae*] Eins. et uterque cod. Sang. — *provincia* Ven. Paris. — *prudentiae* Bass. 25. *agi* Ven. Bass. cum altero Cod. Sang. Ibid. *oportet* om. alter Cod. Sang. 39. *est culpa* om. Eins. 43. *aequum bonum*] Paris. — *aequum et bonum* ceteri.

quid is, qui alienum in se gerendum sponte negotium suscepisset, ei, cuius id negotium fuerit, quid is, qui mandaverit, ei, cui mandaverit suorum negotiorum actiones, quid vir uxori, quid uxor viro, tradiderunt: quae omnia ad posteriora causae sunt, atque exinde iudicia sumuntur. Idcirco enim, verbi gratia, quodlibet illud iudex pronuntiare debet in uxoris ac viri causa, quia virum hoc praestare oportet uxori; idcirco etiam mandator ei, cui mandaverit, obligatus esse iudicandus est, quia inter mandatorem susceptoremque negotii illud est observandum; omniaque, quae quis alteri praestare debet, ea in tractandis iudicandisque negotiis causae sunt. Quocirca recte conclusit, diligenter cognitis argumentorum locis et oratoribus et philosophis et iuris consultis argumentorum copiam non defuturam.

(Cap. 18. §. 67.) *Coniunctus huic — — cognitionem eventorum facit.*

Omnia, quae ad se referuntur, recte dicuntur esse coniuncta, ipsa enim relatio rerum efficit coniunctionem. Quod si causa alicuius causa est, non alterius nisi sui effectus est causa; itemque, si est aliquis effectus, ex causarum principiis venit. Iure igitur ab effectis locus causarum loco debet esse coniunctus. Quoniam vero semper, quae ad se referuntur, aequantur, necesse est, quae ubertas sit causarum, eadem quoque sit effectorum. Quoniam enim causa praeter effectum esse non potest, quum sit causa semper effectuum, necesse est, ut ex eventibus quoque atque effectibus plurima argumenta suppetant, si quidem ex causis etiam plurima contrahuntur. Nam sicut cuiuslibet effectus potest causa tractari, sic ex qualibet causa potest, qui sit eventus, ostendi; recteque ait: Causarum cognitio eventorum cognitionem facit. Ut enim in praedicamentis ostenditur, sciri relativum aliquod non potest praeter reliqui scientiam relativi.

(Cap. 18. §§. 68—71.) *Reliquus est comparationis locus — — quod sequitur igitur.*

Omnis comparatio duplex est: aut enim aequalia sibimet comparantur aut inaequalia. Sed in iis, quae sunt aequalia, semper eadem esse notatur aequalitas. Inaequalia autem in gemina veluti membra dividuntur, minoris scilicet atque maioris. Nam quod minus est, non per se minus est, sed comparatione maioris; itemque, quod maius est, minoris comparatione dicitur maius. Quae quum ita sint, dividit atque ante oculos ponit omnium comparationum modos, et, quod raro in superioribus locis fecit, ipsas maximas propositiones ponit in comparationibus constitutas, ut, si quando loco sit nobis comparationis utendum, habeamus quoddam velut inventionis exemplar, ad quod quaerentem animum possimus advertere. Omnis igitur comparatio aut in numero constat aut in specie aut in vi aut in aliqua locata extrinsecus affectione. Nam quodcunque conferre contendimus, aut numero comparamus et secundum id aliud maius, aliud minus esse decernimus;

---

9. *omniaque, quae quis*] Sic scripsi. — *omnia quae quis* Eins. — *omnia quoque quae quisque* Edd. 22. *semper effectuum*] Eins. Paris. — *super effectum* ceteri.

aut speciem ipsam intuentes eamque alii comparantes de excellentia iudicium damus; aut illud consideramus, quid res quaeque possit efficere et in quantum eius possit progredi natura; aut ex aliorum quodammodo continentia et ex circumstantium affectione rem, quam alii conferimus, intuemur. Numero igitur quae comparantur, si ex eodem sint genere, plura paucioribus anteponuntur, velut, si bona omnia sint aequalia, iure quisque plura bona paucioribus anteponit. Et est haec maxima propositio: Plura bona paucioribus anteponuntur. Et in ceteris quoque eadem ratio perspicitur maximarum propositionum. At si omnia in contrario sint genere, pluralitati paucitas praeferenda est, ut pauca mala pluribus malis; mala vero ipsa bonis nullo modo conferuntur. Quae enim ullo modo compensantur, in eodem esse genere debent, non in contrario. Nam quum adversum se contraria et e regione locata sunt, conferri compararique non possunt, quia sibi intelliguntur esse inimica. Est etiam secundum numerum comparatio in temporis quoque ratione. Nam quum tempus certis quibusdam spatiis dividatur, velut horae, diei, mensis atque anni: ex aequalibus ea magis eligenda sunt, quae diuturnius perseverant; quod in numero positum esse nullus ignorat. Ipsa enim diuturnitas plurimos esse vel dies vel menses vel annos fatetur, quibus duret id, quod eligitur. Longe etiam pervagata bona angustis et in unum minimum locum coartatis numeri comparatione praecedunt. Nam quae longe lateque pervagata sunt, ea in plurimas gentes regionesque diffusa sunt; pluralitas vero cuiuslibet rei numerum spectat. Iam vero, ex quibus plura propagantur bona, quis non iudicet esse meliora iis, quorum est inops bonorum contractiorque fecunditas? Quis etiam bonum, quod plures imitentur, ut faciant, ceteris, quae ita non sint, excellere non arbitretur? Quod in numero constare quis nesciat, quando in numero pluralitas constat? Specie vero comparantur, quae per se ipsa considerata suae quodammodo pulchritudinis merito ceteris anteferuntur. Meliora enim sunt, quae per se, quam quae propter aliud expetuntur, veluti salus, quae per se expetitur, medicina propter salutem. Quocirca melior est salus quam medicina. Atque haec non ad aliquem numerum nec postremo ad aliquam quantitatem, sed ad ipsam speciem salutis ac medicinae considerationem referentes iudicium promimus. Illa quoque, quae innata atque insita sunt, assumptis et adventiciis meliora iudicantur: unde innata moribus gravitas longe [plus] excellit ea, quae per imitationem affectatur. Integra etiam potius quam contaminata melioris iudicium ferunt. Nam quae integra sunt, suam speciem servant; quae contaminata sunt atque ex aliqua parte vitiata, si qua etiam inerat, speciei pulchritudinem perdiderunt. Iucunda minus iucundis meliora communis omnium animalium natura diiudicat. Honesta utilibus sapientes anteponunt; proclivia laboriosis anteferri illa res monstrat, quod nemo ad eundem finem per laboriosam atque asperam viam tendere cupiat, ad quem possit proclivi facilique itinere perve-

---

7. *quisque*] Eins. — *quisquam* Edd. 24. *quibus*] Paris. — *quo* ceteri. 38. *plus excellit ea* Paris. — *amplius excellit eam* ceteri.

nire. Labor quippe omnis iniucundus est, iucunda est facilitas. Necessaria etiam non necessariis partim praeferri, partim etiam postponi debent: quod M. Tullius tacuit. Necessaria quippe praeferuntur iis non necessariis, quae non boni ratione, sed voluptatis appetitione sunt constituta; veluti luxu regio parata convivia nullus sapiens iudicet esse meliora iis, quae naturae expleant indigentiam. Quaedam vero sunt, quae ipsa specie boni, quum necessaria non sint, meliora sunt necessariis. Nam vivere necessarium est et sine eo subsistere animal nequit; philosophari vero non est necessarium: melius tamen longeque excellentius est philosophum vivere, quam tantum vivere. Illud enim raro paucisque etiam utentibus ratione concessum, illud pecudibus commune nobiscum. Sua quoque alienis iure meliora esse dicuntur, veluti hominibus ratio potius, quam voluptatis appetitio: illud enim proprium est hominis, illud alienum. Rara quoque vulgaribus meliora sunt: atque hic locus approbat id, quod superius dictum est, philosophantem vitam ipsa vita esse meliorem; nam quae rara sunt, facile id, quod vulgare est, antecedunt. Desiderabilia etiam iis, quibus facile carere possis, illa res approbat esse meliora, quod maxime desiderantur et sine his anxia vita est, veluti, si quis capillis visum conferat: aegrius enim toleramus carere visu quam capillis, atque ex hoc meliorem esse visum capillis iudicamus, quod his facile, illo aequo animo carere non possumus. Perfecta etiam imperfectis naturaliter excellunt; illa enim suam formam adepta sunt, illa minime. Tota etiam partibus eodem modo excellentiora esse arbitramur. Nam quod totum est, habet naturae propriam formam; quod vero pars est et ad totius nititur perfectionem, nondum suae pulchritudinis speciem cepit, nisi ad totius integritatem referatur. Iam vero ratione utentia rationis expertibus nullus dubitat esse meliora. Voluntaria quoque necessariis iure anteponuntur; nam quae voluntaria sunt, libera sunt, quae necessaria, quodam nos veluti dominio necessitatis astringunt: atque ideo meliora esse voluntaria necessariis existimamus. Quamquam in hoc etiam illud intelligi possit, quod a nobis superius dictum est, non necessaria saepe necessariis anteponi, quando quidem ea, quae voluntaria sunt, non sunt necessaria, voluntaria vero meliora sunt necessariis: non necessaria igitur saepe necessariis excellunt. Animata quoque inanimatis ipsius animi vegetatione considerata anteponenda esse ratio persuadet; naturalia etiam non naturalibus et artificiosa inartificiosis: optimusque hic gradus est, ut naturam arti, artem praeferas inertiae; ars quippe imitatur naturam. Quo fit, ut id, quod in se retinet pulchri, ex natura veniat, cuius imitari speciem cupit. Longe vero postrema sunt, quae, quum artificio careant, non specie solum naturae, verum etiam ab imitatione discedunt. Atque haec quidem de specie in comparationibus considerantur. Vis autem in eo consistit, in quo consideratur, quid una quaeque res possit efficere; nam quod quaeque res potest, ea vis eius rectissime dicitur. Efficiens igitur causa graviorem vim habet quam ea, quae nihil efficit, velut artifex melior est quam materia: illa quippe stolida est atque immota nec aliquid efficiens, nisi formam ab artifice, id est, ab efficiente causa susceperit.

Item, quae se ipsis contenta sunt, meliora esse iis videntur, quae egent aliis, veluti omnium Deus optimus est, quia nullo indiget et ipso cuncta sunt indiga. Item, quae in nostra sunt potestate magis eligenda sunt, quam quae in aliena manu posita facile labuntur. Quo fit, ut sit virtus melior quam divitiae; nam virtus est in nostra potestate, divitiarum fortuna domina est. Iam vero stabilia incertis, quae eripi non possunt, iis, quae possunt, si tamen bona sunt, quis non intelligat esse meliora? Quorum tamen locorum pars contraria contrarium tenet: inspectis quippe iis, quae meliora sunt, si horum adversa videamus, deteriora sunt. Restat in affectione posita comparatio, quae ita tractatur, ut non per semet ipsam res, quae alii confertur, sed ex alterius cuiuslibet consideratione pensetur, velut in tribus quibusdam rebus, si duae ad se invicem comparentur eo, quod ad tertiam plus minusve iungantur. Sint enim duo quaedam humanis rebus accommodata, quarum una principibus atque etiam ipsi rei publicae accommodatior est. Hic igitur iudicabimus eam rem esse meliorem, quae melioribus prodest, id est, aut rei publicae aut principibus, non considerantes, ut sese res habeat, sed quantum rei publicae vel principibus adiuncta sit. Haec igitur res ex affectione est comparata, meliusque iudicatur id, quod principibus commodum est, quam id, quod aliquibus privatis, quoniam principes reliquorum etiam continent statum: eodem modo sunt quae sequuntur, ut, quae iucundiora pluribus, quae clariora inter multos, quae pluribus comprobata sint, meliora ducantur. Nam etiam, si minus ipsa huius naturae sint, affectione tamen, ut dictum est, eorum, quibus vel iucundiora vel inter quos clariora sunt aut a quibus probantur, meliora existimanda sunt. Sed quamquam id, quod a pluribus bonum ducitur, superius in ea comparationis parte posuerit, in qua fiebat secundum numerum comparatio, nihil tamen impedit eundem locum secundum aliam atque aliam considerationem diversis generibus subdi, velut ala avis quum substantia sit, eadem tamen ad aliquid esse intelligitur, si ad alatum consideretur. Illa quoque ex affectione videntur esse meliora, quae ab eo laudata sunt, contra quem dialectica ratione vel rhetorica facultate disseritur. Nam ut revincere adversarium possis, sat est, si eum tibi consensisse monstraveris atque id aliquando velut optimum praedicasse, quod tu melius re proposita monstrare contendas. Dictis igitur omnibus meliorum locis his oppositi, quae deteriora sunt, continebunt. Parium vero nulla discretio est: neque enim, quod par est, aut intentionem sumere aut remissionem potest. Quibus autem inter se maiora minoraque penduntur, iisdem inter se paria conferuntur: nam quae vel numero vel specie vel vi vel affectione fuerint aequa, paria esse dicuntur. Commune autem cunctorum exemplum est, quod Cicero in aequalitate constituit, quae aequalitas in cunctis paribus aequa est. Sed vel numero vel specie vel vi vel affectione paria sunt. Nam in eorum comparatione, quae maiora vel minora sunt, una quaedam qualitas est,

---

11. *res quaelibet alii conferatur* Paris. 45. *aequalitate – aequalitas*] Ven. Paris. — *qualitate – qualitas* ceteri.

sed horum accessione variantur. Nam quibus in eadem qualitate maior numerus, pulchrior species, efficacior vis, ad pretiosiora coniunctior affectio, ea meliora esse existimabuntur; quae si aequa fuerint, in eadem qualitate paria sunt. Exemplum vero, quod posuit, ad eblandiendum Trebatii animum valet, quum propriam, id est, oratoriam, facultatem cum iuris peritorum laude coniungit, hoc modo: *Si consilio iuvare cives*, quod iuris peritorum est, *et auxilio*, quod oratorum est, *aequa in laude ponendum est*, *pari gloria debent esse ii*, *qui consulunt*, id est, periti iuris, *et ii*, *qui defendunt*, id est, oratores; *at*, *quod primum*, *est*, id est, consilio autem iuvare cives et auxilio aequa in laude ponendum est: *quod sequitur igitur*, id est, infertur. Ea vero conclusio est, per quam dicimus: Ii igitur, qui consulunt, et ii, qui defendunt, pari gloria esse debent. Hoc autem breviter dialecticorum more protulit, qui sic enuntiant: *Si dies est*, *lucet; at*, *quod primum*, *est;* id autem tantundem est, ac si dicatur: *Atqui dies est*. In propositione enim, quae est, *Si dies est*, *lux est;* prior est propositio, *dies est*. Concludunt: *quod sequitur igitur*, id est, igitur esse lucem; id enim in prima parte propositionis, quae erat, *Si dies est*, sequebatur. Igitur hic quoque Cicero sic protulit: *At*, *quod primum*, *est*, id est, consilio et auxilio iuvare cives aequa in laude esse ponendum; id enim erat primum in ea propositione, quae dicebat, si consilio et auxilio cives iuvare aequa in laude poneretur, pari gloria esse oratores iurisque consultos. *Quod sequitur igitur*, id est, pari gloria debent esse qui consulunt ac defendunt, id enim erat consequens in ea propositione, quae statuebat, si consilio et auxilio cives iuvare par esset, pares esse, qui consulunt ac defendunt.

(Cap. 18. §. 71.) *Perfecta est omnis — — argumenti quaerenda sit*.

Tametsi ex iis, quae dicta sunt, intelligitur, nullum argumenti locum esse praeteritum, breviter tamen Ciceronis conclusionem, qua se nihil omisisse commemorat, ad ampliorem doctrinae fidem approbandam reor. In iis enim nihil omnino praetermittitur, quae certa ratione tractantur. Nulla vero certior ratio divisione: quod enim quisque partitur a communibus in particularia deducens, quum rectum iter insistat, labi atque ad errorem deduci non potest. Locorum igitur omnium prima divisio fuit in ea, quae in ipsis haererent, et ea, quae assumerentur extrinsecus. Cuius divisionis nihil medium reperiri potest: aut enim in ipso est aliquid, de quo quaeritur, aut extrinsecus necesse est assumatur. Videamus igitur nunc, quemadmodum disputatio per nihil omittentem divisionem feratur. Eorum igitur locorum, qui in ipsis sunt, de quibus agitur, nunc ex toto, nunc ex partibus, nunc ex vocabulo, nunc ex affectis sumitur argumentum. In his igitur quod nihil relictum sit, perspicue apparet. In eo enim, quod coniunctum est, duplex discretio est: una ex eo ipso, quod formatum est atque compositum, quod totum est, in quo etiam definitiones adhiben-

---

10. *atqui primum est* Bass. 18. Alterum *igitur* add. Eins. 20. *atqui primum est* Bass.

tur; alia in eius partibus inspiciendis, ex quibus compositi forma coniuncta est. Sed quoniam natura hominum id, quod intelligit, voce saepius prodit, necesse est, ut nomen quoque, quod ad intellectus declarationem adhibetur, ostendat aliquam rei, quam significat, proprietatem: intellectus quippe qualitatem rei, quam intelligit, capit. Quocirca nomen quoque intellectus qualitatem designat. Iure igitur dictum est, proprietatem quandam rei vocabulo significari; atque ita ex eo trahi argumentum potest, quod vocatur a nota. Horum vero locorum alias partitiones dedit, quas paullo post brevius colligemus. Affecta vero, quae, ut superius dictum est, in relatione consistunt, ipsa etiam rite divisa sunt. Nam, quae referuntur ad aliquid, aut substantialia sunt aut accidentia. Substantialia: ut coniugata; nam iusto, in eo, quod iustus est, iustitia substantiam facit. Nec id dico, quod homini esse ex iustitia constituatur, sed iusto, qui iustitia discedente corrumpitur. Similis et de eo, quod est *iuste* adverbio, ratio est. Est etiam substantiale genus, species, differentia, causa, effectus. Accidentia: ut contrarium, simile, adiunctum, paria, maiora, minora. Consequentia vero atque repugnantia, quoniam, ut superius dictum est, in conditione posita sunt, nunc substantialia reperiuntur, nunc vero in accidentibus considerantur. Substantialia, ut quum genus antecedentem speciem; accidentia, ut quum nigredo praecedentem sequitur corvum: quamquam etiam in causis aliquae accidentes esse possint. De quarum omnium proprietatibus Tullius supra disseruit. Atque ut in brevissimam descriptionem tota locorum divisio colligatur, erit hoc modo: Omne argumentum aut ex iis locis ducitur, qui in ipso, de quo quaeritur, inhaerent, aut ex iis, qui extrinsecus assumuntur. Is vero locus, qui in ipsis, de quibus ambigitur, positus est, dividitur in eum locum, qui est ex toto, et in eum, qui est ex partibus, et in eum, qui est ex nota, et in eum, qui est ab affectis. Is autem, qui a toto est, a definitione locus vocatur. Definitionum vero aliae sunt propriae, aliae non propriae. Non propriarum vero aliae sunt, quae singulis nominibus denotantur, aliae, quae oratione panduntur. Earum vero, quae singulis nominibus fiunt, aliae sunt, in quibus pro nomine redditur nomen, quae dicuntur *κατ᾽ ἀντίλεξιν*: aliae, quae exempli gratia nomen subiiciunt, quae dicuntur *τύποι*. Earum vero, quae oratione declarantur, aliae fiunt a partitione; aliae a divisione; aliae a differentiis praeter genus, quae *ἐννοηματικαὶ* dicuntur; aliae, quae ex pluribus qualitatibus fiunt, etiam singulis totum id significantibus, quod omnis qualitatum collectio declarat, quae vocatur *ποιότης*; aliae, quae ex accidentibus, non singulis, sed cunctis unum aliquid efficientibus constant; aliae, quae ad differentiam dantur; aliae per translationem; aliae, quae ex privatione contrarii; aliae, quae propriis nominibus aptantur, quae etiam *ὑποτυπώσεις* dicuntur; aliae per indigentiam pleni; aliae per proportionem; aliae per relationem; aliae per causam. Item alia definitionis divisio secundum Tullium principalis, quod aliae cor-

39. *vocatur ποιότης* Ven. — *vocantur poiodes* Eins. — *vocantur ποιώδης* Paris. — *vocantur ποιώδης* Bass.

poralium rerum sint, aliae incorporalium: et definitionis quidem locus ita divisus est. A partibus autem locus dividitur in partitionem et divisionem. A nota vero locus simplex est. Ab affectis autem alii sunt a coniugatis, alii a genere, alii a forma, alii a simili, alii a differentia, alii a contrariis, alii ab adiunctis, alii a consequentibus, antecedentibus et repugnantibus, alii a causa, alii ab effectis, alii a comparatione parium, maiorum vel minorum. Genus vero dividitur in suprema genera et in ea, quae etiam species esse possunt. Species quoque dividitur in ultimas species et in ea, quae etiam genera esse possunt. Similium quoque alia in singulis considerantur, et vocantur exempla; alia in pluribus, et appellatur inductio; alia in coniunctis, et vocatur proportio. Item differentiarum aliae sunt substantiales; aliae, etsi non substantiales, inseparabiles tamen; aliae neque substantiales neque inseparabiles. Contrariorum alia dicuntur adversa, alia privantia, alia negantia, alia relativa. Adiunctorum vero alia sunt, quae ante rem exsistunt; alia, quae cum re; alia vero post rem. Locus vero conditionalis dividitur in antecedens, consequens et repugnans. Causarum quoque multiplex locus est: aliae namque sunt, quae vi sua efficiunt; aliae, sine quibus effici non potest. Earum vero, quae vi sua efficiunt, aliae sunt necessariae, nihilo indigentes, ut efficiant; aliae vero indigentes, ut efficiant; aliae vero indigentes et non necessariae. Earum vero, sine quibus non efficitur, aliae sunt mobiles, aliae immobiles. Item causarum aliae sunt non spontaneae, aliae ex voluntate, aliae ex perturbatione, aliae ex habitu, aliae ex natura, aliae ex arte, aliae ex casu. Rursus causarum aliae sunt constantes, aliae inconstantes. Amplius, causarum aliae sunt voluntariae, aliae ignoratae. Ignoratarum pars in casu, pars in necessitate est constituta. Necessariarum pars in vi, pars in inscientia posita est. Effecta vero in tantum dividi possunt, quantum ad superius dictas causas referuntur. Locus vero a comparatione minorum, parium atque maiorum dividitur in numerum, speciem, vim, ad res alias affectionem. Quae quum ita sint, quumque nihil sit in divisione praetermissum, recte M. Tullius partitionem conclusit, dicens, nullam argumenti sedem esse praeteritam. Restat igitur locus, qui extrinsecus sumitur, quem, quoniam nihil iuris consultis est utilis, non Trebatii causa, sed, ne quid perfecto operi deesse videatur, adiungit:

(Cap. 19. §. 72.) *Sed quoniam ita — — — prodesse possimus.*

Ne locus nihil iuris perito profuturus negligentiam sui faceret, Trebatium veluti quibusdam prooemii machinis orator reddit attentum. Ait enim ita sese divisisse in principio, ut alios locos in ipsis haerere diceret, de quibus ageretur, alios extrinsecus assumi, et quum de superioribus locis idonee disputatum sit, intractatam reliquam partem non oportere praeteriri; neque enim hunc esse Trebatium, qui sua arte contentus ceterorum studia negligat, verum diligentia atque ingenio plurimum valens cuncta ad se pertinere ducat, quae liberalibus

28. *in inscientia*] Paris. — *in scitu* Ven. — *in scientia* ceteri. 39. *Treb. ut in prooemio magnus orator* Bass.

studiis annumerentur. Simul dandam esse operam dicit, quoniam benevolo animo Ciceronis opus Trebatius esset editurus, ut, quum in multorum manus venisset, prodesse iis in integrum posset, qui rectis studiis tenerentur, hoc quoque Trebatio beneficii nomine concedens, quod ad eum scripta et per eum edita [profutura] plurimis conscriberet.

(Cap. 19. §. 73.) *Haec ergo argumentatio — — ad faciendam fidem.*

Extrinsecus positum argumenti locum, quem M. Tullius vocat artis expertem, in testimonio positum esse pronuntiat. Dubitari autem potest, quid hic locus a superioribus differat, quos in affectis locavit. Nam uti affecta semper in relatione sunt constituta, ita etiam testimonia ad ea, quorum sunt testimonia, referuntur. Omne enim testimonium testatae rei est testimonium. Quocirca cur aut ea, quae affecta dudum vocata sunt, non extrinsecus collocentur, aut ea, quae nunc vocantur extrinsecus, non inter affecta ponantur, quaeri potest: quum praesertim ea, quae adiuncta esse negotio superius diximus, veluti quoddam testimonium saepe rebus afferant, quum ex eorum, quae praecesserunt vel consecuta sunt, signis, quod gestum sit, considerari soleat. Quorum omnium communis solutio est, quod ex affectis argumenta quae fiunt, ab oratore inveniuntur eiusque opera atque industria nascuntur; ea vero, quae extrinsecus posita sunt, rei tantum testimonium praebent. Non enim inveniuntur ab oratore, sed iis orator utitur positis atque ante constitutis. Nam quae a genere vel a specie vel a ceteris affectis argumenta sunt, ab ipso quodammodo oratore pariuntur. Testimonia vero sibi ipse non efficit, sed ad causam utitur ante praeparatis. Quo fit, ut argumenta ex affectis in causa statim atque ex tempore nascantur; ea vero, quae in testimoniis posita sunt, ante rem praecurrentia confirmando usum negotio posterius praestent. Et in adiunctis ab oratore coniectura colligitur et auditorum mentibus intimatur; testimonio vero non in coniecturis aut in suspicionibus, sed in rei gestae narratione consistunt. Ostendit autem vehementius, quid esset testimonium, quum dicit id a se testimonium vocari, quod ab aliqua externa re sumitur. Omnia quippe affecta ab eis, ad quae affecta sunt, non videntur externa. Testis vero cum re testificata nulla cognatione coniungitur nisi sola notitia, quae nihil ad rem, quae gesta est, attinet, quum, si gestum negotium nullus agnosceret, nihilo minus tamen gesta res esset. Sed id poterit etiam ad similitudinem duci. Quid enim minus esset aliquid, si ei simile nihil reperiretur? Sed quod simile est, ei, cui simile est, eadem qualitate coniungitur: quae qualitas utrumque conformat. Scientia vero, quamvis efficiat testem, nulla tamen qualitate coniungitur cum re, cuius illa notitia est. Neque enim scientis notitia rei gestae qualitas dici potest, quum, si notitia qualitas rei posset intelligi, pereuntibus iis, qui rem norunt, res vel interiret vel mutaretur: quod neutrum evenire necesse est, quandoquidem absumptis scientibus res ignorata poterit permanere.

5. *profutura* om. Eins. 30. *colligatur — — intimetur* Paris. ita, ut cum praecedentibus cohaereant; male.

(Cap. 19. §. 73. — cap. 20. §. 76.) *Persona autem — — — multitudinis testimonium.*

Quoniam locum artis expertem in testimonio esse positum dixit, in testimoniis vero personarum fidem suam interponentium auctoritas quaeritur: necessarium fuit, quibus rebus fieri soleat auctoritas, expedire. Ac cetera quidem clarissime atque apertissime dicta sunt. Sed quia auctoritatem in naturam tempusque divisit, quumque in tempore ingenium, opes, aetatem, fortunam, artem, usum, necessitatem, concursionem etiam nonnunquam rerum fortuitarum vocavit, quaeri potest: Quid enim attinet ad tempus ingenium? quid ars? quid usus? Nam aetas atque opes, fortuna et fortuitarum rerum concursio subiecta sunt tempori, quoniam unum quodque eorum variis temporum vicibus permutatur. Ingenium vero naturae potius oportuit attribui, artem atque usum tertium quiddam, quoniam neque tempori neque naturae subiiciuntur: quamquam virtus quoque ipsa, quam M. Tullius in naturae ratione constituit, quibusdam non naturalis, sed tum doctrina, tum recta exercitatione vivendi videatur ascita. Sed haec ita intelligenda divisio est, quod omnis auctoritas aut ex magnis atque excellentibus rebus et per naturam optimis venit, aut ab iis, quae inferiore loco sunt constituta, fidem non ex naturae qualitate, sed ex vulgo insitis opinionibus capit. Et maximas quidem excellentesque res in natura constituit, quae semper, ut ipse Tullius multis in locis defendit, boni est appetens. At vero, quae posteriora sunt, sub tempore posuit idcirco, quod omnia tempori subiecta principalis boni non retinent statum. Virtus quidem in deterius flecti non potest; ingenium vero atque opes, forma et ars et usus saepe non recta exercitatione depravantur. Nam quidquid horum fuerit a virtute seiunctum, dignitatem verae laudis amittit. Et de virtute quidem distulit dicere. Posteriorem vero partem, id est, in tempore positae auctoritatis, divisit et evidentissimis patefecit exemplis. Nam et ingeniis fides adest atque ex ea praesto est auctoritas plurima. Eos quippe sapientius loqui homines credunt, quorum ingenium ad expedienda, quae proposuerint, sufficit. Opibus quoque praepollentes dignos fide iudicant. Fortuna quoque et dignitate praeclaris maiestatem auctoritatis impertiunt, non recte fortasse: sed et iudicium in negotiis et existimatio vitae opinione hominum maxime continetur, quae quia mutari vix potest, ad eam cuncta diriget ea, quae sibi tractanda regendaque proponet orator. Ars etiam atque usus plurimum valent; in utrisque enim fidem notitia facit. Necessitas quoque quasi id, quod latebat, extorquens auctoritate subnixa est. Quae tum ab animo, tum a corporibus venit: a corporibus, quum igni, ferro ac verberibus verum, quod latet, aperitur; ab animo, quum mens quadam perturbationis vel ignorantiae necessitate confunditur. Tunc enim, quid dici, quid taceri debeat, minime distinguens verum, quod occultum erat, prodit atque effundit in lucem. Nam iracundia saepe et quaelibet animi perturbatio, quod

---

33. *praepotentes* Eins. Ven. 37. *ad eam culta diriget eamque sibi tractandam regendamque* Eins. 43. *quod dici, quod tractari deb.* Paris.

occultandum foret, haud continet: quae idcirco habent anctoritatem ad [*faciendam*] fidem, quia simpliciter prodita sunt nec ulla calliditatis arte prolata. Quin etiam ignorantia puerorum, vinolentia, somnus quaedam saepe produxit in medium: in quibus si iudicium fuisset ullum, prolata non essent. Saepe etiam homines praeter ullam animi perturbationem imprudentes propria confessione obligati sunt, dum cuncta simpliciter effundunt, quae sibi nocitura non existimant, ut Staieno evenisse proposuit, qui interposito pariete testibus audientibus ea confessus est imprudens se ab insidiantibus audiri, quibus vulgatis in iudiciumque prolatis capitali sententia condemnatus est. Atque haec quidem ignorantia in necessitate est constituta. Nam qui nescit, id, quod ignorat, ne si velit quidem poterit evitare. Quae autem necessitas extorquet, ipsa quodammodo videtur veritas dicere, atque ideo eis veluti auctoritate subnixis fides adhibetur. Concursio etiam rerum fortuitarum facit fidem: quae quum aliquotiens falsa designet, tamen ita est vehemens, ut se ab ea veritas explicare vix possit; quale est, quod de Palamede narratur: Phryx exstinctus, qui quasi a Priamo missus videretur, repertae Priami literae, Phrygia manus imitata; quae concurrentia fidem facerent proditionis. Hinc dicit Cicero: Talis etiam fortuitarum rerum concursio est.

Libri sexti pars extrema et septimus totus desiderantur.

---

1. *habent*] Eins. Ven. — *habet* ceteri. 2. *faciendam* add. Paris. 7. *Staieno*] Eins. — *Staterio* Edd. 9. *imprudens*] Eins. Ven. ille cum glossa interlineari: *i. e. nescius.* — *ignorans* ceteri.

ANICII MANL. SEV. BOETHII

DE

DIIS ET PRAESENSIONIBUS

EX IPSIUS

COMMENTO IN TOPICA CICERONIS

FRAGMENTUM.

HASII MONITUM.

Progressi eramus hunc in locum, cusis iam quae supra leguntur, libello De ostentis, fragmento De mensibus, notisque nostris. Sed ecce litterae insperatae, parari peregre novam editionem Commenti, ab Anicio Manlio Severino Boëthio in Ciceronis Topica conscripti, olimque apud Henricum Petrum inter Opera omnia Boëthii, Basileae 1546. *Fol. vulgati, recusique cum alibi tum ab eodem inter Opp. Boëthii Basileae* 1570. *Fol. Ibi vero ita legitur Commentum, ut apud Henricum Petrum desinat imperfecte, proxime ante illum locum, quo exponebatur M. Tullii sententia de testimoniis divinis, eorumque tum variis generibus tum auctoritate. Hunc ego locum Boëthii, in editionibus praetermissum, dudum deprehenderam esse in uno (quantum adhuc novi) Cod. Regio* 7711 : *in adversariis descriptum habebam: institueramque adiungere ad fragmenta partim inedita, veteres pop. Romani religiones explicantia, quae conquisisse me dixi praef. pag. xxj. Nunc vero, allatis illis subitis nuntiis, mutavi consilium: segregavi Boëthii fragmentum a reliquis, quibuscum erat una proditurum: nec placuit committere, ut vir doctus, diligens, ad illustrandum Boëthium cumprimis idoneus, in eo tractando re ulla (quantum esset in me) deficeretur. Subiunxi igitur hic, quae de diis et praesensionibus ad Ciceronis Topica disputavit Boëthius, dissipata (fateor) et incomta, sed explentia tamen partem lacunae libri arguti sane, neque ignorati. Exstant, ut dixi, in Cod. Reg.* 7711, *saec. XII perarato: ibi fol.* 47 *verso, post verba,* talis etiam fortuitarum rerum concursio est, *quibus abrumpitur textus edit. Basil.* 1546, *pag.* 852. *C. subiiciuntur illa:*

Vel ex fama vulgi vel ex testimonio multitudinis rem dubiam probari contendit, ut, quod vel ab omnibus vel a pluribus dicitur, id omnino vel plurimum credibile videatur. Non enim multum a fide dissentit, quod unus itemque alius ac deinceps dictis concurrentibus credendum introducit.

(Cap. 20. §. 76.) *Quae autem virtute fidem faciunt, ea bipertita sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit: hominum autem industria.*

Superius auctoritatem, quae ad faciendam fidem personae attribuitur, aut virtuti per naturam aut tempori per mutabilitatem subiacere proposuit. Atque hactenus, quae in tempore sunt, diligenter executus nunc ad virtutis enodationem, sicut paullulum omissus ordo propositionis admonebat, sese convertit. Omnia autem, quae virtute auctoritatem fidei comparant, in gemina consideratione deorum hominumque distribuens, docet, virtutem in diis per naturam eminere, in hominibus autem per industriam. Deos autem dicit quasdam incorporeas potestates, quas et universitati praesidere eisque rebus, quibus praesunt, suorumque responsorum indiciis humanam caliginem temperare opinabatur antiquitas. Sed cur M. Tullius virtutem in divinis naturae ascribat, in humanis autem manentibus studio et industriae, Platonis ceterorumque philosophiae sequacium declarat assensus. Asserunt enim, quod divinitas, quae incommutabilis puriorisque essentiae incorporalitate beatur, suis se finibus continens nec in minus effluit nec in maius exuberat. Unde fit, ut, quidquid virtutis in divinis eminet, sive illud sapientiae sit, sive actionis, totum inseparabiliter natura possideat; ita ut eis sit coëssentiale et unitum, quidquid ab omni conditione mutabilitatis exstat alienum. Humana autem virtus, quam interdum intentio porrigit, remissio angustat, suae mutabilitatis sedem sortita, ab illa incommutabili divinorum nobilitate degenerat, hominumque mentibus, in quibus per accessus et recessus variatur, studio industriaque comparatur. Unde etiam huiusmodi virtutem in suis opusculis Cicero definiens ait: *Virtus est animi habitus in naturae modum rationi consentaneus.* Ut enim a divina virtute, quae omnino essentialiter sive naturaliter inest, humanam virtutem secerneret, idcirco *in naturae modum* adiecit. Duobus enim constamus, anima et corpore. Anima immortalis est. Si immortalis est, a divinis descendit. Si ergo a divinis descendit, cur omnium virtutum habitu perfecta non est? Quod

---

2. Cod *probare.* 4. Num addendum, *tertius? vulgus?* Hase. Fort. *quod unius* cet. Bait. 14. Leg. *in geminam considerationem.* Bait. 17. Post. v. *praesunt* omissum videtur verbum, ut *consulere*, vel simile quid. Bait. 20. *manentibus*] Sic Codex. Lege, *mentibus.* 24. Cod. *sit.* 31. Fol. 48. recto. 34. De invent. lib. II. cap. 53. §. 159.

6. Verba Ciceronis, quae explanantur a Boëthio, in Cod. confusa fere cum interpretatione, discrete curavimus excudenda, secuti interpunctionem (nam in Codice, ut fit, prope nulla est) editionis Isaaci Verburgii, Amstelaedami 1724. Fol. Volum. I. pap. 196. (Nos vero secuti sumus Orellianae editionis min. interpunctionem. Bait.)

11. Topic. cap. 19. §. 73. I. pag. 196. ed. Verburg.

quale sit, ab eiusdem philosophiae adytis eliciatur. Anima enim necdum in contagionis corporeae indumento evoluta, in illa absolutissimae puritatis suae specula omnium rerum peritiam perfectissime considerat. Postquam autem in hoc luteum corpus obruitur, acies eius terrenae admixtionis tenebris caligosa ab illa suae ingenitaeque visionis claritudine caecatur. Latet tamen introrsum semen veri, quod excitatur ventilante doctrina. Aiunt enim nullo modo fieri posse, ut a pueritia tot rerum atque tantarum insitas atque quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, habemus, nisi animus ante, quam incorporaretur, in rerum cognitione viguisset. Neque ea plane videt animus, quum repente tam insolitum tamque turbulentum domicilium immigravit: sed quum se recollegit atque recreavit per aetatis momenta, tum agnoscit illa reminiscendo. Postquam enim quodam crasso corporis tegimine irretita anima et circumfusa quandam sui oblivionem subierit, quum deinde studio ac disciplina detergeri coepit atque nudari, tunc in naturae suae modum animus revertitur atque revocatur; et quidquid in eo virtutis doctrinae exterioris beneficio excitatur, non natura, sed industria vocatur. Quod totum evidentius declarat Socrates in illo libro, qui Menon inscribitur, pusionem quendam interrogans quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad quae sic ille respondet, ut puer: et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quasi geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit nisi recordari. Quam rem multo accuratius ille explicat in sermone, quem habuit eo die, quo excessit e vita. Sed quaeri potest, cur paullo superius M. Tullius ex integro naturae auctoritatem in virtute constituat, dicens: *Naturae auctoritas in virtute est maxima;* postea autem eandem virtutem in naturam industriamque dispertiat: ac si non omnis virtus, de qua auctoritas comparatur, ad naturam pertineat. Si enim naturae auctoritas et virtutis aequalia, imo eadem sunt, cur virtutis auctoritas partim ad naturam, partim pertinere dicitur ad industriam? Sed respondemus breviter, quod omnis et humana et divina virtus in natura sita est, sed, quia divina virtus nullis ad affectum sui exterius indiget adiumentis, ideo quasi quodam privilegio naturae nomen sortitur. Humanus autem animus, quoniam per naturam ad virtutem habilis est, ad quam tamen capessendam (quia per se inefficax et debilis est) exterius vero quodam dispositionum labore afficitur et promovetur: idcirco eadem virtus humana ab instrumento exercitii quodammodo sopita resuscitatur, et iure vocabulum industriae videtur accepisse, quamquam ipsa quoque a natura, sicut et divina, progrediatur. Atque, his ita nostrae

---

1. Cod. *aditie.* 2. Fort. *involuta, convoluta.* 5. Num *caliginosa*? 9. Fort. *haberemus.* 10. Cic. Tuscul. I. cap. 24. §. 57. 20. Platon. Menon. II. 82. B. sqq. Cic. Tusc. I. §. 57. Ibid. Cod. *respondit.* 23. Plato Menon. II. 85. D. 24. Hactenus Cicero. 25. *cur*] Cod. *cum.* Recepimus Hasii coniecturam.

5. Cod. *amixtionis.* Confer Cic. De senect. cap. 21. §. 77. et cap. 22. §. 80.
9. Cod. *ENNOIAC.* Confer IV. Acad. cap. 7. §. 22. et cap. 10. §. 30.
27. Sic Cod. non, *inest maxime*, ut nunc habent edd. Topic. cap. 19. §. 73.

opinionis pede peragratis, videamus, an supra dictus locus aliam atque diversam admittere valeat explanationem. Videtur enim quibusdam haec sententia, qua ait Cicero, *Deorum virtus natura excellit; hominum autem industria*, ex libris M. Varronis, hominis acutissimi, De humanis et divinis rebus, ubi de theologiae divisione agitur, succincte per transitum mutata. Fuit enim Tullius eidem Marco Varroni coauditor et condiscipulus sub doctore Antiocho, partim Stoico, partim Academico. In supradictis autem libris idem M. Varro adeo Ciceronis favorem meruit, ut in primo Academicorum suorum libro Cicero eiusdem litteraria opera praedicet et admiretur, dicens: *Nos in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere.* Tractans enim ibidem de humanis rebus, partim intendit, qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. Disputans praeterea de divinis rebus tria genera theologiae introducit eorumque unum *μυθικὸν* appellari dicit: quod quidem, nisi Latini insolentia prohiberet eloquii, *fabulare* appellaremus; sed *fabulosum* interpretemur. A fabula enim *μυθικὸν* dictum est, quoniam *μῦθος* Graeco sermone fabulam significat. Secundum, *φυσικόν*: quod ut *naturale* dicatur, iam diu tritus nostrae locutionis usus admittit. Tertium civile appellavit. Deinde adiecit, mythicon appellari, quo maxime utuntur poëtae, in eoque esse multa contra dignitatem naturamque immortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore, alius ex guttis sanguinis sit natus; in hoc, ut dii furati sint, ut adulterarint, ut servierint homini; denique in hoc omnia diis attribuunt, quae non modo in hominem, sed etiam, quae in contemptissimum hominem cadere possunt. Quod totum, quia poëticis est mendaciis adornatum et scenicis ac theatricis nugis deputatum, omnino putat esse sacrilegum. Secundum genus est, inquit, naturale, de quo multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est, dii qui sint, ubi, quod genus et quale, a quodam tempore an a sempiterno fuerint, ex igni sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut ait Epicurus. Hoc totum genus pertinere dixit ad mundum nullaque infamia denotavit. Tertium genus est, inquit, civile, quod in urbe cives, maxime sacerdotes, nosse atque sacrificando administrare solent: in quo etiam genere quum multae infamiae fiunt simillima, quamvis tacente Varrone, a nobis illi priori iudicantur cognata. Num quid enim Priapo mimi ac poëtae, non etiam sacerdotes, enormia pudenda fecerunt? an aliter stat adorandus in locis sacris, quam procedit ridendus in theatris? Videns ergo Cicero in illo priori genere prorsus ridicula et maiestati divinae indigna celebrata, quae poëticis cantantur carminibus et ludis

---

1. Cod. *pedem*. 10. Acad. quaest. lib. I. cap. 3. §. 9. 14. Fol. 48. verso. 18. Cod. *mithos*. 25. Apud S. August. *attribuuntur*. 30. S. August. *quonam*. 35. *solent*] S. August. *debent*. 41. *maiestati divinae*] Sic Codex. Ibid. Cod. *celebranta* (sic).

4. Eum *peritissimum Latinorum* vocat idem Boëthius Geometr. lib. II. 1229. A. 16. Cod. *MITHICON*. Confer S. Augustinum *De civitate Dei* lib. VI. cap. 4. sq. qui fere idem servavit fragmentum, Opp. omn. ed. Antwerp. t. VII. col. 116. D.

scenicis actitantur: in tertio quoque genere sacra illa, quae non histriones, sed sacerdotes agunt, a consimili nequaquam dedecore purgata et aliena castigata quodammodo brevitate distinxit, cui horum trium palmam et decorem virtutum ascribat, dicens: *Deorum virtus natura excellit:* ac si aperte dicat: Ea, quae a virtute prodeunt, testimonia non ascribo diis theatricis vel fanaticis, quorum facta produntur detestabilia, imo illis, quos naturaliter esse auctor est philosophia. Nec etiam omnes mortales dignos fide iudicavit, nisi quorum ratio in exercitatione posita a naturali fomite per industriam quaedam magna atque praeclara produxit, illis penitus auctoritatem testimonii abiudicans, quorum vita quodammodo irrationabiliter languentis inertiae torpore consenuit. Quaeso ergo, ne ingenia clariora et ad obscuritates subtilius indagandas celeriora hunc locum, quem dupliciter commentati sumus, corrugata nare fastidiant, et ne forte putent minus doctis superfluum, quod sibi sentiunt non necessarium.

(Cap. 20. §. 77.) *Divina haec fere sunt testimonia: primum orationis; (oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his deorum oratio;) deinde rerum, in quibus insunt quasi quaedam opera divina: primum ipse mundus eiusque omnis ordo et ornatus; deinceps aërei volatus avium atque cantus; deinde eiusdem aëris sonitus et ardores, multarumque rerum in terra portenta: atque etiam per exta inventa praesensio. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum.*

Quae sunt deorum testimonia, subsequitur. Dinumerans principaliter in orationem resque distribuit. Orationem autem hoc in loco duobus modis possumus intelligere: aut illam, quae ad vulgandos intimos motus linguae officio exprimitur, aut illam, quae animis a terrena contagione defaecatis sine aëris percussione divinitus loquitur, sicut est illud, quod de Socrate legitur. Perhibet enim, se usum quadam familiari numinis amicitia, sic conciliato numine, cuius voce ad animum suum commeante intelligebat, a quarum rerum actione sibi esset temperandum. Nec vero hortabatur eum ad aliquem actum, sed prohibebat, quae fieri non expediret. Vox porro illa, quam Socrates in animo sentiebat, non erat, opinor, talis, quae aëre icto sonaret, sed quae ob egregias virtutes purgatae propptereaque intelligentiori animae praesentiam solitae divinitatis revelaret. Atque, ut in somnis audire nobis videmur voces sermonum et expressa verba, nec tamen illa vox est, sed vocis officium imitans illa significatio: sic vigilantis Socratis mens per praesentiam numinis de rebus non gerendis augurabatur. Opinio enim philosophorum erat, Deum intelligibilem,

---

4. Cod. *ac scribat.* 17. Cod. omittit *in.* 19. *quasi quaedam op. divina*] Sic Cod. At Hasius edidit: *opera divina quaedam.* 20. *aërei*] Sic h. l. Hasius; at infra *aërii.* Ibid. *atque*] Cod. *et.*

30. De Socratis daemonio nota sunt, quae habet Cicero Divinat. lib. I. cap. 54. §. 122. et Plutarchus libello peculiari, tum, quae nostra patrumque memoria Mauvillon, Federus, Nares, Estrup, Meinersius, Hauptmannus, Lanfredi, de eodem scripta reliquerunt.

pro naturae suae bonitate omnibus consulentem, huiusmodi opem generi hominum ferre voluisse, quia imbecilla hominum natura praesidio praestantioris naturae indigeret. Sed quia iste modus orationis nimis singularis et arcanus atque ab opinione vulgi remotus esse perpenditur, ad illum potius priorem modum Ciceronis intellectus sese inclinasse videtur, eamque in hoc loco intelligere debemus deorum orationem, quae verborum nominumque compage per linguae ministerium formatur. In omnibus enim quaestionibus, et maxime civilibus, ea, quae sunt usu notiora, adhiberi debent testimonia. Quis autem nesciat, notiorem eam esse orationem, quae pulsu aëris auditui sensibilis profertur, ab ea, quae cum silentio quodam mentibus perpaucorum divinitus infunditur? Ergo per orationem significasse videtur M. Tullius quaedam consultorum numinum responsa, quae quandoque vario intellectu perplexa, quandoque perspicua, quibusdam ex adytis specuum, spumantibus buccis rapidoque discursu oris, furiatorum ructabat insania: quibus veluti vivae atque expertissimae deorum voci pro fidei testimonio innitebatur antiquitas. Unde etiam oracula et fana idcirco dicit appellata, quod inest eis deorum oratio. Ab hac deorum oratione verbi gratia ita ducitur testimonium, ut, si de Socratis excellentia dubitetur, illo Pythii oraculi vaticinio omnis dubietas abstergatur:

Κεῖνος ἀνὴρ τὰ κακὰ καὶ ἐναντία ἐστὶ πορίζων.

Rerum vero testimonia quadam subdivisione distribuit atque ea in singulis collocat elementis: quae dum rarum insuetumque aliquid circa se ostendunt, muta ipsa dubiis quodammodo rebus argumenta loquuntur. Ipsorum ergo elementorum ostenta partiendo dinumerans mundi inprimis, deinde aëris, ad postremum terrae mentionem intulit. Quaesitu ergo dignum est, quid mundi nomine velit intelligi. Si enim mundus est quaedam quattuor elementorum generalium compactio, cur in eadem divisione generali res cum partibus suis implicita est? Sed usitato locutionis tropo mundi vocabulo non incongrue accipitur illa specialiter caelestis vertigo cum septem subiectis circulis, quae et ordinato motu et vario siderum ornatu insignita rerum universitatem sphaerali undique margine circumplectitur. Quod etiam ipse ordo textus et situs positarum naturaliter rerum subsequenter declarat. Ait enim: *primum ipse mundus; deinceps aërii volatus, multarumque rerum in*

---

13. Fol. 49. recto. 14. Cod. *spicuum*. 23. Cod. *hylementis*. 32. Cod. *sperali*.

15. Cod. *discursu omissuriatorum* (sic). Num, *discursu*, *omnis furiatorum?*

21. Sic disposui versum, vereor ne infelicissime: sed religio fuit discedere longius a scriptura Codicis, quae est huiusmodi: *AINOC. ΔNIP. TA. KAKA. KAE. ENANTIA. EΠOI ZOI* (sic), adraso capite literae extremae in *ΠOI*, non secus ac si prius *ΠOP* fuisset. Syllaba altera in *KAKA* producitur mire: in promptu fuisset scribere, *τὸ κακὸν καὶ ἐναντίον*. Aliis (opinor) placeat *Αἰνός*, cum infinitivo in clausula: malui Homericum *Κεῖνος ἀνὴρ*. Versus, qui fortasse alibi sanus exstat, addendus est Oraculis metricis ab Ioanne Opsopoeo collectis, Paris. 1607, in 8°. De altero *χρησμῷ* de Socrate, *ὃν ἴσμεν ἅπαντες*, ut ait Plutarchus II. 1116. E. Chaerephonti dato, non renovabo, quae habent Fischerus ad Apolog. Socr. ed. Lips. 1783. pag. 83. conquisitis veterum ea de re testimoniis, et qui singulares de Socratis vita libros ediderunt, Charpentier cap. XXII. pag. 82. Cooper, edit. tert. pag. 83. Wiggers, edit. alt. pag. 31.

terra portenta. In hac caelesti vertigine si quando aliquid insuetum rarumque et extraordinarium suspicitur, eventus imminens mortalibus in utramlibet partem quasi quodam caeli testimonio a mathematicis praedicatur. Insuetum rarumque, inquam: quia, ut ait Plato, quae longo intervallo rursus apparent, metus et quaedam portenta significant, vel mox futura vel serius. Ex quo intelligi datur, sidera infrequenter orta non facere, quae proveniunt, sed futura praenuntiare: ait enim, significant. Alioquin, qui has stellas putant habere hanc potestatem, ut volentes nociva decernant, magnam caelo faciant iniuriam, in cuius velut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua civitas terrena decrevisset, genere humano decernente fuerant evertenda. In huiusmodi vero tractatu Posidonii atque Iulii Firmici, sive reliquorum mathematicorum, regnat oratio: aruspices etiam, variorum aucupatores eventuum, ab aërio avium volatu sive cantu quandam futurorum πρόγνωσιν manare dixerunt.

Abrumpitur hic Commentum: nam alio pertinent, quae subiiciuntur in Cod. media fere pagina, secunda manu, aut certe literis compositioribus: Probatio veritatis est argumentum, et probatio dilectionis exhibitio est operis. *Deest ergo expositio cum eorum verborum Ciceronis, quae supra scripta sunt pag.* 393. *l.* 20. *versibus sex, tum reliquae partis Topicorum, a cap.* 20. *ad extremum. Quam clausulam, si modo ipse Boëthius pertexuit ad finem opus, optabili fortuna alii fortasse reperient.*

---

12. Fort. *fuerit.* 14. Leg. *auspices.* Baxt. 15. Cod. ΠΡΟΓΝΟCΗΧ.

M. TULLII ELOGIUM.

Ne adversus artis typographicae leges pagella haec vacaret, e Cod. Bibl. Bernensis N. 244. fol. chartaceo, praeter alia Ciceronis libros de Officiis continente cum hac subscriptione: „Scriptus est liber iste in festo Sancti Urbani papae in monasterio portae montis (*Thorberg*) ordinis Carthus. Anno dom. 1421.", *rude hoc et inconditum, fateor, sed generosi sensus plenum Tullii elogium, ab optimo amico,* L. Usterio, *nobiscum communicatum hic inserendum curavimus:*

Utinam, quo tempore Christus, deus noster, hunc mundum inhabitavit et christianus primitus vivendi modus excolebatur, christianaeque leges rectam optimamque vivendi rationem attulerunt, et per christianum eius baptismum ab inferis nos calamitatibus recuperavit: eodem etiam tempore Marcus noster Cicero domini nostri Iesu Christi aut familiarissimus exstitisset aut ad eius postmodum inimitabiles et immortales divinitatis virtutes pervenisset! Nam ut ipsa Ciceroniana dicendi facultas tunc temporum, non recte cognito divinitatis lumine, complurimum oppidis, civitatibus, provinciis atque nationibus opitulata fuit, atque nunc etiam id ipsum Ciceronianum bene dicendi beneque vivendi genus maximum hominibus affert ornamentum: ita etiam longe magis divinitate prudentius atque clarius intellecta humano generi ornamentum fidei Christianae non modicum praestitisset. Ipse enim Cicero ut amantissimus posteritatis pater ac frater tantum nobis vel suum amoris cumulum vel amplissimam benivolentiae paternitatem atque fraternitatem vel singularis amicitiae vinculum demonstravit: ut non solum ex unico eius volumine complurima nobis bona comparare possimus, verum etiam ex compluribus librorum voluminibus: in quibus tam ampla, tanta, tam summa, tam optima, tam perspicua, praeclara, exoptata, incredibilia servata sunt, quam multa quamque varia dicendi genera: ut omnis et unus quisque, qui aliquo magno fuit animo aut viros magnos imitari voluerit, amplissima exinde sibi potuerit emolumenta comparare. Sed equidem Ciceronis virtutes tanto nobis adiumento exstiterunt, tantaque fuit eius in humanum genus officiorum multitudo, tantisque ipsius erga nos studiorum bene meritis obligamur, tantaque ex ipsius scriptis virtutum adiumenta suscepimus et elicimus, tantaque eximia in nos beneficiorum magnitudine affecti sumus, ut summas omnipotenti deo optimo maximo gratias agere debeamus, quod clementer ad nos cumulatissimum dimiserit oratorem, cuius amplissimae virtutes universum humanum genus mirum in modum illustraverunt. Eius virtus insuper tantum in se dignitatis, splendoris, excellentiae, auctoritatis, amplitudinem atque praestantiam complectitur, ut ex eius splendoris atque gloriae magnitudine homines ad se amandum plurimum alliciat. Idcirco multum amandus et, si superstes esset, manibus gestandus immortalique gloria dignus merito censeri debet.

FAVONII EULOGII

ORATORIS ALMAE KARTHAGINIS

DISPUTATIO

DE SOMNIO SCIPIONIS.

SCRIPTA

SUPERIO V. C. COS. PROVINCIAE BYZACENAE.

(Favonii Eulogii, quem S. Augustini discipulum fuisse ex huius libro de cura pro mortuis (cap. XI.) recte collegisse videtur Io. Alb. Fabricius, disputationem de Somnio Scipionis ex vetusto Codice Gemblacensi erutam primus edidit Andr. Schottus post librum quintum Quaestionum Tullianarum Antv. 1613. 8. *Eandem deinde suae Officiorum editioni maiori (a.* 1688.*) subiunxit Graevius, qui, quum Schotti libro careremus, unus nobis in hac tertia editione exprimenda dux erat sequendus. Praeterea Casp. Barthii Adversariorum Commentariorum librum quintum, cuius caput septimum totum fere Eulogio destinatum est, in auxilium vocavimus et nostras quoque aliquot emendationes addidimus.* Bait.)

NOBILISSIMO VIRO

GASP. TAIO TOPARCHO IN GOICQ

AND. SCHOTTUS ANTVERPIANUS

DE SOCIETATE IESU

S.

Duo sunt M. Tullii loci insignes, ut Te omnium minime fugit, eruditissime ac nobilissime Tai, doctis etiam hominibus perobscuri: puta De Iocis, *qui est lib. II. de Oratore ad Q. Fratrem: alter vero e libro de Rep. VI. in* P. Scipionis Somnio, *aureolo sane fragmento; unde velut ex ungue liceat aestimare, quanta amissis de Rep. libris sit facta iactura.* Ioca, *quod acute dictis constent, unde cuiusque fere ingenium elucescat, sitque narratio rei gestae dicteriique occasio necessario investiganda.* Somnium *vero, quod mea quidem sententia multorum superat vigilias, caelestem sphaeram prope continet universam, ac veluti orbis terrae (ut Romam terrarum Deam Polemon Sophista apud Athenaeum ac Galenum nominat) ἐπιτομήν. In ioca ac dicteria doctissimus Turnebus operam praeclare navavit: in Somnium autem post Macrobium, qui Platonice philosophatur, ac post Censorini de die natali libellum, nostra parentumque memoria multi vigilando lucubrarunt: in his Vives et Olivarius, Valentini: Parrientus Granatensis, Ramus Gallus, ac Ger. Vossius Belga: nemo tamen, meo iudicio, accuratius Elia Vineto, Santone. Mathematicis enim imbutus disciplinis erat, ut et de Logistica scripserit, et in Euclidis quaedam; ac demum Ausonium Gallum illustrarit. Ciceronis autem verba apponam:* Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam quum aetas tua septenos octies solis amfractus reditusque converterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de caussa, habetur) circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum atque tuum nomen se tota convertet civitas: *hoc est, quum* sex et quinquaginta annos *attigeris. Octies enim septena, vel septies octo, sex et quinquaginta annos reddunt: qui et ipse κλιμακτηρικὸς est annus. Septenario enim numero moveri arterias morborumque pericula nasci ac discrimina, medicorum filii existimant: ut symphoniam musici διὰ τεσσάρων observant. Illi etiam κριτικοὺς appellant dies, quos C. Plinius* decretorios *reddit, quibus, quid aegroto futurum sit, decernant. Summum vero in senibus κλιμακτηρικὸν tertium et sexagesimum aetatis annum maximeque periculosum numerant; quo Cicero noster ac Demosthenes aliique exstincti:*

quod cum septenario novenarius impar uterque concurrant: quem annum quum Augustus excessisset, περὶ κλιμακτῆρος *seniorum sibi ut gratularetur Caius nepos, imperavit, apud Agellium lib. XV. Noct. Attic. cap. 7. Verum de his alii pluribus: nos hoc agamus. Copiosius quidem de his numeris P. Scipioni praefinitis argutatur* Favonius Eulogius, Rhetor Carthaginiensis, *quem nunc primum eruimus in lucemque revocamus e vetusto codice Gemblacensis antiquissimae bibliothecae, Benedictinorum in Belgio sodalium: quo in coenobio et Sigebertus historicus claruit. Utinam aliud alibi delitescens exemplar ex abditis bibliothecis lucem tandem aspiciat. Tale etiam fragmentum* Vulcatii, *sive alterius, in M. Tull. orat. pro Sex. Roscio Amerino (nam in orationes Cicer. Vulcatium olim scripsisse ex S. Hieronymo constat.) vidisse se Pet. Pithoeus, homo de studiis si quis alius optime meritus, notis ad legum Mosaicarum et Romanarum collationem Tit. VIII. affirmat. His addidimus coronidis vicem* Latini Latinii *de numeris ac cyclis disputationem Roma ad me muneri missam a Scip. Cobellutio, iuris consulto egregio, nostrique amantissimo.*

Philosophi vero nimium quantum his numeris tribuerunt. Pythagorici per τετρακτὺν *iurandi formulam adhibebant, sive quattuor rerum elementa innuerent (quae* ῥιζώματα *Empedocles nominavit, veluti* φύσεως seminaria:) *sive, ut alii volunt,* βυθόν, σιγήν, νοῦν *et* ἀλήθειαν.

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως. — *(Aur. Pythag. v. 47.)*

Plato quoque divinus animae naturam numeris ostendere conatus, his eas offundit tenebras, nihil ut Platonicis numeris obscurius proverbio iactetur; quem his libris Cicero potissimum est imitatus. Perfectum *autem numerum dixit ac* plenum; *ad vim respiciens, non logistarum more, qui perfectum appellant numerum, cuius partes congregatae totum adaequant: qualis senarius est.* Septenarius *autem totam hominis vitam regit aetatesque digerit, ut e M. Terentii Varronis togatorum doctissimi Hebdomadum libris idem Agellius docet lib. III. cap. 10.* Octonarius *vero corpus consolidat: cubus enim est. Quo fit, ut alter numerus patris, matris alter vicem obeat. Platoni autem in Timaeo octonarius plenus est, quia numerum absolvit orbium caelestium, qui octo moventur. Septenarium autem, quia dierum lunae origo est. Fit enim lunae ambitus diebus octo et viginti. Verba philosophi apponam:* ἔστι δ᾽ ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι δυνατόν, ὡς ὅγε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε, ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχει σχῇ κεφαλήν. Attamen illud perspici et intelligi potest, absoluto perfectoque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, quum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt. *De septenario sic:* μεὶς δὲ ἐπειδὰν σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον. *Nostra quoque memoria* circulum quadrari *posse numeris Ioan. Buteo edito in Gallia scripto asseruit: quum tamen Aristoteles in*

Categoria Πρός τι, et in Physica ἀκροάσει, sciri quidem posse, non tamen sciri affirmarit. Idemque philosophus Pythagorae illam opinionem, quam et Cicero hic attigit, de caelestium orbium sonitu atque harmonia, ita lib. 1. *de Caelo oppugnat, ut tantum non irrideat. Oratoris nostri verba subiicio:* Hoc sonitu completae aures hominum obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobis: sicut ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint: sicut intueri solem nequitis adversum, eiusque radiis acies vestra sensusque vincitur. *Supra autem non longe:* Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum modorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos: qui numerus rerum omnium fere nodus est. *Hic enim* modus est *editum video locumque glossemate foedatum, vocum duarum* Mercurii et Veneris, *quas intrusas ex ora arbitror. Theodorus enim Gaza Graece interpretando discrepat. Vertit enim:* ἐκεῖνοί γε μὴν οἱ ὀκτὼ δρόμοι, ὧν διττὴ αὐτοῖς πρόσεστι δύναμις, ἑπτὰ διωρισμένους τοῖς διαστήμασιν ἤχους ἀποτελοῦσιν, ὅςτις δὲ ἀριθμὸς σύνδεσμος ἀντικρὺς τῶν ὄντων ἐστίν. Nodum *legisse animadverto, non* modum. σύνδεσμον *enim reddidit, caretque glossemate.* ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ. *Venio ad* Eulogium, *de cuius hic praenomine* Favonii *(quod alibi legere non memini) venit in mentem dubitare, an e* Fabii *vel* Flaviani *sit corruptum; vel denique* Flavii: *ut* Flavius Vegetius *eius prope aequalis Militarium scriptor dictus est. Mutare tamen religio sit, quod et in Africa et sequiore illo aevo Romana praenomina gentiumque ac familiarum nomina non ad amussim servarentur, quin identidem in alia verterent. Haec vero qualiacunque, nobilissime Tai, ut tua consideratione non indigna, libens offero de numerorum mysteriis, de quibus multa et Philo Iudaeus disseruit et in Photiana nostra bibliotheca Nicomachus Gerasinus aliique pertractarunt. Tuum erit, qua es humanitate, meum in Te amoris pignus in bonam accipere partem et aequi boni facere. Vale.*

FAVONII EULOGII

DISPUTATIO

DE SOMNIO SCIPIONIS.

Imitatione Platonis Cicero de re publica scribens locum etiam de regis Pamphili reditu in vitam, qui, ut ait, rogo impositus revixisset multaque de inferis secreta narrasset, non fabulosa, ut ille, assimilatione commentus est, sed sollertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans, haec, quae de animae immortalitate dicerentur caeloque, somniantium philosophorum esse commenta, nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas. Insinuat Scipionem illum, qui Karthagine subiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni Pauli filio futuras a propinquis insidias et fatalis metae denuntiare curriculum, quod necessitate numerorum in vitae perfectae tempora coartetur; ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno, duobus in se coëuntibus numeris, absolutam caelo animam, unde acceperat, redditurum: quod et immortalis esset animi mentisque substantia et bene meritis de re publica patriaeque custodibus lactei circuli lucida ac candens habitatio deberetur. Has igitur rationes, quibus supra positi viri vita perficitur, arithmeticis approbationibus explanantes, prudentiae tuae, Superi, vir clarissime atque sublimis, non ut novas ignotasque narramus, sed in recordationem qua possumus commemoratione reducimus. Quae si doctis auribus tuis placere pervidero, ad alia quoque audacius, quae iubere dignaris, operam stilumque convertam.

Ac primum illud existimo praelibandum, quod Italicae sapientiae conditor Pythagoras numeris censet constare naturam, mundumque omnem ratis et competentibus intervallis ad musicam caeli consona modulatione decurrere, aliumque alii rei numerum convenire, ut concordiae publicae nuptialem, ut edentis partibus cubicum, aliosque caelestibus, alios terrenis. Quid sit hoc, totum pro captu meo curabo distinguere.

Numerus igitur res aeterna, intelligibilis, incorrupta cuncta, quae sunt, vi sua complectitur; totumque sub numerum venit, quidquid aut sensibus aut animi cogitatione comprehenditur. Nam et cor-

---

5. Leg. *Eris Pamphylii.* Or. 8. *haec*, *quae* cet.] Scribendum: *nec quae* cet. Barth. 16. An *anno -- absoluto?* Or. 24. Emaculandum, *dignaberis.* In praesentia enim tantum hoc Eulogio impositum erat opusculum. Barth. 29. Fort. *edendis partubus.* Schott.

pora figuram ex numeris trahunt, et figurae lineis pari ratione formantur: ipsaeque artes praecepta sua non sine numeri admixtione pronuntiant: et quum rhetorica status causarum quattuor, philosophia totidem asserit esse virtutes; et quum dicimus trigona lineis tribus, quattuor quadrata describi, utique vides hoc ad numeros oportere converti. Sed numerus est quantitas congregabilis, a duobus initium sumens et in denariam metam crescendi accessione perveniens. Nam monadem non numerum, sed semen et substantiam numerorum esse, manifestum et ex illa supra posita definitione perficitur. Nec enim unum ac singulare quoddam congregabilis quantitas intelligitur: nec par aut impar haberi potest, quae sunt genera numerorum. Ergo initium monas; numerus dyas et trias ceterique ita reliqui vocabuntur: breviterque dicemus, quid monas, quid dyas, quid sequentes numeri valeant in natura.

Monas singularitas insecabilis, indivisa, sola, non ex partibus constans: quum sit aliud unum, aliud unum solum. Unum dicimus mundum, sed non unum solum, quia confit ex partibus; unum populum ex pluribus civibus; exercitum ex multis militibus unum; nullumque corpus unum solumque corpus. Unum solum recte dicetur, quod in partes sui divisione discedat. Atque unum animum non minutis et coëuntibus portionibus in sui habitum esse compositum, sed naturali simplicitate subsistentem, non unum, sed solum quoque' nominamus. Quamvis circa corpora divisibilem Plato testatur, genere tamen unum eundemque cognoscit. Quidquid enim numerosa progressione non perit, singulare natura est. Unus igitur deus, etsi sint eius innumerae divisaeque virtutes sexu per fabulas nominibusque discretae. Ac non sic mundus unus; cuius aut duae sunt partes, mens et materia; aut vero quattuor elementa, momentis potentiaque distantia. Illud igitur numerus; hoc, quod numerabile est, recte dicetur. Ille complectitur universa, ut in eo divina etiam numerentur. Hoc autem accidit numero ac subiacet numerabile. Estque numerus, ut Xenocrates censuit, animus ac deus. Non enim aliud est, quam quod ei subest: sed illud ipsum, quod est unum ac singulare tantummodo, quod ante omnia in omnibus et post omnia. Quantam enim velis colligas quantitatem, ducetur ab uno, texetur ab uno desinetque in unum. Ac pereuntibus aliis, quae id recipere possunt, immutabile perseverat.

Dyas vero, ut theologi asserunt, secundus est motus. Primus enim motus in monade stabilis et consistens, in dyadem velut foras egreditur: primumque connubium poëtae fabulose dixerunt sororis et coniugis, quod videlicet unius generis numero coëunte copuletur: et Iunonem vocant, uni scilicet Iovi accessio alterius inhaerentem. Ab hoc numero mundus apparuit mente ac materia (quae Graece dicitur ὕλη) constructus. Ab hoc iustitia, naturalis virtus, librata partium aequalitate diluxit. Namque divisus hic nunc numerus, quia prior dividi potest, aequali sectione discedit; nec tamen adhuc totus est, quia ini-

---

20. Dele v. *esse*. Bait. 40. Fort. *accessione* vel *accessu*. Schott. Verba *accessio alterius* non tam emendanda quam exstirpanda existimo. Notum enim de uno alteri uni dici, et iam dixit, neque non manifestum est ex margine tale quid irrepsisse. Barth.

tium finemque demonstrat, medio nullo censetur: diciturque femineus, quia iunctus alteri pari parem creat ex sese. Quod in eo, qui sequitur, non potest inveniri. Bis enim bini fit quadratus. Bis terni non facit imparem, sicut ille superior, quod ex paribus par, ex imparibus impar esse non poterit.

Trias primus est totus, quod habet, et dimidius, estque, ut dicitur, masculinus, quod adiunctus alteri impari creare non valeat id, quod ipse sit. Mundus ab hoc numero nomen accepit. Namque ex duobus factus in tertium quid genus evaluit. Non enim aut mens tantum aut sola materia, sed utrumque est tertium quid illorum commixtione compositum; triaque tempora pro sui natura sortitus est, praeteritum, praesens, futurum, triade videlicet operante; fatalisque necessitas in eo numero est, Clotho, Lachesis, Atropos; tria rerum genera, masculinum, femininum, neutrum; tria vocum discrimina, acutum, grave et inflexum; tria genera litterarum, vocales, semivocales, mutae; tribus lineis figura prima componitur, quae trigonon nominatur; tria corporum intervalla monstrant, longitudo, latitudo, altitudo, quibus omne solidum continetur.

Quattuor, secunda generis alterius plenitudo, duo media pro sui qualitate complectitur: primusque quadratus est numerus. Quadratum arithmetici vocant, qui ductus in se in maiorem cumulum surgit. Bis enim bini quartus, ter terni nonus secundus quadratus est numerus; deinceps ceteri in sese ducti usque ad decimi metam quadratos efficiunt numeros. Nam xx. per se quum efficiunt quadringentos, ad secundi versus pertinent rationem. Versus arithmetici dicunt ordines numerorum, ut ab uno ad decem, a decem ad centum, a centum ad mille; et sic alios versus progressione maioris crementi coaedificant, idemque valet decimus ad vicesimum, quod unus ad duo. Duplici enim substantia separantur, ac si diversa sit summa; ratio tamen eadem perseverat, ac sic in denaria summa crescendi finis et initium secundi versus est. Sed is in quaternario numero subtili disputatione colligitur. Nam duo III. quater adiuncta monade in decadem procedunt. Ab hoc numero elementa, ab hoc tempora natura disposuit, quae per terna caeli signa solis curriculis dimensa variantur. Nam ver in tribus signis agitur, Ariete, Tauro, Geminis; aestas in Cancro, Leone, Virgine; autumnus Libra, Scorpio, Sagittario; hiems in Capricorno, Aquario Piscibusque finiuntur: videsque duobus primis ac plenis numeris mundani cursus tempora solis moderatione convolvi.

Quinque autem caeli planetas sub zodiaco posuerunt, locis motibusque dissimiles. In quinque partes circulum secuere, ut sit primum medium punctum, quattuor absides, quarum altitudo, et altitudo altitudinis, humilitas humilitatis, in lunari globo ratis erroribus observantur: quod ea videlicet †ut una a caelo omne hoc intervallum, quod a terra ad caelum usque protenditur, obire diversis videtur anfractibus, ne in umbram terrae, quae dicitur eclipsis, semper incurrat: quam,

---

6. An *quod habet et medium?* Supra quidem dyadem negavit esse totum numerum, quod *medio* careret. BAIT. 17. Leg. *monstrantur.* BAIT. 22. An *quartus primus, ter?* BAIT.

dum altior Aquilone, humilior Austro incurrat, videtur evadere; nisi quod aliquando pro mundanae sortis et corporum, quibus aër praeest, necessitate perpetitur veluti sui luminis mortem. Vides ergo, quod numerus iste, quem diximus, agat in caelo. Constat hic ex pleno et non pleno, tribus videlicet et duobus. Nec dividitur sicut omnis impar aequaliter. Sensus corporis nostri sub hoc numero [*contineri*] manifestum est. Hunc Romani in populi divisione secuti sunt, in quinque classes omnia civitatis membra claudentes.

Senarius vero, qui sequitur numerus, potentem ac divinam naturae suae obtinet potestatem: siquidem τέλειος primus, id est, perfectus, etiam repetitur. *Perfectum* arithmetici vocant, qui se implet partibus suis. *Partem* calculatores dicunt, quibus maior aliqua summa componitur, ut hic ex dimidia, tertia, sexta coniunctis senarium numerum complet. Nam III. II. et I. (quae portio est sexta) senariam expedit quantitatem. Quod in aliis ex primo versu numeris non reperies. Nam ceteri pares numeri aut enim se complent, aut etiam transeunt; hic solus est, qui suis partibus sine ullo discrimine supputatus absolvitur. Nam quaternarius habet dimidiam duo; tertiam, propter monadem insecabilem, non habet; quartae accidens tertii numeri continet summam. Colligere ergo non potest quattuor, quod hic tertius ex imparibus constans solus emeruit. Nam octo, qui ex paribus quartus est, quum habeat dimidiam quattuor, tertia careat, quartam duo accipiat, quintam vero, sextam septimamque non habeat, accedente octava, quae superest, se complere non poterit, ut in his numeris cernas licet: IIII. II. I. septem sunt, non octo, qui supra sunt: se itaque complere non potuerunt. Decas, quintus par numerus, habet dimidiam V., tertiam non habet, quartam non habet, quintam recipit, II.; sexta, septima, octava, nona parte privatus est; accedente decima, id est, facit octo, non decem. Duodecim rursum attende, quamvis alterius versus videatur habere reliquias aut extra sortem propositae rationis sit, quia, ut monas in primo versu, sic in secundo decas obtinet fundamentum. Ergo si duodecim partium velis supputatione conficere, transibit semet ipsum, nec eadem, quae supra dicta est, ratione quadrabit: siquidem VI. dimidiam, IIII. tertiam, quartam III., sextam vero et ipsa duodecima: sedecim faciunt. Ita sibi coaequari non valent. In has enim solas partes duodecim separamus. Sed haec de aliis instructionis gratia dixerimus, ne de septimo aut octavo numero disputantes obscuritatem aliquam, nulla praestructione posita, subiremus. Nec dicendum est, quae sit horum plenitudo numerorum, quibus per alterutrum ductis VI. conficiuntur anni. His enim Africani posterioris vita conclusa est.

Septimus igitur numerus plenus est his de causis, quia et in initio duo et tres medio et duo fine complexus est; tum, quod primus ex duobus diversi ge-

7. Scribe: *Sensus corporis nostri sub hoc numerari confessum est.* Barth. 11. An *esse reperitur* Or. 16. Fort. *aut non se complent.* Bait. 19. Fort. *quarta accedens.* Bait. 29. Fort. *id est, I., facit.* Bait. 35. Fort. *siquidem VI. dimidia, IIII. tertia, quarta III., sexta vero II. et ipsa duodecima (I.) sedecim faciunt.* Bait. 39. Leg. *Nunc dicendum est.* Bait. 40. Leg. *VI. et L. conf. anni.* Bait.

neris plenus est, ex tribus imparibus scilicet et quattuor paribus iunctus sit ipse plenissimus: cuius totae sunt partes, multumque in rerum natura dominatur. Nam sidera, quae obluctantur caelo, sunt septem, si ad V. planctas solem lunamque iungamus, totidem circulis evolantia. Septem stellas cardo maximus Aquilonius in occiduo fulgorę convertit. Septem species luna crescentis ac decrescentis luminis varietate componit: quarum prima est, quae a Graecis ἀνατολὴ dicitur, secunda ἀμφίκυρτος, tertia διχότομος, quarta πανσέληνος, quinta item διχότομος, sexta ἀμφίκυρτος, septima συνοδικὴ vocatur, quum interlunio redit ad solem. Septem animi motus philosophi Stoici posuerunt: quattuor perturbationes, tres constantias; id est, metum, dolorem, cupiditatem, laetitiam; quibus insipientium animi velut tempestatibus agitantur. Sapientium vero motus non πάθη, sed constantiae sunt, ut pro metu cautio sit, pro cupiditate voluntas aut studium, pro laetitia gaudium: quod distinctionis gratia separamus. Quartus ex malis praesentibus sapienti nullus est motus: quia nec in motum incidere sapiens potest. Sunt ergo animi motus septem: at vero corporum totidem. Primus est circularis, una linea comprehensus. Sex reliqui, dexter sinister, sursum deorsum, ante post. Sed ille mundi comes totius, hi pariles habentur. Diximus supra, quinque sensus esse corporeos. Hi septem foraminibus emittuntur: duo sunt visionis, duo auditus, unus gustatus atque unus est odoratus, septimus tactus, qui per totius corporis membra diffusus est. Et quia cerebri purissimam partem animae principatum existimant obtinere, ministros eidem sensus septem. veluti fenestris emitti manifestum est, quum illos Minervae tanquam in arce positae subiecerunt. Cur numerus septenarius Minervae tribuitur, quae ex Iovis capite sine matris utero procreata memoratur? Videlicet, quod ad senarium sapientem convenientemque suis partibus numerum, monas, quae est caput numerorum, quum accesserit, septenarium creat, qui ab arithmeticis Minerva dictus est, quod neque creatus est ex duobus sibi similibus, neque procreare ipse alios potest intra limitem primi versus. Nam si respicias a principio, dyas et paritur ex singulis et ex se quaternarium creat. Trias II. equidem paritur, quia bis similibus numeris coëuntibus aggregatur, sed generat sex. Quinarius ipse non paritur, sed decimum ex duobus sui similibus parit; in quo, ut dictum est, crescentium finis est numerorum: quorum ratio ceteris in versibus sub maiore summa reperitur. Sex paritur quidem, sed ipse non parit: duodecim namque secundi versus incipit habere reliquias. Octavus vero ex duobus quaternariis exoritur; in sedecim duplicatus excedit: paritur ergo, non parit. Enneadem tres triplicati pariunt; duodevicesimus secundi versus est numerus, qui a lege creandi diversus est. Decas natus quidem ex bis quinis cognoscitur, sed xx., quos colligit duplicatus hic numerus, non possunt dictae rationis habere consortium. Septimus, qui solus nec creatus ex binis unius generis

---

1. Leg. *fit.* Bait. 4. An *se volventia?* Or. 19. Fort. *partiles.* Schott. 33. Fort. *Trias e II. quidem paritur.* Bait. 34. Excidisse videntur vel in codice vel in Graevii editione, quae de quaternario numero dicenda erant. Bait. 44. Fort. *Septimus itaque solus nec creatus est ex binis.* Bait.

numeris, nec ipse alium geminatus effundit: unde merito Minerva sine matre, virgo sine procreatione perhibetur.

Hippocrates Cous, naturae scrutator egregius, hunc numerum in libris, quos *περὶ ἑβδομάδων* appellat, ait creandis inesse corporibus. Nam semen fusum et fomite matris exceptum septimo die in sanguinem commutari, septimo mense perfici, ac plerumque nasci legitimam partus dinumerationem mansurum; infantiumque dentes a septimo mense prorumpere, septimo mutari anno; bis septimo incipere pubertatem; ter septeno florem barbae iuvenilis absolvi; quattuor autem annorum hebdomadibus evolutis staturae crescentis terminum fieri nec ultra proceritatem posse procedere; xxx. vero et v. annis exemptis etiam ingenii progressionem fere desistere quidam putavere philosophi, quód videlicet in quinque redigatur hebdomadas. Musici vero septem vocum discrimina duobus tetrachordis pro rata portione modulatis efficiunt, una chorda communi, quae utriusque concentum harmoniae modificatione componat. Quod paullo uberius exsequemur. Dialectici quoque conclusionis hypotheticae modos in septenarium numerum redegerunt; quibus amplius nihil acuta quivit disciplina cognoscere.

De octavo autem numero non multa dicam; sed quae huic loco sufficiant, ista sunt: Octo, primus cubus (*κύβον* Graeci; nos *quadrantal* dicimus), id est, forma, quae tria corporum intervalla contineat. Nam quum *σημεῖον* lineae semen et signum sine ullis partibus animo cogitabis, eadem cogitatione defluere videbis in lineam. Quae quía duobus finibus terminetur linea longitudinis, sub dualis numeri natura limitatur. Haec in quaternarium duplicatione progreditur, et facit epiphaniam, id est, superficiem, planipedem; quam Graeci *ἐπίπεδον* nominarunt, quattuor lineis angulis descriptam. Quae si aeque dupli ratione grandescat, octavo numero quadrantal illud absolvet, eritque, ut diximus, in duobus longitudo, in quattuor latitudo, in octo altitudo; quia nihil amplius in lineis corpora perfecta conquirunt, quae a nobis solida, a Graecis *στερεὰ σχήματα* nominantur. Nam color, qui veluti novus accedit, a plerisque non naturis corporum, sed lucis iactibus impressionibusque tribuitur. Unde illud recte Virgilius (Aen. VI. vers. 272.): *Et rebus nox abstulit atra colorem;* quod utique dederat, abstulit. Sed ne de primo cubo dicentes ad alium transeamus et sit mutilantis subtilitatis assertio; ut a numero pari, qui femineus habetur, tribus illis limitibus duplicatis natus est cubus: ita tribus per sui naturam ter triplicatis efficitur alius cubus generis imparis masculinus. Namque tres lineam faciunt longitudinis; novem lineam latitudinis; viginti vero et septem profunditatem illam soliditatis absolvent. Quod hac descriptione sic intuere:

---

7. Fort. *mensium*, potius, *septimanarum*, pro *septimestrium*, ut inf. SCHOTT. Scribendum puto: *ac plenum nasci legitimamque partus dinumerationem mansuram.* BARTH. 19. Macrob. lib. I. Somnii. cap. 5. SCHOTT. 27. An *lineis et angulis?* BAIT. 32. Fort. *nonus.* BAIT. 35. Absurdum est noctem dedisse dici rebus colorem, quae omnibus eum abstergit. Scribendum: *quod utique qui dederant, abstulit;* vel, *datum erat.* BARTH. An *utique dies dederat?* OR.

Longitudo	II	III	Longitudo
Latitudo	IV	VIIII	Latitudo
Altitudo	VIII	XXVII	Altitudo

Tum adverte, quod summa descriptionis climata complectitur, nempe septem; et hoc ad potentiam numeri septenarii referimus. Nam et Plato quum divisionem primam ex cratere illo suo, quo animam temperabat, efficeret et dupli ac tripli distantias propinquioribus pro rata parte numeris inferciret, eadem posuit intervalla primigenia; in quibus dempto illo principe, qui communis omnibus lateribus invenitur, remanent summe sex numeri, ut dictum est, potentis atque perfecti, per quem hos duos cubos sibimet mixtos si multiplices, in ducentos et decem cumulus iste transibit. Nam VIII. et XXVII. fiunt XXXV. Hoc sexies ducito; facies, ut supra proposuimus, ducentos et decem: qui dierum numerus septem menses absolvit. Hac ratione partus ille septimanus est plenus. Vide iterum cubos his numeris contineri. Octo binarii generis cubus est. XXVII. septenarium continent in reliquis. Nam summa maior, quae in viginti est, binorum laterum instar; reliquae sunt eius in septem, quem plenum in loci huius expositione iam diu demonstravimus. Ad hunc numerum cubicum, ut Varroni placet, lunaris cursus congruit revolutio, quae in XXVII. diebus omne tanti sideris lumen exhaurit. Adde quod octavus hic numerus dierum noctiumque crementa convertit. Nam quum octavam arietis partem sol ingreditur, lucis umbraeque mensuram paribus momentis exaequat: indeque ad Cancri octavam partem lux aucta producitur. Unde alia rursus aequalitate regreditur ad Librae octavam partem, ut fiant solis contractiora curricula. Novissime pigras ac breves horas a Capricorni humiliore meta restringens in solstitium aliud, quod brumale dicitur, tendit, ac sic alterno discrimine dies a noctibus umbraeque a solibus superantur, octavae partis quadrifariam limite disparato, ut aequinoctia duo, solstitia totidem numerentur. Caeli vero in hunc numerum orbes, seu Deus artifex, seu natura prudens disposuit. Nam primus ac summus est ἀπλανής. Qui quia semper uno ac iugi continuatus agitur motu, nulli videtur errori esse subiectus. Sub eo planetarum sunt V. circuli et solis ac lunae curricula. Nam terra, ut ait Tullius, nona, immota semper sede manet; et ab illorum motibus segregata obstipo pondere defixa subsedit. Additur causis, quod in musica tonus octavae partis detractione consistit per numerum, qui epogdous nominatur. Iure igitur aetatem hominis hi numeri temperant: quorum in naturae totius causa potentia, quam colligi duorum altrinsecus subductione perspicimus. Qui numerus Africani clausit aetatem, hic quoque plenissimus intelligitur, quia et ordinem naturalem per analogiae constituit rationem, et ex iis partibus constat, in quibus est miranda perfectio, id est, XXVIII. duplicans in summam. Nam L. propinque debemus accipere, sicuti pro monade decadem. Quinque autem in

1. An *quot?* Or. 41. Fort. *Nam L. pro quinque debemus acc.* Barr.

ordine sequens senarius comitatur, quem superioribus adhaerere cognoscis. XXVIII. perfectus est numerus in secundo versu, sicut est in primo senarius, quod impletur partibus suis, nec absque hoc alius. Habet autem partes has: dimidiam XIIII.; tertiam non habet; quartam véro habet VII.; quinta sextaque privatus est; septimam recipit numeris IV.; octavam, nonam, decimam, undecimam, duodecimam, tertiam decimam ne disquiras; quartam decimam vides in duobus exsistere: a qua usque in XXVIII. nulla subductae rationis portio reperitur. Omnes ergo partes eius in ordinem digere simulque subductio: in cumulum primitus positum remeabunt; namque XIV. VII. IV. II. I.; et XXVIII. congregatio iugata componet. Qui si perfectus est numerus, ut ratio comprobavit, duo perfecti magis fecere perfectum. Non potuit ergo Africanus velut immaturae mortis queri dispendia, quia †nihil minus est vitae, quam ratus numerorum ordo complevit.

Adiungamus huic loco illud quoque de novenario, quod Tullius ait: *novem tibi orbibus connexa sint omnia:* ut hoc demonstrato tutius primi versus plena sit disputatio. Est igitur quadratus numerus, novenarius, quia ex tribus in se triplicatis exoritur, sicut haec figura composita est:

0	0	0
0	0	0
0	0	0

Quoquo verteris, quadraturam videbis, cuncta eius latera congruentia, totusque habetur ex totis: quia et initium habet ex tribus et medium obtinent tres iidemque finiunt partesque ipsius totae sunt: quod in aliis nequaquam numeris invenitur. Tres enim, ut supra diximus, totus est numerus, sed non ex totis ipse compositus. At vero novem et ipsi tribus partibus toti sunt, et ipsae partes totae de tribus. Ex quo mihi videtur Maro doctissimus Romanorum dixisse illud:

— *Novies Styx interfusa coërcet.*

Terra enim nona est, ad quam Styx illa protenditur: mystice ac Platonica dictum esse sapientia non ignores. Nam poëtica libertate inserit fontanae animae a caelo usque in terras esse decursum. Nam sub pedibus summi patris, qui dissipet, (hinc dicitur πηγαῖα), Styx posita per omnes circulos fluit, imponens singulis velut in curru aurigam, id est, vitae substantiam, ex qua cuncta viventia originem sortiuntur, et eidem soluta redduntur: manatque illa per cunctas volentes commisceri, quod ex natura sit hiulca, interiectu sui vigoris separat; et, ut ipse Virgilius loquitur, *coërcet*, ut sui generis momenta

9. Fort. *subducito*. SCHOTT. 17. An *totius?* BAIT. 26. Aen. VI. vs. 439.

conservet. Inter caelum et terram novem intervalla ipse consideres licet. Sic, quoniam primi versus absolutio novenario numero continetur, neque ipsa decimum circulum natura requirebat: habes de numeris, quod sine libris in agello potui reminisci. Sequenti parte sermonis etiam symphoniam mundi, qua eum personare Pythagoras existimat, referemus.

DE CAELESTIUM ORBIUM SONITU.


Sequitur locus quum rei obscuritate, tum expositionis a Tullio positae brevitate difficilis, qui sub personis iisdem, quas supra memoravimus, sonitum mundi octo videlicet orbium impulsione concinere Pythagorei dogmatis assertione perdocuit. Nam terra (ut ait idem) nona, immota semper sede consistens, nullo canore concutitur, et velut fundamenti vice circum se actis octo cursibus defixa libratur: atque ut in cithara testudo, sic ipsam mundanae harmoniae velut machinam praebet. Sed quaedam primitus ex musica disciplina tradenda sunt, quo facilior intellectus exsistat. Sicut in arte grammatica articulatae vocis maximae ac principales partes edocentur, nomina et verba; harum autem sunt syllabae partes, ac litterae syllabarum, per quas in unum collectae significant aliquid, et in eas rursus diductae solvuntur: ita canorae vocis, quae a Graecis *ἐμμελής* dicitur et est numeris modulisque contexta, principales portiones habentur *συστήματα*. Systematum vero partes ex certo contracto pronuntiationis exsistunt: quae Graeci *διαστήματα*, nos intervalla nominamus. Diastematum vero partes sunt *φθόγγοι*, qui soni Latine dicuntur: hi soni quasi fundamentum sunt cantus. Est autem sonorum plurima differentia iuxta chordarum intentionem, quae non, ut libet, efficitur, sed certa observatione numerorum, de quibus mox loquemur. Et acuti quidem soni vehementius et citius percusso aëre pulsantur; et ubi nimius incitatiorque pulsus est, accentio vocitatur; succentio vero, quum lenior tardiorque pulsatio est. Ex accentionibus ratione musicae cantio temperata symphonia dicitur. Quam ita definiunt: symphonia est consonae vocis continua modulatio; dicunturque aliae simplices symphoniae, aliae vero copulatae. Prima symphonia in quattuor primis modulis invenitur, quae *διὰ τεσσάρων* a musicis appellatur; secunda, quae ex quinque primis modulis constat, ac *διὰ πέντε* nominatur. Quibus mixtis in ordinem atque compositis nascitur ea cantilena, quae *διὰ πασῶν* habetur per *ἐπόγδοον* numerum. Qua veteres musici octo tantum chordis utebantur, ad circulorum caelestium similitudinem referentes. Tres sunt itaque symphoniae simplices ac primigeniae, *διὰ πέντε*, *διὰ τεσσάρων*, *διὰ πασῶν*, quae in tetrachordo, numerorum ratione disposito, reperiuntur. Nam si unam chordam, ut libet, intentam semel aut iterum verberaris, sonabit quidem vel grave vel acutum; consonantiam tamen habere non poterit, quae dicitur symphonia. Huic chordae si alteram iungas diversa ratione distentam; quae tamen diversitas analo-

---

7. Leg. Macrobius lib. II. in Somnium Scip. cap. IV. 21. Fort. *contractu*. Bait.

giae congruentiam haberet, sonum vero non irritum aut simplicem, sed qui et aures oblectet et rationi, de qua loquimur, rite conveniat. Tendamus igitur primam chordam momentis sex, alteram vero octo; comparatio istarum chordarum symphoniam efficit *διὰ τεσσάρων*. At si aliam duobus momentis, aliam tribus intendas, *διὰ πέντε* symphoniam utriusque percussione resonabit. Si vero aliam sex momentis intorseris, aliam duodecim, dicetur haec symphonia *διὰ πασῶν*, quam duplicatio ex utraque superius demonstrata pepererit.

Sed ne confusius haec a nobis tradantur, dicam, quot modis inter se numeri comparentur; denique, quae sit numeris modisque cognatio ad efficiendam consonantem iugiter cantilenam. Numerus igitur aut *διπλάσιος* aut *ἡμιόλιος* aut *ἐπίτριτος* aut *ἐπόγδοος* appellatur. *Διπλάσιος*, Latine qui dicitur duplex, sub exemplo senarii duodecimi numeri demonstret, quae inter se summae, ut vides, longius diducuntur. *Ἡμιόλιος* vero propinquior ex duobus ac tribus est numeris, quum minorem summam maior alia conlata, media minoris superat portione. Namque vides tres duobus uno anteire numero, qui minoris dimidia pars est. Tertia comparationis est ratio ex *ἐπιτρίτῳ* numero, quum scilicet maior minorem summam non medietate minoris eiusdem, sed tertia parte progreditur: ut quattuor ad tria sunt. Quamquam enim uno superentur; tamen hic unus non media portio minoris est, sed tertia videlicet. *Ἐπόγδοος* autem tunc esse dicitur numerus, quum maior minorem summam octava parte minoris antevenit; ut sunt novem ad octo: qui quum uno similiter, ut superiores, anteeat, tamen, ut vides, octava pars minoris est unus: qua comparatione nullam arctiorem fieri posse arithmetici asserunt vel in numeris vel in sonis. Nec enim possumus decem ad novenariam summam pari ratione conferre, prohibente epogdoi versus memorato superius limite. Expositis igitur comparationibus numerorum dicamus, quae cum his sit symphoniarum ab harmonica disciplina coniunctio. Fac igitur tetrachordum ex his, quos proponam, numeris temperatum; quorum sit prior senarius perfectus ac sapiens numerus; secundus octavus; tertius novenarius; duodecimus qui est, locetur extremus. In his quattuor chordis omnes simplices symphoniae varia chordarum percussione nascuntur. Nam ex intervallo senariae atque octonariae summae symphonia *διὰ τεσσάρων* efficitur, atque *ἐπιτρίτῳ* numero continetur. Qui etiam in duabus, quae sunt reliquae, sicuti cernis, apparet. Nam duodecim ad novem eodem comparantur *ἐπιτρίτῳ*, recinuntque similiter symphoniam, quae *διὰ τεσσάρων* appellatur. At si altrinsecus prima tertiam, item secunda et extrema pulsetur, symphonia resonabit, quae dicitur *διὰ πέντε* ex *ἡμιολίᾳ* orta ratione. Prima ergo et extrema percussae *διὰ πασῶν* efficiunt symphoniam, ex diplasio numero consonantem, cuius umbilicum epogdous ille contineat, qui octo ac novem videtur insertus. Huius igitur figuram aspice tetrachordi:



At quia non quattuor circulis, sed octo, ut traditum est, harmonia mundana compacta est, non *διὰ πασῶν*, sed *δὶς διὰ πασῶν* symphonia concinunt, ex duobus velut tetrachordis inter se coëuntibus, quorum intervalla doctissimus ille Pythagoras ostendit: qui a terra usque ad illum verticem, qui dicitur *ἀπλανής*, duodecim *ἡμιοτονία* patere cognovit: quorum divisio ad dupli convenit rationem, si octo ad quaternarium numerum referre volueris. Namque ait a Terra ad Lunam *τόνον* esse, a Luna ad Mercurii circulum hemitonion, indeque ad Veneris hemitonion, a quo ad Solem tria hemitonia; a Solis autem orbe ad circulum Martium tonon esse, a quo ad Iovem hemitonion, indeque ad Saturni hemitonion, a quo ad Signiferum circulum similiter hemitonion: ita fieri, ut sex tonis caelum distet a terra, duodecim scilicet hemitoniis, fierique his traditas symphonias. Namque a terra ad solis circulum diatessaron reboat symphonia: a solis vero ad zodiacum diapente. Totum autem diapason, quae ex duobus primis aeque duo sunt hemisphaeria, superius et inferius, et disdiapason totius mundi sonitus concinit, xxiv. videlicet hemitoniis: quae licet ad duplum rursus accipias. Nam ut octo a quaternario duplo distant, sic xxiv. ab octo. Habent enim eosdem in se et alios totidem duplicatos, quae dupli natura est. Sic ergo per tonos, qui epogdoa ratione consertim vinctimque miscentur, efficitur consonae iugitatis continua modulatio, *quam*, ut ait Cicero, *imitati docti et sapientes aperuerunt sibi reditum in caelum*, quod et musica disciplina faciat purgatos animos labe corporea, et imperiosis pateat via carminibus in usque illum, qui dicitur *γαλαξίας*, animarum beata luce fulgentem. Verba ergo Ciceronis attende. Dixerat Africanus: *Quis est, qui implet aures meas, sonus?* Mirifice *implet*. Quid enim eo plenius aut grandius cogitaveris, qui auditum nostrum nimio sono vocis obtundit, et oculos multo lumine caligantes ipsa sui substantia cernendi nimietate debilitet? Cui responsum est: *Hic est, qui intervallis disiunctus imparibus*. Quae sunt intervalla? Quae, ut dixi, Graeci *διαστήματα* nominaverunt, non locorum, sed numerorum spatia, quae in metris aures sensu metiuntur, disparibus tamen, sed non pugnantibus: quod hac ratione quoque probabitur. Quattuor posuimus summas:

5. Leg. *ἡμιτόνια*. Bait. 15. An *aequa?* Bait.

II.	IV.	VIII.	XVI.

Quid tam diversum? Tamen naturalem inter eas cerne concordiam. Duc primam cum extrema; item unam ex mediis in sese; eandem colligent quantitatem. Bis etenim XVI. ducti XXXII. efficiunt, et sexdecies bini idem colligunt. Medietas vero prima in se ducta XXXII. colligit, quod faciunt ambae medietates sibi confertae. Namque quater octoni XXXII. et octies quaterni XXXII. efficiunt. Atque ita naturalis illa unitas congruentiaque servatur, dum idem sunt extrema, quod et media, mediumque in se versum extremorum efficiat quantitatem. Quid? quod item notare nos convenit, ad perspiciendam numerorum inter se caritatem. Ut enim prima medietas cum extrema summa collecta XIIII. efficit; ita secunda medietas sibi complexa atque in semet adducta eandem, quam modo posui, exhibet quantitatem. Haec in arithmetica disciplina proportio, Graece ἀναλογία, censetur: quae pari c[illegible]mentorum ordine sic progreditur, ut mediis extrema primaque coniungat, faciatque eadem, quae fuerant natura discreta. Quam in sonis quoque caelestium circulorum divinitus esse servatam, doctissime Tullius ipse commendat, dicens: *Qui intervallis disiunctus imparibus, sed tamen pro rata parte ratione dispositis, impulsu eorum orbium efficitur.* Haec est enim Graece analogia, quae nunquam in duobus ostenditur, sed tribus et deinceps; ut fiat quotquot eius est proprium: quantum hoc ad illud, tantum illud ad hoc. Nam ut duo prima quattuor dupli ratione superant; sic eodem duplo vincuntur ab octo, rursusque sedecim duplo superant octonariam summam. Hoc igitur in sonoro servari musico et scientia profitetur, ut sic diversis temperetur vocibus cantilena, ut ipsa fiat rata diversitas et concentum perficiat, quidquid absonum canere videbatur.

Nam quum, sicut ipse nos docuit, ex alia parte acutum personet mundus, ex alia grave; temperantur haec mediis, et ita gradatim universa miscentur, ut sit in ceteris vis duorum, acuti scilicet atque gravis: ut acuto zodaicus circulus, gravi lunaris, illudque dicatur νήτη, hoc ὑπάτη, sono Dorio moveatur. Quod in nostris vocibus quoque animadvertere convenit: in quibus a gravi sono in acutum surgit accentus; et, ut lingua pulsatus aër sensibile quiddam auribus reddit: sic circulis impellentibus, atra permixtum percussione dissimili editur mundi consonum melos, tonis veluti pedibus metiendum. Nam tonus certa mensura est cum octava, vel tibia parte dimensa, vel aeris in pondere, vel in fidibus torquendo, diversitas numeri rata et pro competenti servatur. Nam si tibiam cuiuslibet longitudinis sumens, et octava eius portione deducta cavernam imprimas, tonus auditur; si sextamdecimam ex reliqua metiaris, hemitonium consequitur. Itaque cavernis harmoniae lege dispositis edentur symphoniae, quas docui per numerorum intervalla congruere. Hoc idem in siccandis chordis

11. Leg. LXIIII. BAIT. 34. Fort. *a terra*, vel *alterna*, an *rata:* ut litterae sint transpositae. SCHOTT. 36. An *tibiae?* OR. 38. Fort. *sumas.* BAIT. 42. F. *spissandis* i. e. astringendis. OR.

pondera moliuntur, ut inter duas pari habitudine facta epogdoi discrimina reserventur, octavae partis semper accessione dimensa, ex qua, ut dixi, tonus exsistit: si vero hemitonium tono copulare volueris, sexta decima ponderis parte minor chorda siccabitur, atque ita concinentia consonae modulationis orietur.

Idem in organis atque in aere servabitur; auribus perite iudicantibus spatia vocum vel incitatius enuntiantium vel tardius graviusque sonantium. Hinc illa *septem discrimina vocum* exsistunt, de quibus ait idem Tullius: *Septem efficiunt distinctos intervallis sonos.* Quod sic intelligere convenit, ut aut septem intervalla octo circulos dividant, aut unius, id est, solis, commune sit melos: ut duo ista tetrachorda quodammodo non hiantia neque dissona videantur in medio, fiatque ab imo usque ad summum *disdiapason* iugiter audiendi modulatio cantilenae.

Scio me, vir doctissime, reprehendi posse in hac temeritatis audacia, qui haec iam diu solis abolita non tumultuaria, sed meditata lucubratione digess rim. Sed habeant alii scientiae gloriam; mihi pro defensione sit studio tuo paruisse: quod ita flagras amore discendi, ut ea quoque inter iudicationum tuarum occupationes audire volueris, quae peritius ipse docere alios potuisti.

---

4. F. *spissabitur.* Or. 8. Virg. Aen. VI. vs. 646. 15. Fort. *scholis abdita.* Schott. Ibid. Exspectabas contrarium; *non meditata*, *sed tumultuaria luc.* cfr. p. 409, 4. Or.

ADDENDA.

Ne a nobis neglecta esse videantur, quae vir doctissimus F. N. Klein *ad Lambini Emendationes Tullianas e codicibus Boëthii a se collatis adnotavit, monendum est, eorum maximam partem pertinere ad Ciceronis verba Boëthii commentariis lemmatum loco praemissa. Una tamen adnotatione, quae ipsius Boëthii verba spectat, carere lectorem noluimus:*

P. 291. v. 21. *assiduus quippe est locuples a dando aere nominatus*] „In codice Monacensi pro varia lectione manus prima dedit hoc ipsum quod quaerimus, *ab* asse *dando*."



